Chirurgia repurgata / Ab auctore ... aucta. Acc. materies medica chirurgiae repurgatae accommodata.

Contributors

Gorter, Johannes de, 1689-1762.

Publication/Creation

Padua : J. Manfrè, 1765.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/v28xghat

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

H. VII. Gov

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30408787

JOANNIS DE GORTER

A. L. M. Medicinæ Doct. & Prof. Ord. ut & Reipublicæ Harderovicenæ Archiatri.

CHIRURGIA

REPURGATA

Ab Auctore Recensita, emendata, multisque in locis aucta.

ACCESSIT MATERIES MEDICA

CHIRURGIÆ REPURGATÆ ACCOMMODATA.

EDITIO TERTIA ITALICA ACCURATISSIMA.

PATAVII, TYPIS SEMINARII. MDCCLXV.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

TYPOGRAPHUS
AD LECTOREM.

Um multa ad artem Medicam pertinentia intra paucos annos præſtantium Virorum opera ex officina noſtra prodierint, nullum gratius accidit ſtudioſis, quam Joannis de Gorter in Aphoriſmos *tum catholicos* Hippocratis, *tum* Sanctorii *peculiares* de inſenſibili Perſpiratione Commentarii *ſeparatis voluminibus recens excuſi. Porro haud ita pridem prodiit in Belgio celeberrimi ejuſdem Auctoris* Chirurgia Repurgata: *quo in partu cum idem, quod in prioribus, ingenium parentis eluceat, libenter feci, ut illum quoque, ſi non notum, at certe magis familiarem Italis noſtris redderem. Quo quin ab iis magnam gratiam ſim initurus, nullus dubito. Nam Auctoris quidem præſtantia tanta eſt, quantum celeberrimi nominis fama teſtatur. Liber vero ipſe judicio eorum, quibus fides habenda eſt propter harum rerum ſingularem peritiam, tam bonus eſt, quam qui optimus. Nam quod in omni litterarum genere optandum maxime foret, continet Chirurgiæ Inſtitutiones ratione brevi clara ac facili explicatas, vocata paſſim in ſubſidium arte Medica, ita ut detectis ac ſublatis erroribus, quibus vulgares Chirurgi imperitia quadam & cœco præjudicio veteres opiniones & praxes plerumque ſequentes occupati eſſe conſueverunt, ſana tantum doctrina & Chirurgia vere* Repurgata *tradatur. Librum ergo & Chirurgis & Medicis utiliſſimum, ſatis nitide excuſum, diligentia vero illa noſtra in omnibus uſitata, & quod ſine jactantia dicere liceat, jam cognita emendatum, pretio vero longe viliori quam alibi parabilem, exhibeo. Eorum qui illum ſibi comparaverint, ſpero fore ut ſui neminem conſilii pœniteat.*

AUCTORIS
PRÆFATIO.

MEdicorum Principes morbos non ſolum internos, verum etiam externos agitaſſe, eorum teſtantur ſcripta: ſed quia quibuſdam crudelius videbatur ferrum adhibere corpori humano, hanc partem, quæ manu medetur, Chirurgis ſolis committere non dubitarunt, ſolos morbos, qui medicamentis externis & internis curantur, exagitare volentes. Unde ſcientia medica in duas partes fuit diremta, alteram quæ manu, alteram quæ medicamentis medetur; inde multi ex hodiernis Operationes Chirurgicas, ut partem ſpecialem Medicinæ exponunt. His autem non contenti Chirurgi, morbos quoque externos, qui medicamentorum applicationem exigunt, ad ſuum forum pertinere rati, ſolos morbos internos ad Medicinam pertinere contendunt, conſentientibus Medicis, ac ſi morbi interni ſolis medicamentis ore datis eſſent curabiles, eadem vix valere ad morbos externos: invaluit enim opinio datum medicamentum ſua virtute agere in partibus interioribus, vix quidquam in partibus externis præſtare, dum tamen utræque partes ex eodem fonte hauriant humores, omneſque communem agant vitam. Hoc tamen intereſt, quod ad externos morbos topica plus valeant, quam ad internos. Indicationes autem curativæ in ſimili morbo eædem ſunt, ſivæ interne lateat, ſive externe hæreat morbus.

Signa morborum externorum, quum tactu, & viſu detegi poſſint, multo ſunt certiora, quam in ſimili morbo interno, in quo ſæpe per omnino diverſa phænomena ratiocinando latentem morbum rimari datur. Qui igitur latentem morbum cognoſcere ſatagit, eum oportet bene prius perſpectos habere ſimiles morbos externos, in quibus ad oculum non ſolum patent cognitionis criteria, ſed & omnes mutationes evidentes ſunt, & melius cognoſcitur quænam medendi methodus præ ceteris plus valeat ad medendum. Summa itaque injuria mihi videtur hanc partem, Chirurgo ſoli traditam, a Medicina avulſam eſſe; quum hujus defectu ſcientia Medica plus damni patiatur, quam ſi omnibus reliquis auxiliatricibus partibus eſſet mutilata.

Phyſica enim leges motuum exponit in corporibus mortuis, ex quibus non tuto ad viventia datur analogia; quum corpus vivens ſibi proprias condat leges, ſecundum quas conſervat ſanitatem, & format

mor-

morborum mutationes, & proprias curationes exigit, quæ in morbis externis pertractandis manifeſtiſſime eluceſcunt.

Anatomica ſectio ſedulo rimatur omnia corporis latibula, partium figuram, colorem, & curſum ad oculum demonſtrat in cadaveribus, quum corpora viventia hominum ſecare ſit piaculum: optime ergo valet ad detegenda loca affecta, ſed qualis fuerit morbi cauſa utplurimum latet, cujus tamen cognitio ſpecialem exigit curationem, dum locus diverſus non multum mutat curationis indicationem. Morborum autem externorum ſolida ſcientia cum quadam rudi duntaxat Anatomica cognitione, qualem veteres poſſederunt, multo plura vitæ, & ſanitati conferet, cum non ſolum cognitionem morbi in viventibus, verum etiam eorum curationes ſiſtat. Cui hoc videtur paradoxum, comparet modo Hippocratem noſtrum in arte medendi cum hodiernis Anatomicis; is enim nullibi ſubtilitatem Anatomicam crepat, ſed candide, quæ in morbis detexit, memoriæ tradidit, & in Chirurgicis fuit expertiſſimus. Neque Celſus minus in Chirurgia, quam in cognitione morborum internorum præſtans fuit. Quibus graviſſimis in medendi arte auctoribus ſatis colligi poteſt, cognitionem morborum externorum cum rudi intelligentia Anatomica ſatis valuiſſe ad cognoſcendos, & curandos morbos internos, modo ſcientia ea ulteriori obſervatione practica in morbis internis confirmetur. Hoc ſi quis negat, Hyppocratem, Celſum, Galenum, & multos alios Artis Principes inſcitiæ arguit, ex quibus tamen ad hoc uſque tempus ſcientiæ Medicæ fundamenta petuntur. Non inficior Anatomiam principem eſſe inter auxiliatrices Medicinæ partes, ſed contendo Chirurgiam multo plus valere ad bene medendum. Quare ad promovendam artem Medicam magis conducere arbitror, omnes labores, omneſque vires impendendas eſſe, hæc pars ut excolatur, ſupra quam nulla datur alia præſtantior, vel quæ æqualis cenſeri poteſt.

Invenio tamen cunctos fere Medicos totis viribus incumbere Anatomicis, alios in operationibus Chemicis continuo ſudare, vix nomine tenus cognoſcere Chirurgiam: imo nonnullos ipſas obſervationes practicas deſpicientes, ex ſola Phyſica, vel Anatomica, vel Chemica doctrina petere fundamenta Medica. Hi autem ad praxin ſi veniant, ne quidem morborum nomina intelligunt, multo minus medendi methodum, & auxilia, ſeu Medicamenta longo uſu comprobata, ſummo cum ægrorum detrimento. Hi non inepte Architecto comparari poſſunt, artificioſum ædificium conſtruere qui meditatur: curioſa, & artificioſa conſtruit, & ponit ædificii fundamenta, ipſum autem ædificium intactum relinquens, manet ergo locus habitationi ineptus: Stare utique nequit ſine fundamentis ædificium, ſed fundamenta ſola ſunt habita-

bitationi inutilia. Ita ars Medica, cujus finis eſt bene mederi, ſine principiis, ſeu fundamentis firma eſſe nequit, aut ſtabilis, ſed qui continuo ſudat in fundamentis conſtruendis, non attingens morborum curationes, quod hodie moris eſt, nihilo plus præſtat quam dictus artificioſus Architectus.

Quam primum igitur docendi munus publicum mihi fuiſſet oblatum, meum ſemper duxi omnibus viribus conari partem hanc præcipuam excolere, alioſque laboribus meis ſublevare. Prodiit propterea in vernacula lingua Anno 1731. Chirurgia noſtra Repurgata in lucem, ut indigenis inſervirem, & Chirurgos Latinam linguam ignorantes in ea ſcientia ſecundum normam hanc exercerem. Neque inutilis fuit labor.

Dum vero deinceps in exercitio Medico experiebar, hanc partem Medicinæ præ omnibus aliis partibus Medicinæ tironibus eſſe utilem, præcedente anno ſecundum normam hujus Chirurgiæ repurgatæ, ſermone tamen Latino, fundamenta Medicinæ ponere cępi, eo animo, ut ſingulis annis eundem repeterem laborem. Qui autem inter iſtos non ſatis callebant linguam noſtram vernaculam, textu veluti privati, minorem fructum ex inſtitutionibus noſtris haurire potuere. His ut ſuccurrerem, & nobis eſſet conſtans dicendi norma, ſingulis annis repetenda, hanc Chirurgiam repurgatam in linguam Latinam tranſtuli.

In eo dum laborabam multa mihi viſa ſunt obſcura, alia autem non ſatis expoſita, quædam ſcitu neceſſaria hinc inde deſiderari, neque ubique ſatis arriſit ordo: propterea obſcura planiori & apertiori ſenſu expoſui, deficientia multis in locis ſupplevi, ordinem hinc inde mutavi, ut eſſet rebus pertractandis aptior; quare novum veluti videbitur opus præcedente perfectius & magis politum. Numeros, qui indicabant formulas Medicamentorum, Lector Textui non inſertos, ut in editione Belgica, verum omnes, & poſteriore cura examinatos, in ſpeciali Indice huic operi annexo, inveniet, ne ipſi eſſent impedimento.

Ne autem vitiis typographicis ſcateret hoc opus, quod me abſente imprimebatur, aliquo erat opus in arte Medica, & Chirurgica peritiſſimo, qui cuncta revidebat: hunc laborem improbum ſibi impoſuit vir in ſcientia Medica expertiſſimus *Jacobus van Eems*, Medicinæ Doctor. quare nunc politiſſimum & fere omnibus mendis carens hoc opus in lucem prodit. Pro laboribus impenſis huic viro publice teſtor me magnas agere gratias.

Harderovici. *Die* 27. *Februarii* 1742.

SE-

SERIES RERUM.

LIB. I.

CAP. I. *De Idioſyncraſia & Temperamentis*, 1. Pag. 1
II. *De Corporis humani diviſione*, 8. 3
III. *De Partibus firmis*, 14. 4
IV. *De humoribus*, 62. 9

LIB. II.

CAP. I. *De Oſſium ſtructura*, 88. 13
Perioſteo, 118. *Medulla oſſium*, 227. *Apophyſi*, 144. *Epiphyſi*, 147. *Cartilagine*, 153. *Articulorum glandulis mucilaginoſis*, 157. *Oſſium numero*, 174. *Oſſium Syntaxi*, 175.
II. *De Oſſium morbis*, 189. 24
III. *De Fractura oſſium*, 252. 30
Fractura cranii, 301. *Terebratione Cranii*, 341. *Fractura particulari*. 359
IV. *De Luxatione*. 379. 45

LIB. III.

CAP. I. *De Arteriis*, 437. 52
Earum diſtributione, 458
II. *De Hæmorrhagiis*, 467. 57
III. *De Inflammatione*, 501. 51
IV. *De Suppuratione & Abſceſſu*, 550. 67
De Parotidibus, 570.
De abſceſſu Inferiorum partium, 577. *Ventris*, 578.
De Empyemate, 579.
V. *De Sphacelo & Gangræna*, 623. 77
Amputatione, 644.
VI. *De Aneuryſmate*. 655. 81

LIB. IV.

CAP. I. *De Venis*, 671. 83
II. *De Venæ ſectione*, 685. 85
III. *De Varice*, 691. 86
IV. *De Hæmorrhoidibus*, 699. 78
V. *De Oedemate*, 719. 90

LIB. V.

CAP. I. *De Cerebro & Nervis*, 730. 91
II. *De Dolore*, 812. 103
III. *De Naſo & Olfactu*, 829. 106
IV. *De Morbis naſi & olfactus*, 876. 111
V. *De Guſtu & ore*, 894. 113
VI. *De Guſtus & oris morbis*. 904. 114
VII. *De Aure & Auditu*, 932. 117
VIII. *De Morbis aurium & auditus*, 979. 122
IX. *De Oculo & viſu*, 1010. 125
X. *De Viſus & oculorum morbis*, 1082. 135

LIB. VI.

CAP. I. *De Integumentis Corporis*, 1137. 143
Cuticula, 1157. *Rete*, 1158. *Celluloſa membrana*, 1159. *Pinguedine*, 1160. *Pilis*, 1161. *Unguibus*, 1162. *Tactu*, 1163.
II. *De Morbis Integumentorum*, 1186. 149
Cutis morbi, 1187.

LIB. VII.

CAP. I. *De vulneribus*, 1168. *ibid.*
Suturis, 1214. *Lauro Leporino*, 1221. *Vulneribus particularibus*, 1229. *Capitis*, 1233. *Pectoris*, 1234. *Ventris*, 1241.
II. *De Excoriatione*, 1253. 160
III. *De Contusione*, 1261. 161
IV. *De Combustione*, 1264. 163
V. *De Congelatione*, 1283. 164
VI. *De Fissuris*, 1290. 165
VII. *De Ulceribus*, 1293. 166
VIII. *De Fistula*, 1319. 169

LIB. VIII.

CAP. I. *De Pruritu*, 1331. 170
II. *De Aspredine*, 1338. 172
III. *De Callo*, 1341. *ibid.*
IV. *De Eschara*, 1346. 173
V. *De Colore mutato*, 1355. *ibid.*
VI. *De Maculis*, 1358. 174
Ephelidibus, 1360. *Ecchymosi*, 1361. *Maculis rubris*, 1363. *Hepaticis*, 1364. *Petechiis*, 1365. *Vitiligine*, 1366.

LIB. IX.

CAP. I. *De Sordibus, & Crusta*, 1369. 176
II. *De Herpete*, 1371. *ibid.*
III. *De Impetigine*, 1384. 177
IV. *De Scabie*. 1392. 178
V. *De Pustulis*, 1394. 179

LIB. X.

CAP. I. *De Clavo*, 1403. 180
II. *De Verrucis*. 1405. *ibid.*
III. *De Tuberculo Inflammatorio*, 1411. 181
Phymate, 1412. *Phygethlo*, 1413. *Termintho*, 1414. *Furunculo*, 1415. *Carbunculo*, 1416.
IV. *De Erysipelate*, 1417. 182
V. *De Empneumatosi*, 1448. 185

LIB. XI.

CAP. I. *De Glandulis*, 1453. 186
II. *De Glandularum morbis*, 1461. 187
III. *De Lupia*, 1462. *ibid.*
IV. *De Struma*, 1465. *ibid.*
V. *De Scirrho*, 1478. 188
VI. *De Cancro*, 1484. 189
VII. *De Folliculoso tumore*. 1503. 191

LIB. XII.

CAP. I. *De Herniis*, 1508. 192
II. *De Hydrocele*, 1532. 195
III. *De Varicocele*, 1541. 196
IV. *De Sarcocele*, 1544. 197
V. *De Omphalocele*, 1546. *ibid.*
VI. *De Procidentiis*, 1554. 198
VII. *De Calculo Urethræ*, 1559. 199

CHIRURGIA REPURGATA

LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM.

De Idioſyncraſia & Temperamentis.

1. IN ſcientia tradenda requiritur, ut initium fiat ab iis, quæ non egent auxilio ſequentium, ſed quoniam Chirurgia eſt univerſæ Medicinæ pars, a primis principiis incipere non poſſum, at ab iis Chirurgiam inchoabo, quæ ſenſibus maxime obvia ſunt, & quæ ſine multis aliis auxiliis poſtea tradendis facile intelligi poſſunt, quæque fere in omnibus ſequentibus, etiamſi ibidem non indicantur, ſunt obſervanda. Qualia ſunt, quæ dicuntur *Idioſyncraſia*, & *Temperamenta*.

Idioſyncraſia.

2. In hominibus viventibus quædam obſervantur generalia, quæ dicuntur leges naturæ: ſed & alia ſpecialiora, non omnibus, ſed multis communia, qualia vocant Temperamenta. Id autem ſpeciale, quod in uno, alterove homine duntaxat detegitur, a Græcis dicitur *Idioſyncraſia*, ſeu *Idioſyncriſia*, peculiaris hominis conſtitutio. Ut ſi opium huic non inferat ſomnum; Adſtringens alvum ducat; ex Roſæ odore in animi deliquium incidat; Lac aſſumptum videatur venenum; & alia multa, quæ ut in plurimum ipſis hominibus ſunt cognita, quæque Medico, vel Chirurgo revelare ſolent. Qualia igitur a Medico, vel Chirurgo ſunt evitanda. Si autem inſcii ſumus, quæ quantitas Purgantis, Narcotici, vel aliorum Medicamentorum, quibus definita eſt doſis, ab ægro ex Idioſyncraſia ferri queat, doſis ſolita dividenda eſt, & dein partitis vicibus propinanda, donec Medicamentum ſortiatur effectum.

3. Peculiaris autem multorum hominum conſtitutio vocatur *Temperamentum*, *Temperamentum.*

tum, & interdum *Intemperies*, ſi morboſa fiat vel excellat. Temperamenta numerantur quatuor, quæ varia obtinent nomina. Quidam enim numerant ſiccum, humidum, frigidum, & calidum. Alii autem ſalinum, ſulphureum, terreſtre, & aquoſum. Denique frequentiſſima diviſio eſt in Sanguineum, Bilioſum, Pituitoſum, & Melancholicum, ſecundum veterum diviſionem in humoribus. Ultimam tantum ſpeciem tradituri ſumus. In his autem ſimplicibus non conſiſtunt, ſed eadem temperamenta ſæpe conjungunt, ut inde fiant Temperamenta compoſita, quod nimis longum foret perſequi. Proponunt etiam Temperamentum temperatum, bonum, atque malum. Cuncta hæc Temperamenta deducunt, & cognita faciunt ex cauſis aliquam intemperiem inducentibus, vel ex phænomenis peculiaribus in multis hominibus obſervatis.

Sanguineum temperamentum.

4. *Sanguineum Temperamentum* cognoſcere volunt ex pilis raris, flavis, fuſcis, prompte natis; cutis, & carnis mollitudine: habitu ſpecioſo; facie florida roſea; tumentibus venis; cita defatigatione; hilaritate; ſudore ex levi cauſſa; ſomno blando, & inſomniis jucundis; pulſu pleno; fame ut plurimum non multum urgente: ferunt talia corpora quamcumque ſanguinis evacuationem facile, atque fœminæ copioſiora menſtrua, & lochia fundere ſolent. Sanguinis miſſio conducit, ſed ſtimulantia, & calefacientia vix ferunt; ſæpe incidunt in morbos acutos, & ſanguinis eruptiones. Augetur, & comparatur victu euchymo, cum corporis quiete, & animo curis vacuo. In his videtur boni ſanguinis major portio ad firmas partes comparata, quæ ſi fiat nimia vocatur Plethora.

Bilioſum Temperamentum.

5. *Bilioſum Temperamentum* ex abundantia humoris tenuis, acris, calidi, ſubpinguis; non vero ex copia majore bilis bonæ nomen obtinent, qui humor formatur, & colligitur uſu pinguium, cum corporis, vel ambientis aeris calore hoc pingue, vel pinguedinem proprii corporis liqueſcente. His ſolent eſſe Pili pauci, flavi, criſpi, cito cadentes; corpus macilentum, & durius, color cutis ad flavedinem vergens; venæ plenæ prominentes; pulſus celer, & frequens; otium odio habent; urina intenſior flaveſcens; alvi excrementa duriora, raro liquida. Semel, ſed non repetita venæ ſectio conducit; purgantia, laxantia, humectantia, & refrigerantia conveniunt; quæ autem ſiccant, calefaciunt, vel ſtimulant, damnoſa ſunt. In morbos Eryſipelatoſos, morboſque acutos bilioſos facile incidunt. Partes firmæ in his videntur magis conſtrictæ, & exſuccæ; humores autem acriores, ſaponacei, ſtimulantes.

Pituitoſum temperamentum.

6. Quorum corpora humore lento, tenaci, glutinoſo, frigido ſcatent, cum debili motu vitali, & frigiditate totius; quibus naſcuntur pili molles, læves, tenues; cutis eſt mollis laxa, albicans, ſubpinguis; venæ exiguæ vix apparentes; actiones animales languidæ; vix ulla animi cura; pulſus parvus, tardus, & mollis; urina pallida, & craſſa, vel turbida, aut interdum pallida, tenuis, cruda; ad motum anhelitus; laſſitudo ſpontanea; ſitis vix ulla; evacuationes pituitoſæ; talia dicuntur *Temperamento pituitoſo*, ſeu phlegmatico laborare: vix ferunt ſanguinis miſſionem, & refrigerantia, aut humectantia; ſed calefacientibus, ſtimulantibus, reſolventibus, & ſiccantibus levantur. His videntur vaſa majora ſolito anguſtiora; Lymphatica vero, & celluloſa laxiora, & ampliora; actiones præparantes languidæ, humores crudi cohærentes. Facile incidunt in morbos frigidos, œdematoſos, hydropicos, tumores glandularum ſtrumoſos, non multum dolentes.

Melancholicum temperamentum.

7. In quibus corporibus Materia lenta, glutinoſa, ſubnigra, vel livida abundat, præprimis circa præcordia colligenda, cum animi triſtitia, ſine manifeſta cauſa, hæc dicuntur laborare *Temperamento melancholico*, quod vel ex hæreditate, vel victu leguminoſorum, carnis ſalitæ, fumove induratæ, cum corporis quiete, & animi cura, comparatur ſenſim. His ſolent naſci pili nigri, craſſi, copioſi; corpus autem macilentum, durum, ſubnigrum; omnes actiones anima-

les

les tardæ; ingenio prudentes, ſed & pertinaces, moroſi, ſolitudinis amantes, taciturni; excrementa alvi dura, compacta, nigra; pulſus parvus, & tardus. His nocent calida, ſicca, ſtimulantia; juvantur autem humectantibus, laxantibus, refrigerantibus, & reſolventibus; alvus laxior conducit. Videntur his partes firmæ contractæ magis, quam motu vitali eſſe agitatæ, ſed humores tenaces admodum miſti, vix ſeparabiles, vel mutabiles ſæpe incidunt in glandularum, & hypochondriorum obſtructiones; lienis, hepatiſque tumores; ſcirrhi, & cancri frequentes curatu difficiles his fieri ſolent.

CAPUT II.

Diviſio Corporis humani.

8. HOminis generalis diviſio poteſt eſſe in corpus vivens, & animam, ſed quoniam veteres dumtaxat attendebant ad corpus ſolum in ſua diviſione, iſtud in partes principes; & miniſtras, ſeu minus principes diviſerunt. *Partes principes*, ſeu nobiliores iſtas vocabant, quarum uſus ad ſanitatem, & vitam conſervandam tam neceſſarius eſt, ut ex earum læſione multum detrimenti patiatur corpus, imo privetur vita, vel ſanitate, quales ſunt Cerebrum, Cor, Pulmo, Ventriculus. *Partes* autem *Miniſtræ*, ſeu minus principes & ignobiliores dicebantur, quæ minus præſtant ad vitæ conſervationem, quibus carere poſſumus, ſuperſtite vita, ut oculus, naſus, auris, membrum externum aliquod. Hæc diviſio ſuum egregium habet uſum, modo in annumeratione partium non committatur error: quæ enim partes exercent functionem vitæ conſervandæ neceſſariam, harum læſio ſive a vulnere, ſive quovis morbo alio, majus infert periculum, quam quarum functione ſine multo damno carere poſſumus. *Diviſio in partes principes, & miniſtras.*

9. *Similares* iſtæ dicebantur partes veteribus, ad quarum formationem non concurrunt partes variis nominibus inſignitæ, uti oſſa, cartilagines, membranæ, fibræ, nervi, venæ, arteriæ, caro, cutis: quæ ex his colorem album habebant ex ſemine formatas eſſe contendebant; quæ vero rubro colore ſplendebant, ex ſanguine formatas eſſe exiſtimabant, ut erat caro; quibus vero albedo, & rubedo ſimul aderat, ex ſemine, & ſanguine confectas ſtatuebant. Ad cujus autem viſceris formationem partes variæ concurrebant, iſtud viſcus, vel organum ſtatuebant eſſe *partem diſſimilarem*. Hęc diviſio a Neotericis repudiata, quum nulla pars major ſimilaribus particulis componatur, eſt tamen alicujus uſus, ſi pro ſimilaribus ſtatuuntur omnes partes, quæ unico motu vitali gaudent, ut partes recenſitæ, & pro diſſimilaribus ſi habentur, in quibus idem motus generalis habetur, ſed & inſuper alius motus huic organo proprius, uti in pulmonibus, hepate, cerebro. *Similares, & diſſimilares.*

10. Magis autem rebus conveniens nobis videtur corporis viventis diviſio in Partes firmas, Fluentes, & Actiones. Intelligendo per *Partes firmas*, ſeu ſolidas, iſtas, quarum particulæ totum conſtituentes tanta cohærent potentia, ut requiratur ſenſibilis vis ad earum ſeparationem, atque non deſtruantur naturali vitæ actione, niſi quod aliquo modo deterantur, & quarum manens cohærentia requiritur in ſanitate, & ſolutio eſt morbus. *Fluentes* autem *partes*, ſeu liquores componuntur particulis minimis ita congregatis, ut facile, & ſola vitæ actione ſeparentur, & facile cedendo inter ſe moveantur; quæ ſi cohærentes magis fiant; vel manentes diu in eodem loco, ad morbos humorum refertur hæc mutatio. *Actiones* autem corporis viventis ſunt variæ, uti (1) motus vitalis, generalis, & particularis, animalis, ex ſtimulo, ex animi pathemate, (2) ſenſus, (3) ſomnus, (4) vigiliæ, (5) nutritio, & incrementum, (6) generatio, (7) præparatio, & coctio, (8) ſecretio, (9) evacuatio, (10) abſor- *Diviſio noſtra.*

abſorptio, & multæ aliæ vitæ, & ſanitati actiones neceſſariæ.

11. Partes firmæ dividi poſſunt 1. in partes Elementares, 2. Fibras ſimplices, & compoſitas: 3. Membranas ſimplices, & compoſitas; 4. Ligamenta ſimplicia, & compoſita; 5. Vaſa ſimplicia, & compoſita; 6. Organa, quæ ex his ſimplicibus, & compoſitis, cum transfluentibus liquoribus aliquod munus in homine vivente præſtant.

Solidorum diviſio. 12. Organum in homine vivente eſt pars talis iſtius corporis, quæ ſpecialem actionem perficit; quamobrem Organa ſecundum ſeriem actionum poſſunt dividi (1) in Organa motoria: (2) ſenſitiva; (3) circulatoria; (4) ſecretoria; (5) excretoria; (6) adducentia; (7) præparatoria; (8) ſuſtentantia; (9) munientia; (10) Generationi famulantia, & multa alia inſuper particularia.

Organorum diviſio. 13. Hæc autem diviſio etiam Phyſiologiæ admodum ſit accommodata, ſcopo noſtro, qui eſt cognoſcere, & curare morbos, non admodum quadrat, quare in ſequentibus aliam ſequemur diviſionem, quæ Chirurgiæ Practicæ magis eſt conveniens.

CAPUT III.

De Partibus Firmis.

14. UT Ordine pertractentur partium firmarum morbi, ſequentem ſequemur ordinem. (1) Morbi *Fibrarum*, (2) *Membranarum*, (3) *Vaſorum*, (4) *Ligamentorum*, (5) *Organorum*, quæ poſt generalem humorum diviſionem tradentur, quia in iis ſolidorum, & fluentium morbi ſimul ſunt tractandi.

Morborum diviſio in ſolidis. 15. Partium firmarum generales morbi referri poſſunt (1) ad cohærentiam partium elementarium, (2) ad comparationem cum liquoribus transfluentibus, vel contentis, (3) ad contractilitatem automaticam, (4) ad cauſas externas mutantes. Quæ vero pertinent (5) ad motum in viventibus, & (6) ſenſum, poſt horum organorum deſcriptionem tantum intelligi poſſunt.

Fibra ſimplex. 16. Ut ex punctis ſerie unica locatis concipiunt Mathematici fluere lineam, ita Medici, ex unica ſerie particularum elementarium, extremitatibus ſolis ſe invicem tangentibus, formant fibram ſimpliciſſimam, aut quando ſimili ſerie conficitur fibra ex particulis paulo majoribus, ex elementaribus concretis factis; quia vero in unica tali ſerie manere nequit cohærentia in fibra flexa, & prolongata, pro ſimpliciſſima fibra cohærente, & mobili admittenda eſt congregatio multarum ſimpliciſſimarum fibrarum in faſciculum teretem, & oblongum, intus nulla cavitate donatum.

Cohærentia morbi. 17. Fibras noſtri corporis quodam nixu cohærere neminem latet, ille autem nixus, & potentia cohærendi (15, 1) mutari poteſt integra deſtructione in *ſoluta unitate*; earum autem potentia cohærendi eſt major in *Robore*, ſeu *Tenacitate*; minor vero in *Debilitate*, ſeu *Fragilitate*: ſitus partium mutatur facile in *Flexibilitate*; at difficilior in *Rigiditate*.

Solutæ unitas. 18. In omnibus Fibris finita eſt cohærendi potentia, quæ igitur a violentia movente externa quacumque poteſt ſuperari, ut in vulnere, contuſione, vel extincta potentia cohærendi a cauſa morboſa, vel medicamentis applicatis, permittit fibram ſponte, vel leviſſima cauſa, deſtrui, ut in colliquativis, & quibuſdam eſcharoticis. Omnis talis cohæſionis deſtructio vocatur *Soluta unitas*, quare omnis ſoluta unitas non eſt Vulnus.

Robur, ſeu tenacitas. 19. Quum ſolidorum *Robur* referri poſſit ad motum, contractilitatem, & cohærentiam, ſatius erit majorem cohærendi potentiam vocare *Tenacitatem*, qua

fibra

fibra non permittit ſolvi validiſſima aliqua cauſa : quia vero in ſanis nunquam conducit deſtrui cohærentiam , tali in ſtatu conſtantiſſimam ſanitatem arguit : in morbis autem obeſſe poteſt , ſi ſanguinis vel puris eruptio prodeſſet .

20. Ut Robur , ita *Debilitas* , ad vires , contractilitatem , & cohærentiam poteſt referri : ſed *Fragilitas* , quoniam minus firmam cohærentiam exprimit , hoc loco aptius ſubſtitui poteſt . Qui ſtatus fibrarum periculoſiſſimus eſt , cum nexus fibrarum ſemper ſuſtentare debeat tractionem , impetum , & ſæpe cauſas externas ſine ſolutione , quæ in Fragilitate nimis facile committitur. *Debilitas, ſeu fragilitas.*

21. Oſſa, & Cartilagines, quæ aliquam rigiditatem exigunt, nimis *flexilia* facta per cauſas mutantes, ſanitati obeſſe poſſunt, qualis forſan morbus eſt Rhachitis ; in partibus autem mollioribus perfecta eſt ſanitas . *Flexibilitas.*

22. In oſſibus raro, modo abſit fragilitas, morboſa eſt *Rigiditas* ; ſed in Cartilaginibus ſæpe , atque in partibus mollioribus , ſi flexura in Actionibus ex conſueta cauſa non permittitur, difficiles curatu morbos infert . *Rigiditas.*

23. In perfecta ſanitate inter partes firmas & fluentes definita eſt copia , quæ ab utraque parte lædi poteſt , ut humores abundent vel deficiant (15 , 2), ſive intelligantur humores circumducendi vel colligendi in cellulis & cavis . In æquilibrio autem deſtructo comparatio intelligitur frequentius inter copiam humorum & actiones partium firmarum . *Æquilibrium deſtructum.*

24. *Contractio Automatica* (15 , 3.) fit tam in fibris viventium quam cadaverum : quando autem minus valida obſervatur , non dependens ab actione vitæ vel voluntatis , quum poſſit fieri major & minor , duo inde fiunt morbi , nempe *Robur contractilitatis* , & *Laxitas* . *Contractio automatica.*

25. Fibræ interdum ſe majori potentia colligentes , ut ab auſteris vel adſtringentibus applicatis , (nam ſtimulo influxus ſpirituum ſe contrahentes ad hanc ſpeciem non pertinent ,) non raro ſuffocatum liquoris tranſitum pariunt : ab hac actione non multum diſtat quæ dicitur fieri in *Aucta Elaſticitate* . *Contractilitatis robur.*

26. Remiſſior autem contrahendi potentia , non tamen omnino extincta , quam requiritur ad ſuſtentandum impetum ſine nimia fibrarum prolongatione naturalem , vel quem corpus ſanum ferre cogitur , *Laxitas* vocatur , non multum diſtans a deficiente Elaſticitate : ſi vero omnis redeundi potentia in prolongata fibra ſit ademta , *Flaccidiatatem* aut *Atoniam* vocant , quæ videtur Laxitatis ſummus gradus . *Laxitas.*

27. Cauſæ externæ mutantes (15 , 4) complectuntur *Elongationem* , *Extenſionem* , *Adductionem* , *Compacturam* , *Expanſionem* , *Humiditatem* , & *Siccitatem* , præter memoratam ſolutionem .

28. Duæ cauſæ contraria directione agentes in utraque extrema fibrarum , vel tranſverſe agens cauſa , fibræ extremitatibus fixis , ut fibra adipiſcatur majorem longitudinem , modo ea fibra ex ſua inſita natura , vel cauſis laxantibus applicatis , facile ſubſequatur , faciunt *Elongationem* , interdum cum augmento craſſitiei , & ſine dolore , ut in Oedemate. *Elongatio.*

29. *Tenſio* autem ex iiſdem cauſis provenit , agentibus in fibras valide reniten tes , ut in tumoribus inflammatoriis : quare , Contractilitate dimiſſa , Extenſio commutatur in Elongationem , & viciſſim. *Extenſio.*

30. Cauſæ unam fibræ extremitatem ad alteram ducentes , vel ex linea quavis curva in lineam rectam redigentes fibram , *Adductionem* faciunt , qua fibræ ſenſim majorem contrahendi potentiam acquirunt , uti in Herniarum , varicum , & Oedematis curatione : hæ cauſæ autem nimis diu continuatæ in quibuſdam partibus rigiditatem inferunt . *Adductio.*

31. Cauſæ vero adducentes , tranſverſe ad fibræ longitudinem agentes , ut ducantur lateraliter poſitæ fibræ propiores , partem firmam non ſolum compin- *Compactura.*

pingunt, ſed & ejus quoque cohærentiam & ſoliditatem augent ; modum excedentes in callum convertunt.

Expanſio. 32. Compacturæ oppoſita eſt *Raritas* ſeu Expanſio, quæ duobus fieri poteſt modis, dum in cavo firmarum partium contentus humor ſe magis extendit lateraque continentis removet, quod in fibris ſimplicibus cavitate carentibus fieri nequit ; vel dum partes fibram conſtituentes aliquid amittunt de attrahendi potentia, ut ita ſponte magis recedant, facientes majorem molem quam eſt augmentum ponderis.

Humiditas. 33. Fibra quamvis ponatur ſolida, non tamen omni humiditate privata eſt, hærente in ſpatiolis a partibus elementaribus fibrarum relictis : quæ proportio humidi non raro a cauſis extra eam fibram exiſtentibus augetur nimis, ut inde fiat fibra humida ſeu uliginoſa, morbum inferens.

Siccitas. 34. Humidi autem defectus inter partes elementares fibræ, *Siccitas* dicenda, fibram fragilem & rigidam facit.

Fibræ Communis. 35. Quando Anatomici vocant fibram vel villum, non intelligunt fibram ſimplicem (6) ſed iſtius figuræ corpuſculum oblongum, teres, gracile, quod oculis vel microſcopiis videri poteſt, conſtans multis his in faſciculum collectis fibris, imo vaſculis, quorum cavitates non facile detegi poſſunt, adeo ut vaſcula minima etiam fibræ interdum dicantur. In fibris non ſolum recenſiti morbi deteguntur, ſed & multi alii, qui a motu & ſenſu deducuntur. Hæ fibræ, prout varias partes conficiunt, varia accipiunt nomina, ut fibra *villoſa*, *motrix*, *tendinea*, *muſcularis*, *oſſea*, *medulloſa*, *nervoſa*, *vaſculoſa* &c.

Motus viventium morbi. 36. Motus viventium (15, 5) poteſt eſſe validior, ut in Inflammatione, febre ardente ; Debilior, ut in virium debilitate, multiſque morbis chronicis ; perturbatus, ut in Convulſione, febribus ; omnino nullus, ut in Apoplexia, Syncope, Paralyſi. Quæ mutationes in organo vitali, animali, vel particulari cadentes, varia & multiplicia genera morborum præbent.

Senſus morbi. 37. Senſuum morbi (15, 6) etiam multi ſunt : nam actus præbet Dolorem, Anxietatem, Pruritum ; minor autem Stuporem, Torporem ; alienus formicationis, gravitatis, frigoris & caloris ſenſuum ſine effectu ad experimenta phyſica ; nullus ſeu exſtinctus in inſenſilitate : quæ mutationes in variis ſenſuum organis multas ſpecies morborum inferunt.

Membranæ. 38. *Membrana*, (14, 2) in corpore humano vocatur corpus firmum, latum, planum, tenue, plerumque albicans, flexile ; quæ plerumque nectit & vincit organa.

Membranæ compoſitio. 39. Dum fibræ ſimplices (16) lateraliter vel pectinatim junguntur, vel intertextu congregantur in tale corpus latum & planum, ut concipiunt Mathematici ex lineis formari ſuperficiem, habetur *Membrana ſimpliciſſima* : ſi vero loco fibrarum, ad compoſitionem ſimili modo congregantur vaſcula ſimpliciſſima, vel fibræ magis compoſitæ, *ſimplex* poteſt tamen talis vocari membrana : ſed quando ex vaſis majoribus, ligamentulis, fibriſque magis compoſitis, formatur tale corpus latum & planum, quales fere omnes ſunt membranæ viſu detegendæ, tales vocari poſſunt abſolute membranæ, vel membranæ compoſitæ.

Partes membranarum. 40. Quibus partibus componantur membranæ compoſitæ viſibiles, non conſentiunt auctores, quidam ſentiunt omnes proficiſci ex Dura matre ; alii ex tunicis vaſorum formari ; alii contendunt meros eſſe nervos : denique quidam omnia hæc admittunt concurrentia, ſed inſuper eſſe ſtamen aliquod ſolidum, firmamentum membranis præbens, quod hucuſque artificioſiſſima injectione demonſtrari non potuit eſſe vaſculoſum, quod, niſi membranam ingrediatur nervus, ſenſu caret, ad quod etiam genus ipſa Dura mater eſt referenda. Hoc autem ſtamine ſolido omnes arteriæ, venæ, Lymphatica, nervi & glandulæ, ſi adſint, in ſuo ſitu & ordine ſervantur, ut in munere præſtando

non

non turbentur. An vero hoc ſtamen in viventibus ex ſua propria vi moveatur, an vero motum accipiat ab influentibus ſpiritibus, non ſatis eſt demonſtratum.

41. Membranis varia ſunt data nomina (1) a parte, quam cingunt, ut hepatis, lienis, renum &c. (2) aliæ tamen ſpeciale nomen ex parte accipiunt, ut pericardium, perioſteum, pericranium, perichondrium. (3) quæ formant vaſa, canales, meatus ſæpius dicuntur Tunicæ, ut tunicæ arteriarum, venarum, oculorum, inteſtinorum. (4) quædam habent ſpeciale nomen uti meninges, pleura, mediaſtinum, meſenterium, cutis, epithelium, cuticula, cellularis, amnios, allantoides, valvulæ. (5) ex partibus membranas componentibus, dicuntur, membranæ, vaſculoſæ, nervoſæ, ligamentoſæ, (6) ex uſu ſepta, ſeu ſepimenta. *Nomine membranarum.*

42. Uſus membranarum eſt multiplex. (1) Tegere partes, uti epidermis, cutis, epithelium, omneſque externæ membranæ viſcerum. (2) nectere partes. (3) adjuvare organi actionem. (4) communem inter partes ſervare nexum, & circulationem. (5) unam ſeparare partem ab aliis, quando ſepta dicuntur, ut multa in encephalo, & mediaſtinum in pectore. (6) limitare incrementum & ſuſtentare. (7) nimis acrem ſenſum prævenire, ut cuticula & epithelium. (8) coercere humores, ut tunicæ oculorum & vaſorum (9) ſpecialem motum conciliare organis. *Uſus membranarum.*

43. *An membrana ſenſus organum?* Ex deſcripta membranæ fabrica (40) conſtat, membranam conſtare ſtamine generali ſolido, quod firmat, & ordinat omnia genera vaſorum & nervorum: hoc autem ſtamen in epidermide, epithelio & forſan in unguibus & pilis, omni caret ſenſu; unde membrana ſenſum habet ex nervis per eam diſtributis. Hinc partes paucioribus nervis donatæ vix ſentiunt, etiamſi ſint membranoſæ, uti in aneuriſmate, varice, omento prolapſo, læſione pulmonis & hepatis, ſatis patet.

44. *An membrana motus organum?* Non abſurdum videtur ſtatuere membranam motus organum eſſe, cum læſiones & inflammationes membranarum multo majorem motum faciant, quam læſiones aliarum partium; forſan in toto ſtamine ſolido viventium Deus locavit motum vitalem, ſed ſi membrana ſpeciali motu ſit movenda, credibile eſt, in membrana tali aliquod organum movens locatum eſſe. Inde forſan partes membranoſæ affectæ magis movent, quam eadem affectio in parte carnoſa, cum proportio ſtaminis in membranis ſit major ad contentos liquores, quam in aliis partibus.

45. Membranæ ſimplicis morbi ſunt omnes, qui in fibris traditi ſunt: inſuper etiam illi fiunt, qui exhibent interſtitia majora & minora inter fibras, unde tranſmittitur humor continendus, vel retinetur emittendus. Reliqui morbi partium membranam componentium ex propriis iſtis partibus ſunt deducendi. *Morbi membranarum.*

Si membrana ſit vulnerata ut hiat, vel quædam ejus portio ablata, pars ſubjecta privatur naturali tegumento, exponitur cauſis lædentibus externis; ſi ſit de Epidermide ablata, cutis exſiccatur, fibræ ſiccæ ſiccantur, contrahuntur, generatur dolor, & pars ad attactum nimis acute ſentit.

Partes interveniente membrana nexæ nunc ſolvuntur poſt plagam, & turbantur in ſitu & actione.

Ita partes quædam ſuſtentaculo orbatæ nimis excreſcunt, ut exoſtoſis vulnerato perioſteo, & cerebri fungus vulnerata meninge.

Simul ſublata communicatione vaſorum pars ſubjecta privatur vita.

Laxatis membranis amittit pars, quæ iſtis tegebatur, multum de ſua actione.

Nimis contractis membranis interdum ſuffocatur functio compreſſi organi.

Nimis motis fibris in membrana cingente, turbatur functio organi ſubjecti, ut, ſi ſit in meningibus, convulſio aut phrenitis; in pleura, pleuritis & ſuffocata reſpiratio.

46.

Vaſa. 46. Tertium genus partium firmarum ſunt *Vaſa* (14, 3), quæ dicuntur in corpore hominis, corpora firma, membranoſa, intus cava, recipientia, tranſmittentia & emittentia liquores, raro intus vacua, ut vaſa pulmonis aerea, & alia humoribus privata.

Vaſorum formatio. 47. Si ex membrana (39) ſimpliciſſima, ſimplici, vel magis compoſita, formatur corpus intus cavum, definitum (46), habetur intellectus cujuſcumque vaſis, tam ſimplicis quam compoſiti, in quorum lateribus ſæpe ſunt alia vaſcula minora, ut patet in arteriis & venis majoribus.

Diviſio. 48. Vaſa diſtinguuntur (1) in *Circulatoria*, ut ſunt arteriæ & venæ cruentæ, & Lymphaticæ cum ſuis anaſtomoſibus, (2) *Secretoria*, (3) *Excretoria*, (4) *Abſorbentia*, quo etiam pertinent Vaſa Lactea, (5) denique varia mutuant nomina ex parte, in qua talia vaſa inveniuntur. Vaſa majora excretoria ſæpe vocantur Ductus & Meatus. Omnium horum deſcriptio Angiologia ſolet vocari.

Morbi. 49. Cum omnia vaſa, canales, & meatus formentur ex ſuis fibris, & membranis, iidem morbi etiam in vaſis fieri poſſunt; ſed morbi vaſis proprii ſunt (1) *Anguſtia*, (2) *Amplitudo*, (3) *Obſtructio*, (4) *Solutio*. Reliqui autem ex motu pendentes tradi adhuc nequeunt.

Anguſtia. 50. Si vas ex quacumque cauſa in principio redditur anguſtius, minorem liquoris copiam transfluere facit; unde functiones minuuntur & turbantur, ab hoc transfluxu dependentes; ſi hoc diutius durat, non raro totum vas concreſcit & abit in ligamentum, ut in vaſis umbilicalibus & canali arterioſo: ſi vero ad fines anguſtatur, minuitur, aut ſiſtitur ſecretio & excretio humoris ex tali vaſe, unde cutis ſiccitas, urinæ ſuppreſſio, icterus, prout vas tale variam functionem exercet.

Amplitudo. 51. Si vas in medio vel principio latius fit, formatur inde ſaccus, qui in arteriis vocatur Aneuriſma, in venis Varix, in Lymphaticis Hydatis: vaſa autem in extremitatibus latiora facta, non valent coercere quæ retinenda erant, inde Hæmorrhagiæ ſine læſione vaſorum, Diabetes, Sudor colliquativus, Diarrhœa, Ptyaliſmus.

Obſtructio. 52. Si tranſitus a materia intus cavum implente inhibeatur, vel integre, vel pro parte, vas dicitur obſtructum, qui morbus idem facit, quod fit ab anguſtatione.

Soluta unitas. 53. Cum per omnia vaſa noſtri corporis ducendi ſint humores, ſi eorum ſolvitur integritas, integre vel pro parte, transfluens liquor non coercitus, effunditur in vicina cava corporis, vel extra corpus: quo pertinent vulnera, contuſiones, lacerationes, ruptiones, in vaſis diverſis.

Ligamenta. 54. Partes molles, tenaciſſimæ, extenſiles & contractiles, firmantes reliqua in ſuo ſitu & ordine, ita tamen, ut pro neceſſitate ſanitatis & vitæ permittant moveri, dicuntur *Ligamenta*, quæ cum renixu elongari admodum poſſunt, ſed ablata cauſa ſponte accurtantur ſine corrugatione.

Formatio. 55. Ligamenta confici videntur ex generali ſtamine ſolido, ſeu ex multis fibris ſolidis faſciculatim compactis cum paucis interſperſis vaſis, ut in ligamentis fibræ ſint copioſiores magiſque compactæ, quam in membranis. Vel formantur ex multis membranis ſibi mutuo incumbentibus concretis; vel vaſis humore privatis coaleſcentibus, aut cum contento humore concreto concreſcentibus, ut Ligamentum umbilicale, Canalis arterioſus.

Origo. 56. Ligamentorum originem quidam deducunt a perioſteo, quæ articulos cingunt; alii a tendinibus, tunicis vaſorum & nervis: ſed ligamenta eodem tempore cum omnibus his generantur, & ex generali ſtamine ſolido, uti omnes partes firmæ, formantur.

Nervus. 57. Pauci admodum in ligamentis ſunt nervi, quoniam acuto ſenſu non ſunt prædita, & motum vitalem exiguum, & animalem nullum habent: verum contractilitate automatica valida donata ſunt.

58.

58. Ligamenta paucis arteriis & venis cruentis ditata ſunt, ut ex eorum pallido colore ſatis patet, & læſione facta nullum ſanguinem fundente: iis autem omnino non carent, quum artificioſa injectio vaſa cruenta detegat. Videntur autem adeſſe arteriæ lymphaticæ, ſuccum gelatinoſum vehentes, cum læſio ligamentorum talem ſuccum copioſum fundat, tumoreſque ex tali ſucco concreto patiantur ſæpe. *Arteriæ & venæ.*

59. Ligamentorum uſus multiplex eſt, (1) partes inter ſe firmiter nectere, cum tenaciſſima ſint, (2) in ſuo naturali ſitu conſervare, (3) permittere tamen, ut nexa pars moveri poſſit, ſed ablata cauſa ut contractilitate ſua reducant in priorem ſitum, (4) ſuſtentare partes ut hepar, veſicam urinariam, uterum. *Uſus.*

60. Ligamenta, præprimis in ſenibus, & multis exercitiis aſſuetis, convertuntur in callum rigidum, cartilaginem, oſſeam duritiem, qua mutatione rigeſcunt membra: vel relaxata permittunt nimis facilem luxationem, & mutatum partium ſitum: Rumpuntur valida vi, contunduntur, vulnerantur, inflammantur: unde mala. *Morbi.*

61. Denique Organorum Diviſio (14, 5) finit hoc Caput. Sed quia de his ſuperius eſt actum (12) non erit opus repetere. *Organa.*

CAPUT IV.

De Humoribus.

62. IN generali diviſione (10) nunc ſequi debent Humores, qui ſunt vel *Naturales*, vel *Morboſi*. *Humorum diviſio.*

63. Naturales autem humores ſunt (1) *Circulatorii*. (2) *Secretorii*, quorum quidam per totum feruntur corpus, ut ſpiritus & ſuccus nervorum; ex iis ad obliniendum deſtinati ſuccus arteriarum & venarum: alii pro tempore colliguntur, uti Pinguedo, quo pertinet etiam oſſium Medulla. Alii autem quadam ſpeciali parte ſegregantur, habentes vel emunctorium commune viſibile, vel eo carent. (3) *Excretorii*, ex quibus quidam omnino inutiles, uti perſpirabile, urina, alvi excrementa; alii autem ſimul ſervientes, ut lachrymæ, cerumen, narium mucus &c. (4) *Advectitii ſeu nutritii.* *Naturales.*

64. Morboſi humores quidam (1) acquiſiverunt nomen generale morboſum, uti pus, pituita, ichor. (2) Alii retinent nomen humoris ſani cum adjuncto vitio, ita ſanguis, ſerum, ſaliva, bilis, variis morbis inquinantur, & copia peccant. *Morboſi humores.*

65. Omnes morbi, qui in humoribus obſervantur, referri poſſunt (1) ad quaſdam particulas humoris, (2) ad totam maſſam. *Morbi humorum.*

66. In particulis quibuſdam humorum has mutationes invenimus: (1) quæ referuntur ad magnitudinem, (2) figuram, (3) pondus, (4) cohærentiam inter ſe, (5) conſiſtentiam. *Particularum morbi.*

67. *Magnitudo* duobus modis peccare poteſt, quum ſingulis corporibus ſua ſit naturalis particularum magnitudo, ut ſit igitur ſanis *major*; tales partes ſi ire debent per vaſcula unicam particulam ſimul tranſmittentia, facile obſtruunt illa. Arteriæ adducunt tamen ſanguinem; hinc implentur, tument, infarciuntur, majorque cordi moleſtia in propellendo ſanguinem, defectus tenujoris in vaſis minimis ſiccitas. Quum vero particulæ fiunt *Minores*; vaſa majora inaniuntur, defectus circumducendi, evacuatio copioſior, vel collectio in cellulari tunica & cavis corporis, cum frigiditate & pallore corporis. *Magnitudo. Major. Parvitas.*

68. Quum omnes partes humorum, quantum viſus penetrare poteſt, habeant figuram ſphæricam, omnis receſſus eſt morboſus, quoniam non eſt conveniens cavitati vaſorum cylindricorum. In hac mutatione tranſitus obſervatur in aliam Figuram Obtuſam, vel Acutam. *Figura mutata.*

69. Obtuſam figuram induunt partes ſphæricæ, vel ita manet figura in partibus ſanguini traditis, quoties actione vitæ debiliores agitantur humores, quod ex pulſu debili, frigiditate, & mollitudine corporis conjicitur, cum corporis diuturniore quie- *Obtuſa figura.*

te, & ſomno longiore: facile hujuſmodi partes colliguntur in tunica cellulari, membraniſque mucum ſecernentibus, & circa glandulas: ſomnus his longior, etiamſi eum amant, vires magis opprimit. Senſim auctis exercitiis, ſtimulantibus, calefacientibus, & roborantibus, tandem in figuram ſphæricam rediguntur.

Acuta figura. 70. Globuloſa figura particularum naturalis commutata in quamcumque aliam anguloſam tali cohærentia donatam, ut actione vitæ vix aut non poſſit commutari in ſphæricam, vel ſi talia ingeruntur, alimenti, vel medicamenti, aut veneni nomine, præbet nobis Acrimoniam variam, ſive libere circumducantur cum aliis humoribus, ſed impingentes in latera vaſorum coercentium, ſive infixe hæreant lateribus vaſorum. Tales particulæ nullâ aliena qualitate donatæ, ut operentur actione Mechanica, pariunt dolorem, vel verſatilem vel fixum, atque motum vitalem actum, cum corporis vel partis incaleſcentia: ſed ſi adſit natura nitroſa, vel & acida, ſæpe præter dolores minuunt motum vitalem, & inducunt frigus. Interdum vaſorum cohærentiam ſolvunt, ut coerciti humores effundantur; atque ſtimulo ſæpe partium tumorem faciunt. Omnes humores boni, ſuperveniente motu automatico, uti in ſtagnatione & motu minore, vel quando nimis valide moventur, in talem acrimoniam mutari poſſunt. Hæc acrimonia multiplex eſt: (1) ut variant ingeſta acria. (2) prout diverſus humor per corruptelam in acrimoniam mutatur. (3) prout variam genus corruptelæ produxit acrimoniam. Unde effectus ex diverſitate acrimoniæ varii, atque inſuper ex parte corporis, ab hac acrimonia tentata.

Gravitas aucta. 71. Poteſt naturalis humorum gravitas fieri major in tota maſſa, vel in quibuſdam dumtaxat partibus: hoc ſi fiat, partes graviores colligentur ad loca decliviora, & locis ubi debilior eſt pellens cauſa, ut patet in fluentibus liquoribus per canales in hydraulicis. Tota autem maſſa gravior majorem impactum facit in latera vaſorum.

Levitas. 72. Sanguinis naturalis gravitas major, quam aqua pura vel & reliqua ingeſta alimenta, declarat, actionem vitæ hanc majorem gravitatem produxiſſe; quare motus debilior producit levitatem, vel ſi aquoſa copioſius ingeruntur, cum corporis quiete. Levitas nata tam ex cauſa producente, motu ſcilicet languidiore, quam ex minori impactu maſſæ levioris, producit corporis frigiditatem & laxitatem.

Tenacitas. 73. Inter partes liquoris firmior nexus, quam qui ſuperari poteſt actione vitæ, variis ex cauſis naſcitur, ut motu vitali aucto, in lentore: motu minore, ut in viſcido: ſtagnatione, ut in polypo & concretionibus; frigore glaciali; calore urente; coagulante admiſto; congregatione ſimilium partium inter ſe: fiunt hinc obſtructiones, ſtagnationes, indurationes, deficiens ſecretio & excretio, impedimentum circulationis.

Cohærentia laxior. 74. Quæ humoribus miſta potentiam attrahendi extinguunt, minus cohærentes faciunt partes, quam ad ſanitatem & vitam conſervandam requiritur: ita enim partes ſolutæ vix amplius colligi poſſunt in vaſis majoribus, & ad emunctoria venientes effluunt; unde diarrhœa, hæmorrhagia, urinæ profluvium, ſudor colliquativus, ptyaliſmus: quales morbi ab infectione peſtilentiali, morbo epidemico, & endemico, abuſu ſaponaceorum, ſalium lixivioſorum, & putredine ſæpe inducuntur, aut quando vis vitæ debilior, ex ingeſtis minus cohærentibus, non valet debitam tenacitatem conciliare partibus.

Error loci. 75. Denique humores, in principio omnes miſti, dum projiciuntur ex ventriculo ſiniſtro cordis, deinceps facta ſecretione ſuis in locis propriis debent colligi: hoc ſi non fiat, fit morbus ex loco alieno, qui vocatur Error loci. Ut particulæ rubræ ſanguinis in vaſis ſeroſis, & lymphaticis, aut cavis corporis; ſeroſæ in lymphaticis; lympha in loco pinguedinis; bilis diſperſa per totam maſſam ſanguinis, ut in Ictero.

Morboſi humores proprium nomen habentes. 76. In quibus morboſis humoribus non attendunt Medici & Chirurgi ad nomen ſani humoris (64, 1), inquirendus eſt humor ſuppeditans materiem, & cauſa mutans: ut eſt humor *Bilioſus*, etiamſi proprium nomen Bilis habeatur, cum non concipiatur bilis naturalis corrupta: ita etiam *Melancholicus* humor, & *Lympha*.

Præ-

Præter hos invenitur Pus, Ichor, Pituita, Cancroſum, Catarrhoſum, Rheumaticum, Eryſipelatoſum, Colliquativum, Gelatinoſum, Glutinoſum, Lentor, Mucoſum, Oedematoſum, viſcoſum.

77. Aliud autem genus (64, 2) morborum in humoribus nomen retinet ſani humoris & naturalis, cum addito nomine hujus morbi ſeu vitii. In his autem primo proponenda vitia abſoluta, quorum quædam adjiciemus, omnia autem perſequi nimis longum foret: ut eſt Tenacitas, Denſitas, Craſſities, Tenuitas, Coagulatio, Expanſio, Putredo, Auſteritas, Glutinoſitas, Acrimonia, & quæ majorem & minorem quantitatem atque defectum exprimunt, aut vitiatum motum declarant. Dein vero iidem morbi perſequendi in quovis ſpeciali humore naturali corporis humani, quod perfici nequit, niſi antecedat eorum naturalium humorum intellectus. *Nomen ex ſanis habente.*

78. Etiamſi Tenacitas in partibus firmis (19) non cenſetur inter morbos, in humoribus tamen, quorum partes actione vitæ ſeparari debent, ad morbos referri debet. Ut ſi tanta ſit inter partes liquores conſtituentes, vel & inter iſtas, & partes firmas, juxta, & per quas fluere debent, cohærentia, ut ſolita vitæ actione non poſſit ſuperari; talis humor igitur, qui loco moveri debebat, ſubſiſtit, reliquorum tranſitum intercipit, & functiones a transfluxu pendentes ceſſare facit. Hæc vero Tenacitas natura admodum differt, prout variis generatur cauſis, ut a motu minore, majore, & perfecta ſtagnatione, frigore glaciali, calore urente, coagulante admiſto, vel congregatione ſimilium partium inter ſe. Quare ad Tenacitatis ſolutionem generalia non poſſunt tradi medicamina. *Tenacitas.*

79. Quum partes ſanguinis ponderoſiores magis ad ſe invicem urgentur, depulſa parte leviori; vel dum ipſæ partes ponderoſiores redduntur, magiſque cohærentes, talis humor dicitur Denſus, & ſpiſſus, cujus generationis unicam novimus cauſam, actionem nempe vitalem fortiorem compingentem. Denſitas ergo, nata moderatiori motu vitali, quiete motus muſcularis, ſaponaceis aceſcentibus, refrigerantibus, aquoſis, & reſolventibus, cum largiore evacuatione eſt curanda. *Denſitas.*

80. Humor fit Craſſior, ſi colligantur, vel generentur partes majores, aut partes minores acquirant potentiam cohærendi majorem, aut ſi hæc ſimul fiant. Quare additio tenuioris, & exſtinctio potentiæ uniendi, qualia ſunt Reſolventia, huic vitio medetur. *Craſſitudo.*

81. Craſſitudini oppoſita eſt Tenuitas, quæ fit collectione vel generatione partium minorum, vel diminutione potentiæ cohærendi: difficilius autem ad debitam ſpiſſitudinem redigi poteſt, cum craſſiora ingeri nequeant; ſpiſſitudo producenda fit aucto motu vitali, quo ſimul nimis copioſe extruditur tenue, & inducta potentia cohærendi major, per adſtringentia vel coagulantia, nobis fit aliena. Quare motu vitali, & animali aucto lente, & uſu roborantium prudenter reſtituenda eſt debita ſpiſſitudo in humoribus. *Tenuitas*

82. Si quædam partes, vel & omnes partes maſſæ liquidæ, quæ antea libere inter ſe moveri potuere, ita concreſcant, ut inde formetur corpus firmum, mutatio hæc vocatur Coagulatio: quæ in quieſcentibus liquidis producitur coagulo admiſto, & majore frigore, & in quibuſdam noſtris humoribus etiam calore adurente; in fluentibus liquidis ſæpe ſola ſtagnatio ſufficit; imo ſpontanea mutatio quoſdam liquores coagulare facit. Coagulum inductum exſtinctione coagulantis, modico tepore, vel & ſuperveniente putredine, iterum reſolvitur. *Coagulatio.*

83. Expanſio ſeu rarefactio humorum tunc fit, ſi eadem moles fiat major ſine aucta gravitate, ut diximus in partibus firmis (32). Quoniam ſanguis non eſt compreſſilis, vel expanſilis, a minori compreſſione non rareſcit; verum aucto calore cum reliquis expanditur. Sed ſi pars aquoſa in vaporem convertitur, vel aer adhærens ſeparatur in motu inordinato vaſorum putredine, & effervescentia, moles admodum expandi poteſt, ut experimur in hyſtericis, venenis aſſumtis, morbis putridis, & tympanitide. Medicamenta igitur carminantia varia eſſe poſſunt, tollentia has cauſas, ut iterum jungatur aer productus humoribus. *Expanſio.*

84. Humores motu automatico ita mutati, ut præbeant fœtorem conſtantem *Putredo.*

oleo ſoluto cum alcali volatili, quo motu ſimul diminuta eſt potentia cohærendi inter partes, qui motus inhibetur naturali motu vitali: talis mutatio vocatur Putredo. Hæc inducitur vel ſponte, dum motu vitali minore, vel nullo non inhibetur motus ſpontaneus putrefaciens, uti in tardiore motu, & perfecta ſtagnatione: vel inducitur nimio motu vitali, & aucto calore, præprimis ſi adjuncta ſit humiditas; vel generatur admiſtis putrefacientibus, inſpiratis cum aere, applicatis ad corpus, aſſumtis per os. Permittenda ergo non eſt in curatione ſtagnatio perfecta, vel nimis parvus motus, neque motus nimis inſtigandus, evitatis omnibus, quæ putrefaciunt, & nimium calorem cum humiditate excitant, adhibenda, quæ non facile putreſcunt, putrediniſque progreſſum inhibent, acida, & aceſcentia, ſi calor, & humiditas ſit cauſa; ſed reſinoſa, & gummi aromatica, atque ſpirituoſa, ſi ex deficiente motu fiat putredo.

Auſteritas. 85. Humor potentia adſtringente acida donatus, qua aliis miſtus iſtos coagulat, parteſque firmas conſtringere facit, conſtans acido immaturo & terra, vocatur auſterus. Hic autem raro formatur in nobis, niſi pinguedo convertatur in Acidum, uti in melancholicis; ſæpe autem hujuſmodi ingeſtis actione vitæ non ſubactis, formatur. Quare auſterorum ingeſtio evitanda, & motus chylificationis organi inſtigandus, & roborandus: atque talia ingerenda, quæ extinguunt acidum, minuunt adſtrictionem auſteri, atque majorem motum faciunt; ut ſunt ſalia alcalia fixa, & volatilia, ſapones alcaleſcentes, aromatica, ſtimulantia, calefacientia, nunquam autem ſanguis mittendus; interdum ducenda alvus, ſi in primis viis abundat auſterum.

Glutinoſitas. 86. Humores magis cohærentes facti, non ex virtute circulationis, ſed hujuſmodi glutinoſis ingeſtis, ſive ex farinoſis, mucilaginoſis, ſive gelatinoſis piſcium vel animalium aſſumtis, in primis viis producunt præcipue glutinoſum; a quo non multum diſtat mucoſum obliniens, & pituitoſum noſtrorum humorum; rarius autem glutinoſum in reliquo corpore abundat. Semper agnoſcit debiliorem actionem vitalem. Quare, ſi abundat in primis viis, glutinoſum educendum vomitorio, & purgante, ulterius evitanda ingeſtio glutinoſorum: ſed præbenda reſolventia, ſaponacea, calefacientia, & ſtimulantia.

Acrimonia. 87. Particulæ humoris frigidæ figura acuta donatæ, qua impetus fertur in parva ejus parte, faciunt humorem acrem; quæ acrimonia varia: (1) prout ex varia formatur materia, ut ex ſanguine, bile, pinguedine, ſale; (2) ex variis ſymptomatibus; ut eſt calida, frigida, Inflammatoria, Eryſipelatoſa, Herpetica, Rheumatica, Catarrhoſa, Morbilloſa, Varioloſa, & multa alia; (3) ex morbo, cancroſa, ichoroſa, cruda, ſcabioſa. Sed multæ aliæ ſunt ſpecies, quæ omnes hic recenſeri nequeunt. Harum ſpecierum curatio conſiſtit in emendando, evacuando, obvolvendo, obtundendo, derivando, & diluendo, prout eſt natura acrimoniæ.

LIBER II.

CAPUT I.

De Ossibus.

88. POst generalem divisionem partium firmarum, & fluentium, cum earum morbis, ordo dictitat, simili methodo tractare corporis partes, his binis constantes: inter quas generalissimas invenio Ossa, quæ simul pro reliquis firmamentum præbent. In his primo exponetur fabrica, dein morbi, qui in hac fabrica cadere solent.

Ossium Definitio.

89. Partes nostri corporis firmissimæ, nec extensiles, nec compressiles, vix flexiles, sola magna vi separabiles, ad fulciendas, muniendas, & dirigendas partes molliores destinatæ, molles in fœtu, duriores in puero, durissimæ in adultis, dicuntur Ossa, quæ ergo integram partem divisionis partium firmarum complectuntur.

Divisio.

90. Generalis divisio ossium potest esse; (1) in Os ipsum, (2) Periosteum, (3) Medullam, (4) Apophysin, (5) Epiphysin, (6) Cartilaginem, (7) Glandulas mucilaginosas articulorum, (8) Numerum omnium ossium, (9) Syntaxin seu Articulationem ossium.

Diaphysis.

91. Ossa, præprimis majora, distingui solent in tres partes, quarum media, & præcipua atque durissima Anatomicis vocatur *Diaphysis*; utræque autem extremitates, quibus cum aliis adjacentibus ossibus committuntur, dicuntur *Epiphyses*; quædam autem notabilis ossis eminentia reliqua vocatur *Apophysis*.

Examen Chemicum.

92. Os, cum sua membrana & medulla, recens vase destillatorio receptum, sine ulla addita materia, sensim majore ignis gradu vexatum, (1) exhibet aquam simpliciſſimam, aliquomodo fœtentem. (2) spiritum, sub forma nubeculæ albæ, constantem aqua, sale volatili, & oleo volatili fœtido. (3) adscendit sal volatile, sub forma ramorum arboris, constans puro sale volatili, & flavo, vel rubello oleo fœtido. (4) dein adscendit oleum paulo ponderosius, flavescens, fœtidissimum. (5) ultimo ascendit oleum ponderosius, fœtidissimum, nigrum, & tenax oleum, constans oleo, pauco sale volatili, & terra. (6) remanet in fundo vasis, hucusque clausi, os nigerrimum, fragile, non sonorum, vix in figura mutatum, constans oleo fixo cum multa terra. (7) in hac operatione simul producebatur magna quantitas aeris. (8) hoc dein os nigrum, igne aperto combustum, amittit omnem nigredinem, quam ex oleo fixo habebat, remanente mera terra albissima sine ullo sale. Constant ergo ossa spiritu specifico, aqua, oleo fixo, & volatili, sale volatili, terra, & aere.

Generatio.

63. Quum omnes partes firmæ, & ipsa ossa, in principio fiant ex liquoribus, ossa in embryone vix majorem quam gelatinæ consistentiam habent, sensim autem increscente ætate duritiem membranæ, dein ligamenti, postea cartilaginis, & ultimo fiunt omnium firmissimæ, & durissimæ partes.

Fibræ Ossium.

94. Fibræ, seu filamenta ossium, eodem modo, ex partibus elementaribus componuntur, ut partes reliquæ solidæ: (16) hæ præcipue secundum ossis longitudinem decurrunt. Harum exteriores sunt longissimæ, quæ, si ad ossis extrema pervenerunt, inflectuntur, veniunt fibris oppositi lateris obviæ, quibus confunduntur, & coalescunt. Quæ interius locatæ sunt, ad extrema ossium venientes,

tes, ab exterioribus recedunt, relinquentes cellulas; quare ossa duriora, & magis compacta circa medium, quam ad extrema. Internum ossis meditullium constituentes, in parvis ossibus admodum corrugatæ, totam ossis cavitatem, cellulis formatis, implent; sed in ossibus majoribus circa medium magnam relinquunt cavitatem, in qua sæpe fulcimenta, vel columnas transversas formant. Unde ossa parva interdum ubique in omni sua parte sunt æque dura.

Lamellæ. 95. Fibræ hæ lateraliter junctæ, & cohærentes, paulo tamen debiliori nexu, quam est secundum longitudinem, formant figuram planam, ut fit in membranæ (39) formatione, qualis lata expansio in ossibus vocatur Lamina, seu Lamella. In osse femoris plus quam triginta lamellas super se invicem locatas detexit industria Anatomica. Demonstratur quoque hæc structura in exfoliatione, cornubus animalium, microscopii inspectione, sedula separatione.

Pori. 96. Lamellæ ossium transverse perforantur multis exiguis poris, plures autem sunt in lamellis interioribus, quam exterioribus, nullibi situm ordinatum servantes, raroque plus quam duas, aut tres lamellas recta via perforantes; hi respondent poris periostei interni, & membranæ medullæ, desinunt in canaliculos, inter lamellas parallele currentes, ita ut hi pori cum canaliculis constituant vascula exilissima, medullam ad omnia puncta ossium ducentia, via admodum inflexa.

Foramina. 97. Aperturæ poris majores, magisque recta via per ossium substantiam penetrantes, Foramina dicta, varia inveniuntur in ossibus: (1) in ossium extremitatibus, ut transmittant medullam in articulos. (2) in medio ossium majorum, pro ingressu arteriæ, & nervi. (3) simile foramen in maxilla inferiore, pro introitu arteriæ, venæ, & nervi dentium. (4) in ossibus superioribus cranii penetrantia, ut in osse frontis, & ossibus syncipitis, ad latera futuræ sagittalis, quæ tamen sæpe deficiunt. (5) multa, ac magna ad basin cranii, pro exitu nervi, & venæ, introitu arteriæ, quæ seorsim tractari solent.

Superficies. 98. Externa ossium superficies æqualis admodum, & lævigata, nisi ubi affiguntur tendines, vel aponeuroses musculorum, ad firmiorem nexum, sæpe etiam istis locis magnas facit eminentias: ossa præterea cranii foveas insculptas habent, vasis adjacentibus respondentes; maximæ sunt in cavo calvariæ, in quibus conduntur sinus cerebri laterales.

Sepimenta. 99. In ossibus majoribus, cavitate magna donatis, medulla plena, sæpe unum vel plura sepimenta, seu trabes, vel sustentacula ossea, inveniuntur, ab uno latere ad alterum oppositum trasverse vel oblique protensa, totam tamen cavitatem in plures perfecte non sepientia, ex durissimis lamellis ossium facta; ut nimiam pressionem medullæ incumbentis subveniant.

Cellulæ. 100. In ossibus minoribus tota interna cavitas cellulis cancellatis distincta est, oleo medullari plena, quæ ita cancellatæ sunt, ut ex una in alteram liber sit medullæ transitus, formatæ a crispatis ossium laminis, hæ autem cellulæ in ossibus majoribus circa ossium capita, vel extremitates, frequentiores: in medio sæpe relinquunt amplam cavitatem.

Cavitates internæ. 101. Ossium omnium cavitates intus medulla plenæ, vel in magna cavitate, vel cellulis coercita, nisi in ossibus cranii, & maxillæ superioris, ut in fronte sinus frontales, & in maxilla superiori sinus maxillares, & ephippii, quum hic non requiratur medullæ præsentia.

Arteria, vena, nervus. 102. Quum os nutriri, & medulla secerni debeat, communia omnia circulatoria vasa adeunt ossa; minora cuncta hæc vasa accipiunt ope periostei; sed in majoribus ossibus arteria, & nervus interdum per speciale foramen ingrediuntur, & in membranam medullæ evanescere videntur; venæ omnes in periosteum redeunt.

Corollaria. 103. Ex cognita ossium structura sequentibus facile responderi potest.

An Cranii interna cava superficies pro ossium cavitate est habenda?

Simplici nudo conspectu ita videtur, cum ossa cranii incurventur, & intus

condant cerebri medulloſam ſubſtantiam, hinc veteres decepti. Sed quia multis in locis, inter exteriorem, & interiorem duram cranii laminam, continetur celluloſa ſubſtantia in planam figuram expanſa, hæc pars media pro cranii cavitate oſſea eſt aſſumenda.

104. Cur oſſium lamellæ exteriores interioribus magis compactæ?

Ut non facile injuriis externis diffringantur, firmiora eſſent ſuſtentacula, & in cavitate potuiſſent colligere medullam articulis ſuppeditandam.

105. Cur oſſa majora etiam per ſpeciale foramen admittunt arteriam, & nervum?

Major videtur requiri, ad medullæ ſecretionem, quæ in articulorum motu conſumitur, copia humorum, quam adferri potuiſſet arteriis, & nervis, ex perioſteo provenientibus, quæ autem intrant maxillam inferiorem, ſimul nutriendis dentibus ſerviunt.

106. Cur arteriæ perioſtei ſe in oſſis ſubſtantiam inſerunt?

Omnia oſſa creſcere, & nutriri debent, & in ſe ſecernere medullam, quæ ſine communi circulo ſanguinis fieri nequeunt: his igitur arteriis ille inducitur ſanguis, imo & in iis, quæ præterea ſpeciale foramen habent.

107. Quomodo nutritur os, & ſecernitur medulla, ſi os caret arteria magna, os intrante?

Arteriæ parvæ perioſtei, oſſis ſubſtantiam intrantes, & ipſi nervi, huic negotio ſufficiunt in parvis oſſibus.

108. Ubi manet ſanguis, arteria per foramen intrante adductus, cum non invenitur vena major egrediens?

Qui contendunt, omnem illum adductum ſanguinem in medullæ ſecretione, & oſſis nutritione conſumi, a vero aberrant; multum quidem tribuitur medullæ, ſed reſiduus ſanguis reducitur per venas perioſtei.

109. An oſſa nutriuntur ſua propria medulla?

Nutritio eſt actio generalis non egens ſpeciali medullari liquido; imo oſſa quædam cranii medulla carentia etiam nutriuntur; quare adfertur vaſis ex perioſteo ſe inſinuantibus in oſſis ſubſtantiam, eodem modo, quo aliæ partes nutriuntur, cum perioſtei ablatio ſimul tollat oſſis nutritionem.

110. An Chylus, ſanguis, vel ſuccus nervorum, nutrimenti materia?

Color oſſium albicans non arguit chylo nutriri, qui crudus eſt humor, egens ulteriore confectione: omnes autem hi humores ſimul videntur, ut ubique in corpore ſuppeditare materiem, maxime autem id gelatinoſum, quod invenitur in ſanguine.

111. An oſſis ſubſtantia ſentit?

Nulla pars in nobis, niſi ſolus nervus ſentit, qui cum in oſſe pauciſſimi, & inter oſſium laminas indurati, atque oſſium duritie ita muniti ſint, ut tangi non poſſint, oſſa vel nullum, vel obſcuriſſimum ſenſum habere poſſunt.

112. An oſſa omni ſenſu privata, cum ablato perioſteo abſcindi poſſunt ſerra, ſine doloris perceptione?

Avulſio fragmenti, & ſpina ventoſa non fit ſine dolore, ſed quoniam privatio perioſtei ſimul deſtruit nervum ingredientem, etiamſi fuiſſet os donatum deinceps ſentire non potuiſſet, minus autem acute ſentiunt oſſa, quam partes reliquæ corporis.

113. An abraſio capillorum, & applicatio topicorum capiti, medentur capitis morbis?

Methodus eſt veteribus uſitatiſſima, ſed neotericis, ob durum interpoſitum cranium repudiata, ſed quoniam multa vaſcula tranſverſe permeant cranium in multis, & ſæpe his multum levaminis morbis capitis fuit allatum, non erit repudianda curatio.

114. Quomodo oſſa corrumpi poſſunt ſine dolore?

Quum oſſis ſubſtantia ſine nervo omni careat ſenſu, quoties igitur nervus os adiens

adiens ſit compreſſus, vel abſciſſus, reliquum os corrodi poteſt ſine ullo ſenſu, ut fit ablato perioſteo.

115. An oſſa pueris mollia, ut creſcere poſſint?

Hæc mollitudo complanationem oſſium, & deformitatem admitteret, uti in Rachitide, atque lignum etiam durum arboris creſcere poteſt.

116. An oſſium mollitudo in pueris ad præcavendas fracturas?

Cum corpora mollia facilius frangantur duris, adultis duriora fieri debebant, qui duriores labores ferre debent, quam pueri.

117. Cur eo in loco oſſis major dolor, ubi affigitur tendo?

Cum pars illa totam muſculi contractionem ſuſtentare debeat, & partis dolentis dolor augeatur tenſione.

De Perioſteo.

Perioſteum. 118. Membrana admodum tenſa, firma, ſenſu exquiſitiſſimo prædita, vaſis cruentis ſcatens, qua teguntur omnia oſſa, (excipiuntur partes dentium extra gingivas prominentes, & oſſium capitula, & cavitates in articulis,) vocatur *Perioſteum*, ubi ſimilis membrana tegit cartilaginem, qua obteguntur illa oſſium extrema, vocatur *Perichondrium*, atque perioſteum, externam tegens cranii ſuperficiem, vocatur *Pericranium*. Quod tamen, ob nexum cum dura matre, per ſuturas, & vaſa tranſeuntia cranii foramina, majorem conſenſum exercet.

Perioſtei fibræ. 119. Conſtat ſerie propria fibrarum parallele ſecundum oſſis longitudinem currente, quæ etiam aliquomodo lateraliter cohærent, parum vero adhærentes oſſi ſubjecto, niſi per vaſa, quæ ex eo in os deſcendunt, accurate omnes foveas, & eminentias tegente. An vero ab uno oſſe tranſeat per ligamenta articulorum ad aliud os, an vero finiatur in perichondrium cingens oſſis cartilaginem, vel faciat utraque, non conſtat inter Anatomicos. Altera autem ſeries irregularem curſum facit, non æque denſa ſeries harum, ut præcedentis; ſed copioſiores fibræ, ubi affiguntur muſculi oſſi: ut hæ fibræ ex tendinibus, & aponeuroſi muſculorum oriri videantur.

Vaſa. 120. Omnia genera vaſorum diſtribuuntur per perioſteum ab adjacentibus partibus, ut arteriæ, & venæ cruentæ, & Lymphaticæ, atque copioſiſſimi nervi, ut ex ejus acuto ſenſu conſtat.

Uſus. 121. Conducit, & reducit vaſa, quæ ad oſſis nutritionem, & medullæ ſecretionem deſtinata ſunt: 2. Limites incrementi ponit: 3. nectit apophyſes oſſi ipſi: 4. fulcimentum præbet nectendis tendinibus, & capitibus muſculorum.

Perioſteum internum. 122. Oſſa, magnis cavitatibus donata, in cavis cinguntur tenuiſſima, & minori ſenſu donata membrana, admodum poroſa, pro medullæ tranſitu, quæ forſan eadem eſt cum membrana medullam cingente, videtur celluloſa, quæ ita diſtribuitur per cellulas oſſium, & format cellulas medullæ. Videtur formari ex tunicis vaſorum, & nervorum, quæ oſſa intrant. Quidam putant generari a filamentis perioſtei externi.

Corollaria. 123. Ex dictis intelligimus.

An pericranium non eſt verum perioſteum?

Pericranium nihil differt a perioſteo, niſi quod hoc cerebro propinquius: nexus cum filamentis, & vaſis duræ matris tamen non patitur a reliquo perioſteo iſtud diſtinguere; ejus tamen læſio periculoſior eſt.

124. Cur os perioſteo privatum corroditur carie?

Omnis pars communi circulatione privata moritur, & corrumpitur, ergo, quia ablatio perioſtei tollit vaſorum communicationem, corrumpitur etiam os, quæ corruptio vocatur Caries in oſſe.

125.

125. An perioſteum ex dura matre natum?

Non magis, quam ex pleura, vel peritonæo: videtur ſuo proprio ſtamine ſolido conſtare, ut reliquæ partes firmæ.

126. An perioſteum ex tendinibus muſculorum?

Increſſeſcit perioſteum, ubi uniuntur perioſteo fibræ tendinis, ſed illæ accedentes videntur adſcititiæ fibræ, verum perioſteum non conſtituentes; quod ordinatam fibrarum ſeriem habet.

De Medulla Oſſium.

Medullæ Definitio.

127. Materia pinguis, blanda, ſapida, inſtar butyri denſa, albicans, in magnis cavis oſſium, rubella, vel coloratior in cellulis, denſior quieſcentibus, & bene ſaginatis, tenuior minuſque pinguis multum exercitatis, in oſſium cavis hærens, vocatur Medulla.

Medullæ Membrana.

128. Hoc oleum medullare continetur tam in magnis oſſium cavitatibus, quam cancellis, in membrana quadam tenerrima, poroſa admodum, intus celluloſa, cellulis per poros communicantibus, dirigentibus oleum medullare: externa ſuperficies perioſteo interno contigua, vel potius eadem, ditata arteriis, & venulis, atque paucis nervis, ut tangentis ſenſu patet.

Medullæ Mutatio.

129. Naturalis conſiſtentia, color & natura, duriori labore, decrepita ſenectute, nutrimenti penuria, morbis multis, & corporis macie, mutatur in liquorem tenuiorem, ſeroſum, rubellum, minus pinguem. Sed non ſequitur lunæ mutationem.

Vaſa.

130. Adfertur per arterias, quæ per foramen ingrediuntur, vel ex perioſteo veniunt, omniaque puncta membranæ medullæ permeant, ſanguis; atque per nervos, qui pauci, & duritie oſſis vix aſſequendi, humor, ex quo medulla eſt conficienda, & ſecernenda; atque ſuppeditatur vitalis motus. Sanguis, reliquuſque reſiduus a ſecretione humor, venis aſportatur, quæ in perioſtei venis terminantur.

Via.

131. Secreta medulla in cavis, & cavernis oſſium pro maxima parte, ex cellulis medullaribus, per poros membranæ externæ medullaris, in foramina circa oſſium extremitates, atque in articuli cavitatem funditur: altera pars ad partes laterales oſſium delata ingreditur poros, tranſverſe, & parallele ſubſtantiam oſſis perreptantes, donec in oſſis ſuperficie a venis perioſtei recipitur.

Medullam propellentes cauſæ.

132. Accedens novus ſanguis per arterias urget antecedentem medullam, (2) motus vitalis membranæ medullæ continuat motum. (3) Juvatur motu articulorum, promovente medullæ effuſionem in articulos. (4) Motus muſcularis forſan urget liquorem per fibras tendinum uſque in oſſis cavum, ut extrudatur medulla.

Uſus.

133. Medulla ducta in articulos abducit oſſium ſuperficies, (1) ad faciliorem motum, (2) malaxat ligamenta, ut maneant tenacia, & ſequentia; (3) ducta per oſſa, ſervat ea tenacia, & firma. (4) Idem quoque præſtat in quibuſdam cartilaginibus, ut ſunt laryngis, quæ moveri debent.

Corollaria.

134 Ex his intelliguntur ſequentia.

Cur fertur medulla inter lamellas oſſium?

Ut tota oſſis ſubſtantia pingui oleo eſſet perfuſa, qua provenitur ejus ariditas, & fragilitas.

135. Cur in membrorum motu tanta medullæ copia funditur in articulis?

Reſponſio eſt duplex. (1) ut illa copia major, inſtar ſmegmatis, cum mucagine articulorum præberet articulorum facilem motum, qui eo tempore majorem copiam conſumens, etiam majorem affluxum exigit. (2) quia in ſpeciali articulo motu hæc copia major requiritur, illa hic duci nequit aucta generali circulatione; inde actione muſculorum motorum iſtius membri, per tendines eorum, circa hunc articulum affixos oſſi, videtur urgeri humor protrudens medullam, ut tranſudet in cavum articuli hujus.

136. Cur oſſa; quæ parum moventur, fere omni medulla carent?

Quum uſus primarius medullæ ſit oblinire articulum, ejus præſentia non requi-

ritur, ſi tale os non habet articulum, ut multa oſſa cranii. Defectus autem medullæ in patella ſuppletur oſſe femoris, & tibiæ.

137. An medulla omni caret ſenſu?

Ipſa pinguedo medullaris nullo ſenſu donata eſt, ſed quia per nomen medullæ ſimul concipiunt membranam medullæ, in hoc ſenſu medulla ſentit, ut patet punctura medullæ viventis animalis, & in ſpina ventoſa.

138. Cur ſtrepitus, & crepitus articulorum ex medullæ defectu?

Corpora ſicca ſe mutuo terentia ſtrepitum, & crepitum pariunt, quod etiam fit, ſi defectu medullæ ſe mutuo tangunt extrema oſſium in articulo.

139. Cur dolor oſteocopus, obtuſus, profundus, poſt multos labores, & exercitia?

Motu continuato articuli, tanta copia medullæ funditur in articulos, quæ tam cito in cavo oſſium reſtaurari nequit, ut oſſa intus medullari oleo privata, impleantur ſero minus molli, quod afficiens membranam medullarem hunc ſenſum profundum præbet.

140. Cur quies poſt valida exercitia facit articulos rigidos, & motus ſubſequens eoſdem reddit flexiles?

Perſeverantes labores terendo pinguedinem medullarem fecerunt tenacem, & privarunt oſſa medulla, ut tunc reſtet in articulis medulla tenax, cum mucagine; hæc in quiete concreſcentia faciunt rigiditatem. Renovatus motus facile concretam materiem fluxilem facere nequit, & tunc ſimul adducitur ſeroſum oleo medullari minus lubricum, in oſſe tempore exercitii collectum, quo difficilius poteſt moveri articulus; continuato autem motu ſenſim tritu, & calore articuli concretum fit fluxilius, & denique adducitur medulla tempore quietis in oſſibus collecta, quibus deinceps facilior fit articulorum motus.

141. Cur bene ſaginatis, & quieſcentibus animalibus oſſa medulla plena?

Nutrimentum præbet medullæ materiem, & quies concedit collectionem, quare alimenti defectus, & motus corporis, medullam, & reliquam pinguetudinem deterit, & exhaurit.

142. An medulla maſſa confuſa in cavis oſſium effuſa?

Ita exiſtimarunt ex tenuitate membranæ medullaris, quæ tamen ſuis cellulis admodum ordinate, ut in favo congerit medullare oleum.

143. An medullæ albor, & denſitas a nitro aereo?

Duplici, & futili hypotheſi hæc nititur ſententia, quia ſpiritus acidus nitri oleum denſat, & alborem ei conciliat; atque, talem ſpiritum in aere oberrare, a nobis inſpirari, & permiſceri oleo medullari, contendunt. Hæc per ſe ſatis abſurda ſententia non eget refutatione, cum oleum ſeorſim collectum quieſcens, tunica cellulari firmatum, facile ſuggerat denſitatem & alborem.

De Apophyſi.

Apophyſis definitio. 144. Dum oſſis filamenta ſeu laminæ, quæ ab una ad alteram oſſis extremitatem in oſſis externa ſuperficie regulariter tendentes, ab hoc ordine recedentes, ab oſſis reliqua ſubſtantia recedentes, ut ramus ex trunco arboris provenit, faciunt tuberculum naturale oſſium, quod intus plerumque magis ſpongioſum eſt reliqua oſſis externa ſuperficie; eminentia talis frequentiſſime vocatur Anatomicis Apophyſis, aliis prominentia, tuberoſitas, proceſſus, projectura &c.

Nomina. 145. Quaſi multiplicia ſynonima ad onerandam ſcientiam non ſufficerent, alia inſuper nomina ex uſu, & figura apophyſibus data ſunt; ut in Maxilla inferiore Coronoides, & Condyloides; ad baſin cranii Styloides, Pterygoides; ad partem ſuperiorem oſſis femoris Trochanteres; quæ varia nomina in particulari oſſium deſcriptione tradi ſolent.

Uſus. 146. Recedentes Apophyſes a generali oſſium directione variam (1) præbent partibus figuram, & formæ externæ elegantiam; (2) affixis muſculis præbent tractionis directionem, vel ut operentur tanquam vectes, vel dirigant quaſi per

si per trochleam ; (3) articulis firmiorem , & aptiorem præbent compositionem.

De Epiphysi.

147. Ossiculum minus ossi majori additum, in junioribus interveniente cartilagine , quod tamen cum ætate cum osse majore in unum idemque os concrescit, non ex fibris ossis majoris factum ut apophysis , vocatur Epiphysis , additamentum , adnascentia, & appendix: his fere omnia ossa, ubi articulum faciunt, suis extremitatibus obteguntur: conjunguntur corpori ossis per inæqualem superficiem. Differunt ab Apophysi , quum non generentur ex fibris ossis productis , sed ossi addantur interveniente cartilagine, licet in adultis cum reliquo osse in unum corpus concrescat: Differunt ab osse, quod exterius primo indurescit, dum Epiphyses primo in meditullio indurari incipiunt. *Epiphysis.*

148. Per Epiphyses has variæ formantur cavitates, & eminentiæ. Nam cavitas magna recipiens alterum os, ut in coxa, vocatur Cotyle ; minor autem, ut ibi scapula recipit humeri os, dicitur Glene; duæ tales cavitates lateraliter junctæ dicuntur Ginglymus: omnia autem sæpe uno nomine vocantut Acetabulum ; harum cavitatum margines sæpe vocant Labra. *Cavitates.*

149. His Epiphysibus si formatur in articulis eminentia convexa satis magna, eam vocant Caput; sed eminentia minor vocatur Condylus. Quæ eminentiæ in præcedentibus cavitatibus moventur, dum movetur articulus. *Eminentiæ.*

150. Cum ossa, Epiphysium interventu, faciant articulum mobilem, præcipuus usus videtur, commodam figuram, suis eminentiis, & cavitatibus , præbere articulis, ut membra moveri, & flecti possint ad usum necessarium. *Usus.*

151. Ex dictis hæc pauca intelliguntur: *Corollaria.*

An Epiphysis ossibus pro operculo, ne medulla effluat?

Corpora porosa liquore plena non dimittunt liquores , nisi alius novus liquor, vel aer accedat , quod hic fieri nequit ; atque ipsæ Epiphyses sunt etiam porosæ.

152. An Epiphyses porosæ ad ossis levitatem aliquid faciunt?

Hoc fieret in osse siccato, sed quia omnes pori liquoribus pleni sunt, nihil ad levitatem conferre possunt.

An fœtus Epiphyses molles , ut fœtus facilius complicatus hærere posset in utero?

Fœtus complicatus hæret in utero , flexis articulis in suis juncturis, non vero flexis Epiphysibus. Neque mollitudo statim cessat post nativitatem, ut canalis arteriosus, & venosus clauduntur post nativitatem, abrogato eorum usu : sed Epiphyses sequuntur leges generales, quibus constat, omnes partes in fœtu esse molliores, & sensim indurescere.

De Cartilagine.

Cartilaginis definitio. 153. Partes noſtri corporis firmæ maxime elaſticæ, molliores oſſibus, duriores autem ligamentis, & tendinibus, vix poroſæ, admodum compactæ, propria ſua membrana tectæ, albicantis coloris, ſuperficiei admodum lævigatæ, Cartilagines vocantur, extus cartilago mollior, intus durior, contra quam oſſa. Mollis admodum in fœtu, & pueris, ſed in adultis durior.

Fabrica. 154. Componitur Cartilago, ut oſſa, ſuis fibris, & lamellis, quarum interiores magis ſunt compactæ: ſubſtantia minus poroſa quam in oſſibus, & omni fere medulla carens, niſi in cartilaginibus laryngis, motui inſtar oſſium inſervientibus: ex ſua membrana, quæ *Perichondrium* vocatur, pauca accipit vaſa cruenta, paucoſque nervos, ut ex deficiente ſenſu conſtat: præcipua ſunt arteriæ, & venæ Lymphaticæ, multaque filamenta; unde candidus color, & firma cohæſio cum ſua membrana.

Mutatio. 155. In fœtu, vel embryone Cartilago vix magis, quam gelatina cohæret, ſenſim vero indureſcit, ut tandem in decrepitis commutetur in oſſis duritiem, ſed cartilago cavitates, & eminentes articulorum cingens raro induratur. Quædam Membranæ, & Ligamenta cum ætate etiam in cartilagines convertuntur. Hæc mutatio in laryngis cartilaginibus, & membranis vaſorum atque ligamentis, ſanitati obeſt.

Uſus. 156. Multiplex eſt Cartilaginum uſus. (1) Sua lævigata ſuperficie facilem concedere motum articulis. (2) Quædam oſſa jungere, qualis articulatio vocatur Synchondroſis. (3) Elaſticitate illudere externum impetum, ut in trachea arteria, & funiculo umbilicali. (4) Eadem elaſticitate ſervare partes mobiles erectas, ut in naribus, auribus, & palpebris. (5) In vaſis oppoſitam actionem circulationis præbent, dum omnia vaſa contractilitate conſtringuntur, ponentia impedimentum tranſeuntibus, hæc dilatando promovent, ut in arteria portarum, & fune umbilicali. (6) Loca quædam ſervant aperta, ut in larynge, ſeu reſtituunt figuram actione muſculi mutatam, quæ alias ab antagoniſtis fieri debuiſſet. (7) Exiguo ſuo ſenſu patiuntur impetum externum ſine multo dolore.

De Articulorum Glandulis mucilaginoſis.

Definitio. 157. Tractare nunc cogor partem, niſi vellem interrumpere ordinem, quæ poſtea eſt tradenda, ſupponendo cognitum, quid ſit glandula, ejuſque ſtructura, & uſus generalis: Talia corpuſcula igitur, quæ Anatomici vocant glandulas, in & circa articulos locata, ex ſecernente humore dicuntur Mucilaginoſæ, & ab inventore, Haverſianæ glandulæ, quæ mucilaginem omnibus articulis præbent.

Simplices, & compoſitæ. 158. Talia tubercula, ſeu glandulæ inveniuntur majores, & minores vix viſibiles, hæ minores in ligamentis articulorum tanquam fulcimento inhærent: majores vero in acetabulis tanquam corpuſcula diſtincta deteguntur; minores vocant ſimplices, majores compoſitas, ſeu conglomeratas.

Fabricæ. 159. Utræque ſpecies admodum tenaces, utcunque molles, non tamen friabiles, externe valde lævigatæ, magis quam in aliis glandulis. Simplices conficiuntur folliculo tenaci unico, intus cavo, emiſſario donato eructante confectum humorem in cavum articuli, vel vaginæ tendinis, ſi folliculus externe comprimitur; alias folliculus colligit in ſe hanc mucilaginem ad turgeſcentiam uſque. Compoſita duntaxat congregatione plurimarum ſimpliciſſimarum a ſimplici differt, quæ ſimplices multæ firmo ſtamine ſolido, tunicaque cellulari firmiter inter ſe colliguntur, ut ſit acervus ſimplicium firmus, & tenax, ſimplici major, & locatus in articuli cavitate: quidam con-

tendunt in modum cepæ tunicatim colligi, ut compoſitarum maxima conſtaret ſex tunicis ſeſe invicem cingentibus.

160. Tribus in locis hoc genus glandularum invenitur: (1) in ligamentis articulorum, (2) capſula tendinum, (3) cavo articulorum; quæ omnes partes in membrorum motu alterne comprimuntur, & dimittuntur, ut ſecretio iſtius humoris abſolvi videatur motu vitali, ſed ſecreti humoris evacuatio ex folliculis glandularum motu muſculi, & articuli: inde copioſiſſime ad tendinem tranſeuntem per annulum, vel hamulum: & in articulis ita, ut glandula aliquomodo per motum articuli poſſit comprimi, non vero deteri, quare fovea in acetabulo oſſis coxæ pro illa maxima glandula exſculpta eſt, & quo major eſt articulus, eo majores, & copioſiores inveniuntur, unde circa genu quatuor ſatis magnæ glandulæ deteguntur. *Locus.*

161. Glandulæ hæ Simplices unico emunctorio donatæ ſunt; ſed Compoſitę in toto ſuo ambitu multis exiguis emunctoriis prędite ſunt: unde patet, compoſitam glandulam meram eſſe congregationem ſimplicium, dum vero in aliis glandulis compoſitis formetur ductus communis, in quem reliqui ductus particulares ſuum confectum humorem corrivant. *Emunctoria.*

162. Ex arteriis, & venis cruentis, & lymphaticis, atque ex nervis, componuntur hę glandulę, quę vaſa omnia firmiter inter ſe nectuntur, & colliguntur ſtamine tenaci ſolido, atque tunica cellulari: hęc vaſa multas anaſtomoſes faciunt variumque ſed ſpecialem ſequuntur in his glandulis curſum, donec internam cujuſcumque folliculi attingunt ſuperficiem ubi emittunt ſecretoria, & abſorbentia: copioſiora ſunt cruenta circa glandulę mucronem, quam alibi: & cruenta in aliis animalibus inveniuntur majora, & copioſiora, quam in hominibus: quare in hominibus hæ glandulę magis albidę, & pellucidę, quam in multis animalibus. *Vaſa.*

163. Figura harum glandularum verbis deſcribi nequit, quum ſe accomodent loco relicto in articulo. *Figura.*

164. Qui in cavum articulorum funditur humor, ut inſtar ſmegmatis obducat oſſium partes in motu articuli terentes, ex tribus, vel quatuor fontibus venire videtur. (1) hic transſudat oleum medullare (131.). (2) ex tota interna ligamentorum ſuperficie ſine glandularum ſtructura etiam deponitur humor. (3) Denique ex glandulis dictis ſimplicibus, & compoſitis, qui ſua natura vix differt. Conſtat ergo mucilago articulorum materia oleoſa medullari, materia tenaciore glandularum, & tenuiore ex ligamentis, qui humores miſti, obducentes oſſium juncturas, facilem præbent motum ſine attritu. *Humor articulorum.*

165. Humor hic miſtus, tritu articulorum attenuatus, & alterno motu preſſus, urgetur in oſcula venarum abſorbentium, quę ſunt in ligamentis, atque ita reducitur, cum ex articulo nullum inveniatur prodire emunctorium. *Exitus hujus mucilaginis.*

166. Quia corpora ficca ad ſe invicem valide preſſa ſi moventur, ſe invicem deterrerent, difficile moventur, & cum incaleſcentia, & ſtrepitu, hic lubricus admodum erat interponendus humor, qui eo copioſius eo fertur, quo magis agitatur articulus. *Uſus.*

167. Ex dictis ad ſequentia facilis erit reſponſio. *Corollaria.*

An lien pro articulis conficit mucilaginem, quam ſanguini miſcet, & ducit ad articulos?

Hoc ſtatuunt, quia Lien inutile eſt viſcus, carens receptaculo, & emunctorio, & conficiens acidum. Quę omnia, vel inutilia, vel falſa ſunt: nam inde etiam contenderem urinam ſecernere; & acidi confectio lieni eſt denegata; neque eſt prępparator univerſalis ut pulmo; atque caret ductibus ad articulum confectos humores ducentibus.

168. Cur poſt Luxationem, vel diſtorſionem articuli, tanta deinceps rigiditas?

Fibræ ligamentis his contuſæ inflammantur, atque inde impedita muci ſecretio, defectum ſmegmatis parit, quo & inflammatorum ligamentorum difficiliore flexura, & extenſione generatur moleſtior, & difficilior articuli motus.

169. Cur poſt exercitia validiora, articuli ſtrepitus & calor, ſi moveatur?

Secretus mucus, ſi ſtatim expellitur ex glandulis, eſt tenuis; retentus aliquamdiu viſcoſus fit: medulla ſi motu conſumta eſt, in ejus locum accedit ſeroſus humor. Hæc duo fiunt continuatis exercitiis, quare tunc loco ſmegmatis liquor tenuis funditur in articulos, qui ſtrepitum, & calorem ex attritu articuli prævenire nequit.

170. Quomodo difficilis, vel impoſſibilis curatu Luxatio generatur ſine vi externa?

Si glandulæ mucilaginoſæ in articulis locatæ ſenſim intumeſcentes ita acetabulum oſſis implent, ut caput oſſis extrudatur.

171. Cur poſt articuli abſceſſum ſæpe articuli rigiditas, & concretio?

Pus hærens diu in cavo articuli perichondrium ſæpe corrodendo aufert; atque glandulas mucum ſecernentes deſtruit, defectu itaque muci, & aſperitate oſſium difficilior articuli fit motus; & ſi partes ita denudatæ diu retinentur in quiete, facile concreſcunt.

172. Unde tanta copia glutinis per fiſtulam circa articulum vel tendinem?

Multi exiſtimant liquidum eſſe nervoſum, ſed mucilago naturalis articulorum ligamentis coercita, vel tendinis vagina determinata, ſi inveniat aperturam, ut in fiſtula, effluit, atque ita privatur articulus, & tendo naturali ſua mucilagine.

173. Cur poſt Iſchiaticum diuturnum dolorem ſæpe claudicatio?

Si dolor ille ſedem habet in coxæ acetabulo, rodens, dolorem inferens, ita interdum magnam hic hærentem glandulam corrumpit, ut articulus moveri non poſſit, vel etiam corrumpit ligamenta, articulum hunc nectentia.

De numero oſſium.

174. In pueris multo major Numerus oſſium citatur, quam in adultis, cum multa puerorum in unum os coaleſcant, quæ autem in adultis pro diſtinctis oſſibus cenſentur, etiamſi quædam interdum firmiter concreſcant. Sunt ſequentia.

8. Cranii oſſa.
6. Auditus, ſeu auris oſſicula, tria in ſingula aure, niſi os orbiculare ſimul numeretur, quando eſſent, 8.
13. Maxillæ ſuperioris oſſa.
1. Maxilla inferior.
32. Dentes, in utraque maxilla ſimul, ſi numerus ſit completus.
1. Os Hyoides; alii dividunt in tria, quando Cornua pro diſtinctis oſſiculis numerantur; alii quinque, ſi Triticea dicta pro oſſiculis habentur.
4. Laryngis, quæ potius ad cartilagines referenda.
24. Vertebræ, nempe 7. colli, 12. dorſi, 5. Lumborum.
24. Coſtæ, ſcilicet 14. veræ, 10. ſpuriæ.
1. Sternum, quod ſæpe duabus, vel tribus partibus conſtat.
1. Sacrum os.
1. Coccygis os.
2. Innominata, quæ dividuntur in Ilion, Iſchion, & Pubis.
2. Scapulæ.
2. Claviculæ.
2. Humeri.
2. Radii.

2. Ul-

2. Ulnæ.
16. Carpi.
8. Metacarpi.
30. Digitorum.
2. Femoris.
2. Tibiæ.
2. Fibulæ.
2. Patellæ.
14. Tarsi.
10. Metatarsi.
28. Digitorum.
16. Ossicula Sesamoidea, plus, minusve.

---

258. Totus numerus omnium ossium in adultis.

De Syntaxi, seu Articulatione ossium.

175. Cum corpus nostrum variis, & multis ossibus sit compaginatum, hocque diversis modis; ordinis ergo ad hæc tria genera referri potest omnis ossium syntaxis: (1) *Arthrosis*, (2) *Symphisis*, (3) *Composita* Articulatio. *Articulatio.*

176. *Arthrosis* est omne genus articulationis, quod vulgo vocatur Arthron; quod nomen potius designat ipsum articulum, dum Arthrosis compositionis modum exprimit: in arthrosi, vel fit manifestus, vel obscurus motus, quare distinguitur in *Diarthrosin*, & *Synarthrosin*. *Arthrosis.*

177. Ossium naturalis commissura cum manifesto motu vocatur *Diarthrosis*, seu *Prosarthrosis*, quam in sequentes species distinguunt. *Diarthrosis.*

178. *Enarthrosis* denotat perfectam ossis syntaxin, ut eminentia, vel caput ossis satis magnum recipiatur a cavitate magna, & profunda, quali articulatione os non solum flecti, sed ad omnem directionem potest ferri, & circumduci, qualis est in coxa, inter caput femoris, & acetabulum coxæ. *Enarthrosis.*

179. *Arthrodia* minus profunda est articulatio unius capitis parum convexi cum acetabulo vix excavato, in qua articulatione facilis est agitatio ad omnem directionem flexuræ, uti inter os humeri cum scapula, inter os occipitis cum prima vertebra. *Arthrodia.*

180. *Ginglymus* cardiniformem articulationem denotat, in qua bina capita, seu eminentiæ ossis recipiuntur binis acetabulis alterius, inter quæ est eminentia, quæ recipitur a fovea inter capita prioris, in quo articulo alius motus, quam extensio, & flexura non conceditur, ut inter os humeri, & cubiti, inter os femoris, & tibiæ, inter articulos digitorum. *Ginglymus.*

181. Ossium articulatio qualis axis in rota, ut pars circumduci in girum possit, vocatur *Trochoides*, quemadmodum prima cum secunda vertebra colli. *Trochoides.*

182. Reliquæ species omnes articulationis cum manifesto motu, quæ non satis commode ad præcedentes possunt referri, dicuntur *Amphyarthrosis*, uti vertebrarum motus cubiti, & cruris invertens. *Amphiarthrosis.*

183. *Synarthrosis* denotat similem articulationem, qualem denotat Diarthrosis, sed cui deest motus manifestus, ut *Enarthrosis* in osse calcis cum Astragalo; *Arthrodia* inter os calcis cum ossibus cuboideis; *Ginglymus* in osse calcis cum talo. *Synarthrosis.*

184. Secunda species commissuræ ossium (175. 2.) est *Symphisis*, denotans veram ossium unionem, seu coalescentiam, in qua ossa inter se moveri nequeunt, ut concrescunt partes laterales maxillæ inferioris, ossa innominata pelvis. In hoc genere sequentes numerant species: *Harmoniam*, *Suturam*, & *Gomphosin*. *Symphisis.*

185. *Harmonia* est firma ossium commissura ita, ut ossa hæc jungantur, per li- *Harmonia.*

lineam rectam, circularem, & non admodum curvam, ſed ſimplicem, quali modo cohærent oſſa maxillæ ſuperioris, & oſſa naſi.

Sutura. 186. Similis eſt, ut Harmonia, oſſium ſyntaxis, ſed linea conjunctionis habet curſum inſtar dentis ſerræ, uti obſervatur in oſſibus cranii; ſi vero in tali ſutura linea deſcribit triangulum a Vitruvio vocatur *Securicula*.

Gomphoſis. 187. Os, unam, pluresve eminentias habens, quæ inſtar clavi, in alterius oſſis foveis, vel alveolis recipiuntur, vocatur articulatio per *Gomphoſin*, uti hærent dentes in utraque maxilla.

Compoſita articulatio. 188. Tertia articulationis ſpecies (175, 3.) eſt compoſita, in qua os oſſi non jungitur, niſi interveniente alia parte firma, ut (1) Cartilagine, quæ dicitur *Synchondroſis*, uti coſtæ cohærent ſterno. (2) Carne, qualis vocatur *Syſſarcoſis*, ut ſcapulæ adhærent coſtis, & os hyoides aliis partibus, per intervenientes muſculos. (3) Quæ autem oſſa colliguntur partibus mollioribus, & tenacibus albicantibus, quas vocarunt Veteres, nervos, hæc ſyntaxis vocabatur *Syneuroſis*: ſed quia Tendo, Ligamentum, & membrana, uno nomine vocantur Nervus, hanc ſpeciem ſubdiviſerunt in *Syntenoſin*, ut oſſa ſeſamoidea, & patella cum aliis oſſibus: *Syndeſmoſin*, ut fere omnia oſſa per ligamenta colliguntur, ſed præcipue os femoris cum acetabulo oſſis coxæ. *Synymenſin*, per intervenientem membranam, quemadmodum oſſa cranii in infantibus.

CAPUT II.

De Oſſium Morbis.

Diviſio generalis. 189. OS variis partibus conſtans, & aliis junctum, hæc diverſa genera morborum exhibet: (1) qui accidunt medullæ: (2) qui oſſis ſubſtantiæ; (3) qui membranis, & vaſis (4) qui articulis. Inter quos morbos Fractura, & Luxatio diſtinctis titulis traditur.

Medullæ Morbi. 190. Medullam in cavis oſſium abundare, vix exſtant exempla; eam autem deficere ex inedia, morbis longioribus, & exercitiis, ſæpius obſervatum fuit; ſed medullæ corruptio, quæ poteſt vocari Spina ventoſa, non ita infrequens eſt morbus.

Spina ventoſa. 191. Si os aliquod ab intus corrupta medulla dolere incipit dolore profundo oſteocopo dicto, ad motum articuli admodum aucto, ſed non ad externum attactum. Dein pars ipſa tumere incipit, cum vel ſine rubedine, ac ſi flatibus eſſet diſtenta, quando etiam ad attactum augetur dolor. Denique rumpuntur integumenta, & effunditur ichor fœtens, aut detegitur materia inſtar ſævi, vel lardi rancidi, cum oſſe corroſo, & ſpongioſo.

Cauſæ. 192. Ita corrumpitur medulla (1) diuturniore ſtagnatione, ut in Pædarthrocace, & Rhachitide; (2) oſſium contuſione, deſtruente vaſa medullæ; (3) materiæ Luis Venereæ, quod frequentiſſime, vel ſcorbuticæ, aut varioloſæ, depoſitione in medulla. (4) inflammatione, vel eryſipelate membranæ medullę.

Effectus. 193. Medulla ita ſtagnans, corrupta, vel abiens in ichorem, vel pultem acrem, cellulas membranæ medullaris rodit, novam medullæ ſecretionem impedit, ſtagnando ſenſim fit acrior; corroduntur vaſa adferentia, & deferentia; lamellæ oſſium cancellos facientes corroduntur, præprimis circa oſſium capita: dein etiam lamellæ exteriores duriores, & perioſteum, afficiuntur; humores hic tunc hærentes putreſcendo partem inflant, fit tunc dolor ad attactum, cum tumore flatulento. Si vero totum ſit corroſum os, integumenta etiam aperiuntur, ſub quibus tunc invenitur os ſpongioſum, & corroſum cum ichore, vel ſebo corrupto. Materia hæc liquata, circulantibus tunc miſta, non raro alia aggreditur oſſa inſtar cancri, medullæ oſſium maxime infeſta.

194.

194. In gradu primo, & ſecundo, quamdiu nullam fecit aperturam, tentandum eſt, ut promoveatur medullę ſtagnantis circulatio, & preveniatur corruptio, per *Apozemata ſudorifera*, *antiſeptica* interna, & applicatione *Emplaſtrorum ex gummis*, *& mercurialibus*, promovendo actionem medicamentorum fotu, & cataplaſmate reſolvente, & antiſeptico. Sed ſi aperiatur; os depurandum, & tractandum ut oſſis caries, *antiſepticis lavamentis*, & *pulveribus ſiccis* cum linteo carpto. In graviſſimo autem malo pars corrupta eſt amputanda, ne magis inficiat, aliaque oſſa inquinet. *Curatio.*

195. Ex dictis facile intelligitur. *Corollaria.*

Cur ſpinę ventoſę difficilis curatio?

Multę hic concurrunt difficultates: (1) medicamenta vix ad morbi ſedem venire poſſunt: (2) materię morbi difficilis exitus. (3) non patitur comprimendo exprimi. (4) corruptio eſt in pinguedine. (5) ſępe inquinat medullam aliorum oſſium.

196. Cur ſpina ventoſa alia ſępe etiam aggreditur oſſa? Generalis lex eſt in humoribus, ut quivis humor facilius ſeparetur, & colligatur in proprio ſuo organo: Si ergo oleum medullare fuit corruptum, id ſanguini miſtum facilius etiam in oſſibus ubi ſeparatio, & collectio medullæ fit, colligitur, quam in quavis alia parte: ita materies etiam cancroſa, & ſcrophuloſa frequentius aggreditur ſimiles glandulas. Ex hac ratione tam periculoſum eſt, ſi tota maſſa cancroſo, vel acri ſpinę ventoſę ſit inquinata, partem affectam auferre, quę potuiſſet in ſe recipere materiem, quum tunc ſępe alias aggrediatur partes.

197. Cur ſpina ventoſa facit tumorem flatulentum?

Generalis obſervatio eſt, omnem putredinem producere ſeu extricare aerem humoribus adhærentem, quæ putredo in ſpina ventoſa admodum prædominat, quare generatur in ea parte aer elaſticus partem diſtendens: ſpeciale autem id excellet in medullæ corruptione, nam ichor ex medulla natus carnem luxurioſam convertit.

198. Cur motu muſculari intenditur dolor oſteocopus in ſpina ventoſa, qui ab attractu externo non augebatur?

Dolor denotat, organum ſenſus eſſe in meditullio oſſis: acre dolorem inferens duritie oſſis magis adigi nequit, ut augeat dolorem: acre movetur motu muſculari, quo in eo oſſe propellitur medulla, forſan quia humor, motu muſculi truſus per fibras tendinis iſtius muſculi in os deſinentes, propellit medullam.

199. Alterum genus corruptionis oſſium cum intumeſcentia eſt Pædarthrocace, pueris præprimis circa articulos infeſtum: hic ſæpe oſſeus tumor in pueris naſcitur ſine vel cum vix ullo dolore, præcedente ſpina ventoſa minus maligna eſt corruptio, Rhachiticis frequens, ſi medulla ſtagnando circa articulos oſſium corrumpitur, & oſſis tumorem facit; pergente malo, ſæpe corroditur cutis, & parit oſſium cariem, minus malignam, quam ex ſpina ventoſa, & interdum albicantem. *Pædarthrocace.*

200. Statim in principio applicandum *emplaſtrum reſolvens mercuriale* cum *fotu*, cui ſæpe cedit: ſi autem in cariem convertitur; ut ea curanda. *Curatio.*

201. Si quadam in oſſis parte ex ſua ſubſtantia excreſcat tumor oſſeus, ſubſtantia ſua oſſi ſimilis, quamcumque habens figuram vocatur Exoſtoſis, ſeu oſſis Excreſcentia, ſed habens *Cornu*, vel *Nodi*, vel *Spinæ* figuram, ex figura nomen accipit: ſed tumor præternaturalis in fracturæ loco excreſcens vocatur *Callus*. *Exoſtoſis.*

202. Increſcens Exoſtoſis nullum dolorem movet ex ſua aliena qualitate; ut præcedentes tumores oſſium, & ad attactum præbet tumorem durum, immobilem, quo ab omnibus tumoribus in parte molli diſtinguitur. Sed ſenſim magis increſcens tendendo ſupertenſas partes ſæpe irritat. *Signa.*

Cauſæ. 203. Frequens eſt Rachitidi, poſt oſſis contuſionem, & fracturam, ſi fibræ oſſeæ fundentes materiem oſſeam concreſcibilem in incremento ſuo non coercentur.

Curatio. 204. Si tegumenta ſuper exoſtoſin non ſunt inflammata, neque valde dolentia, artificioſum ſuſtentaculum, moderans incrementum, eſt applicandum. Applicanda ſimul *pulveres*, vel *emplaſtra*, quæ cito *os indurare* faciunt, cavenda excoriatio; non niſi ob ſummum inſtans periculum, exoſtoſis auferenda, cum os nudatum cariem contrahat.

Tophus. 205. Oſſis autem excreſcentia, ex oſſe corrupto, dura ſæpe inſtar calcis, quemadmodum in articulis podagricorum, & in aliis partibus oſſium, eorum, qui Lue Venerea laborant, vocatur *Tophus*, & etiam ex figura *Nodus*: hic nullam admittit medelam in podagricis, ſed in Venerea Lue tractandus, ut oſſis caries.

Gumma. 206. Tumor autem oſſis corrupti, & perioſteo privati latior, & planior, habens colorem lardi corrupti flaveſcentis, ſeu gummi, ex colore *Gumma* vocatur. Hæc excreſcentia radula auferenda, vel multis foraminibus perforanda, & ut caries tractanda.

Fungus. 207. Interdum autem lamellæ oſſium ſemicorroſæ a reliqua ſubſtantia recedentes formant tumorem ſpongioſum, qui vocatur *Fungus* oſſium. Hic, ut Tophus, & Nodus ab acri rodente humore naſcitur, & ut caries curanda.

Caries. 208. Omnis oſſis corroſio, corruptio, coloris naturalis mutatio, ſideratio, cum perioſtei ablatione, vocatur *Caries*, ſeu *Teredo*. In qua duæ diſtinctiones occurrunt, (1) ſi os privatum perioſteo ſervat eamdem figuram, ſed mutat ſuum colorem cœruleo-candidum, in luridum, flavum, fuſcum, nigrum, ſenſim majorem corruptionis gradum indicans, (2) ſi aliquid amittitur de ſubſtantia, ac ſi eſſet ulcus oſſium, exhibens ſuperficiem excavatam, corroſam, inæqualem.

Cauſæ. 209. Cariei cauſæ externæ ſunt contuſio, vulnus, ablatio perioſtei, oſſis aeri frigido expoſitio. Internæ vero, inflammatio, eryſipelas, ulcus perioſtei, humor acris medullæ in Venerea Lue, ſcorbuto, rhachitide, pædarthrocace, ſpina ventoſa, variolarum metaſtaſi, ſtagnatio medullæ cum ſequente corruptione.

Signa. 210. Signa cariei apertę ex recenſitis patent, quando ad attactum ſentitur aſperum; ſi vero caries abſcondita lateat, liquor effluens eſt fuſcus, ſubniger, pinguis, ichoroſus, fœtens inſtar lardi ſpeciali fœtore: turundę, & vincturę nigrore infectę eſſe ſolent; caro circa aperturam laxa, ſpongioſa, excreſcens; ulceris frequens recrudeſcentia non leve eſt latentis cariei indicium.

Curatio. 211. Pars oſſis corrupta ad vivens, & ſanum eſt auferenda, quod in levi carie abſolvitur linteo carpto ſicco, vel *lavamentis ſpirituoſis*, *antiſepticis*, *balſamicis*, *pulveribuſque ſiccis* inſperſis, ſimilibuſque injectis, & inditis. Sed in graviori carie leniter corrodentia ſunt adhibenda, inter quę Euphorbium, & Sabina excellunt. Sed in graviori malo, corrodente ex mercurio in aqua forti ſoluto caries tangenda. Si vero his levioribus non cedit, pars carioſa tum parva terebella multis in locis perterebranda uſque ad ſanum; vel radula, vel lima, ſi fieri poteſt, caries eſt auferenda. Aut ferro candenti eſt urenda, ſi pars hanc ſolam curationem admittit. His omnibus nihil juvantibus, pars eſt amputanda. Dum hęc tractantur, poteſt pars foveri, & tegi *fomento*, *vel cataplaſmate*; atque corpus muniri conveniente *apozemate*.

Corollaria. 212. Cur os carioſum mutat colorem in luridum, flavum, pinguem, plumbeum, nigrum; & quid notat illa coloris mutatio?

Medullę naturalis candidus color, ſi accedit corruptio, ſic ſenſim ſuum colorem mutat, & quo intenſior eſt corruptio, eo ſenſim ſuum colorem mutat,

tat, & quo intenſior eſt corruptio, ſic etiam magis in nigredinem vergit.

213. Cur os carioſum, aſperum, ſpongioſum, fragile?

Os privatum perioſteo, & inęqualiter in ſua ſuperficie corroſum attactu eſt aſperum: & quia multa filamenta oſſis ſunt ſeparata, aliaque ſemicorroſa, tota moles minus erit cohęrens, ut multo lęviori cauſa diſtringi poſſit.

214. Cur fœtor lardi corrupti ſpecialis in oſſis carie?

Medulla in ſua ſubſtantia eſt pinguedo, quare ſi putreſcit, ut fit in carie oſſis, fœtor exhalans eſt ut putrefactę pinguedinis, ſed quia tamen aliquomodo differt, ideo ſpecialis aſſurgit fœtor ex medulla corrupta, ut ſi quis ſemel eum fœtorem olfecerit, ſolo illo fœtore ſpeciali detegere valet, num in ulcere vel fiſtula ſubſit os carioſum.

215. Cur circa Cariem, Caro laxa, mollis, ſpongioſa, tumens; ulceris labra inverſa; Ichor tenuis fœtens, fragmentulis nigris infectus; ulceris recrudeſcentia, & pertinacia contra medicamenta aliis in ulceribus probata?

In carioſo oſſe eſt medulla putrefacta, quę ſanguinem in carne hęrentem coinquinat, hic putredine turgens carnem tumere facit, & quia ſimul fibræ amittunt per putredinem contractilitatem, caro fit laxa, & ſpongioſa. Labia ulceris cariei proxima magis infecta magiſque tumentia, quam cutis remotior magiſque firma, faciunt intorqueri labia. Quoniam putrefacta medulla in cavernis oſſium hęrens non poteſt exprimi, ut fieri poteſt ex parte molli, continua manet ſcaturigo, unde ulceris pertinacia, & recrudeſcentia. Denique quędam lamellę oſſium integre corruptę, & inde nigrę, ſecedentes cum ichore effluunt.

216. Cur Caries a cauſa externa facilior curatu, quam a cauſa interna?

Caries a cauſa externa ſupponit reliquum corpus ſanum, quare morboſus humor hic deponi nequit. Sed ſi fiat a cauſa interna, deſignantur, non ſolum in hac, ſed in reliqua medulla corruptionem eſſe; & ab interna cauſa curari nequit, niſi priori morbo curato.

217. Cur Caries ex Lue Venerea non cedit medicamentis externis, & a ſpina ventoſa eſt periculoſiſſima?

Etiamſi omnis malignitas cariei poſſet ex oſſe tolli manente Lue Venerea, tamen non eſſet ſanata caries, nam Venerea Lues, quæ potuit antea os integrum corrumpere, non deſiſteret jam os debilitatum, & infectum afficere, quare fruſtra per externa medicamenta tentatur Cariei curatio ex Lue Venerea; ſed ſi ſanata ſit Lues Venerea, facillime ad ſanationem ducitur. Si autem ſit Caries ex ſpina ventoſa, illa numquam eſt ſuperficialis, nam, niſi totum os ſit exeſum, non apparet Caries ex hac cauſa: & quod pejus eſt, utplurimum tunc multa oſſa ſucceſſive invadit.

218. Cur Caries periculoſior, & difficilior curatu circa extrema oſſium, quam circa media?

Oſſa duriora circa medium, magiſque compacta, non tam facile corrumpuntur: ad extrema autem friabiliora, & medulloſa permittunt citiorem corruptionem, unde majus periculum, & curandi difficultas.

219. Cur Caries ad articulos periculoſiſſima?

Mollitudo oſſis circa articulos eſt maxima, ut diximus. Ichor depoſitus in cavum articuli, ubi evacuari nequit, deſtruit mucilaginoſas glandulas. Interdum alterum os ſimul inquinans, atque producens ancyloſin, vel articuli motum difficiliorem, præ aliis locis auget periculum.

220. Cur Caries circa articulos citius proſerpit?

Quo oſſium lamellæ fragiliores, eo citius a corruptione deſtrui poſſunt, quemadmodum eſt circa articulos, nam circa medium oſſa ſunt firmiora, & magis compacta.

221. Cur Caries in pueris citius pergit, & curatu eſt difficilior?

Puerorum ossa mollia facillime dissolvuntur, & quoniam succulentiora quam in adultis, difficilius curari possunt.

222. Cur pinguia ossibus nudis applicata generant Cariem?

Pinguia applicata ossibus nudis tenacissime adhærent, ut suffocent ceterorum humorum transitum; eadem oleosa in loco calido stagnantia, rancida facta, subjectum os corrodunt.

223. Cur os carioſum cito deligandum?

In ossibus debilis est circulatio, quæ attactu aeris frigidi facile extinguitur, atque medulla, in calore fluxilis, concrescit in cellulis aeris frigidi attactu; quare ossa cito, & in loco calido deliganda.

224. Cum cum linteo carpto sicco deligant os carioſum?

Ut linteum siccum imbibat omne ichorosum, quod reliquam sanam medullam inficeret.

225. Cur exostosis ex Rhachitide, vel a causa externa nata, raro convertitur in Cariem?

In hujusmodi ossis præternaturali incremento nulla habetur corruptio, quare pars ita excrescens tali modo induratur, ut callus nascatur in ossium fracturis. Sed si per corruptos humores ossa excrescunt, ipsum incrementum est corruptum, quare apertura in integumentis facta exhibet os carioſum.

Mala conformatio. 226. Denique mala fit ossium formatio, ut in gibbosis, valgis, & omnibus distortis, & incurvatis membris, & aliena figura ossium cranii: quæ omnia, si nata sunt, vix emendari possunt, sed, dum crescere incipiunt, machinis sustentantibus præveniuntur. Frequens est morbus in Rhachitide, & nimia ossium mollitudine, aut si os fractum mollitudine, aut si os fractum male reponitur.

Membranarum, & vasorum morbi. 227. Ex morbis, qui afficiunt membranas ossium (189. 3), frequentissimus est inflammatio: hęc prout periosteum externum, vel membranas in cavo ossium aggreditur, varia præbet phænomena, & curandi difficultatem.

Periostei inflammatio. 228. Periosteum enim externum maximum dolorem quidem movet, sed minus periculosus est morbus, quam qui fit in membranis internis; quoniam materia morbi ex ossis cavo difficulter evacuari potest, simulque medullam inficit, & sero detegitur, non nisi post magnam corruptelam.

Signa. 229. Cognoscimus periostei inflammationem ex signis generalibus inflammationis profundæ; dolore, & ardore, pulsatione profunda, cum lato tumore partis; sæpe cutis color vix mutatus observatur; sed pressio levis ad os subjectum admodum auget dolorem.

Curatio. 230. Cito tentanda est curatio priusquam os est corruptum, ducendo materiem ad cutim, per *laxantia*, *fomenta*, *cataplasmata*, *& unguenta*: atque incisio facienda secundum corporis longitudinem ad os usque, ut materiæ morbi præbeatur exitus, si fiat in parvis articulis cum vehementissimo dolore.

Abscessus. 231. Hic autem dolor ardens, vehemens, sensim increscens, ultra quatuordecim dies perseverans, accedente febre erratica cum frequenti horrore, pauloque mitiori calore corporis, docet inflammationem abiisse in suppurationem.

Effectus. 232. Pus hic manens sensim fiet acrius, corrodet periosteum sensim latius, privabit os influxu vitali, quod inde cum sua medulla corrupta in pessimam cariem convertetur.

Curatio. 233. Pus ita profunde hærens diu continebitur, antequam rumpetur externe: igitur protinus aperiendus est locus usque ad os, sectione, vel *Escarotico* applicato, dein detectum os multis foraminulis est perforandum, quo citior fiet exfoliatio, & novi periostei generatio. Ulcus depurandum, & implendum linteo carpto sicco, applicanda *lavamenta spirituosa*, *antiseptica*, cum

pul-

pulveribus ſiccis reſinoſis antiſepticis. Cavendum ab aquoſis, pinguibus, & attactu aeris; rara, & cita in aere calefacto facienda eſt deligatio.

234. Si vero validiſſima adfuit inflammatio, in qua incipit fieri coloris diminutio, cum ſenſus diminutione ad attactum, tumor fiat laxior, ſed tenax, & minus dolens, & calens, color cutis fit pallidus, griſeus, lividus, hæc denotant inflammationem abiiſſe in ſphacelum. *Sphacelus.*

235. Si talis fuit facta mutatio, raro iſtud membrum conſervari poteſt, nam os fluxu vitali privatum, & materia ſphacelata corroſum cetera adiacentia brevi inficit, & malum ſubito late ſerpit. *Effectus.*

236. Si ullo in caſu requiritur cita medela, hic excellit, quare protinus uſque ad os pars eſt incidenda, locus depurandus *antiſepticis*, & pars tegenda cataplaſmate, quale in *ſphacelo* adhiberi ſolet. Reliquum, ut caries curandum. *Curatio.*

237. Ut perioſteum externum, ita membrana cingens oſſium cava, & cellulas, atque includens meduliam Inflammatione tentari poteſt, quæ etiam in ſuppurationem, & corruptionem mutari poteſt. Sed in hoc loco ſemper pejor, quia morboſa materia evacuari nequit, niſi prius totum os ſit corruptum, & adjacens medullam teterrimam corruptelam producit. *Membranæ internæ inflammatio.*

238. Hanc vix valemus a ſpina ventoſa diſtinguere, & forſan idem eſt morbus; adſunt ſigna latentis inflammationis, cum dolore oſteocopo profundo continuo, fixo nullis medicamentis cedente, ſed ad attactum non aucto; verum motu muſculari iſtius membri admodum intenditur dolor. *Signa.*

239. Statim omni ope tentanda eſt inflammationis reſolutio, venæ ſectione, *antiphlogiſtis*; & *laxantibus* tam internis, quam externis. *Curatio.*

240. Si autem tranſeat in ſuppurationem, vel ſphacelum, quod ex vehementia, & diuturnitate ſymptomatum conjicimus; tunc omni ope tentanda eſt curatio ſuperius recenſitis auxiliis (233. 236.) His nihil juvantibus, totum os corrumpitur cum ſua medulla, afficitur etiam perioſteum, tenditur, inflammatur, corrumpitur; partes molles adiacentes tandem tumere, & inflari incipiunt, pars tunc tacta valde dolet: ſola amputatio tunc reſtat pro curatione. *Suppuratio, & Sphacelus.*

241. Oſſa quatenus inter ſe componuntur, ut moveantur in ſuis articulis (189. 4.) aliud genus morborum potiuntur, nam fiunt articulorum Rigiditas, Concretio, & Luxatio, quod genus ultimum ſpeciali titulo exponitur. *Articulorum Morbi.*

242. Si Articulus aliquis mobilis ita impeditur in ſuo motu, ſeu flexura, ut non niſi valida applicata cauſa flecti, aut extendi poſſit, Rigiditas, ſeu immobilitas articulorum vocatur, ſed ut ſit Ancyloſis, cauſa impediens debet eſſe conſtans, nam ſi ex convulſione, aut dolore articulus ſit immobilior, ad Ancyloſin non refertur. *Articulorum Ancyloſis.*

243. Cauſæ Rigiditatem inferentes referri poſſunt (1) ad glandulas mucilaginoſas, (2) mucilaginem ipſam, (3) Ligamenta nectentia, articulos, (4) oſſa in articulo, (5) muſculorum rigiditatem. *Cauſa.*

244. Glandulæ mucilaginoſæ, contuſione, inflammatione, luxatione, abſceſſu, tumore ſtrumoſo, induratione, vel corruptione inutiles factæ, Ancyloſin generant, quæ exigit medicamenta *reſolventia*, in forma linimenti, vel fomenti articulo applicata, cum leni frictione, & motu membri. *In glandulis.*

245. Mucilago autem deficiens, vel alienata, uti in ſcorbuticis, & Lue Venerea laborantibus, ut & arthriticis, exigit medicamenta his morbis appropriata, ex quibus quoque titulis petenda ſunt. *In mucilagine.*

246. Sed ligamenta indurata, ut non facile ſequantur, per *oleoſa reſolventia*, & *laxantia* ſunt emollienda. *In ligamentis.*

247. Os ipſum variis modis poteſt Ancyloſin producere, ut fit in exoſtoſi, male formato callo poſt fracturam circa articulum, oſſis in articulo corroſione, quæ omnia medelam fere reſpuunt. *In oſſibus.*

248.

In Musculis. 248. Interdum vel ipſi muſculi, vel eorum tendines ita contrahuntur, & indureſcunt, ut pars ea reddatur immobilis. Hæ partes ſimili modo, ut dictum eſt in Ligamentis, (246) ſunt curandæ.

Articulorum Concretio. 249. Quum perichondria capiti, & acetabulo oſſium adferuntur, ut partes nudatæ cum quiete ſe mutuo tangant, brevi tempore concreſcit os. Hujus oblationis multæ ſunt cauſæ, ut contuſio valida perichondrii; conſumptio per abſceſſum articuli; mucilago acrior, ut in arthriticis, & podagricis, atque ſcorbuticis, perichondrium corrodens; denique ablatio tendinis articulum moventis faciunt articuli concretionem nulla arte tollendam.

Corollaria. 250. Cur poſt articuli abſceſſum, vel fiſtulam ſæpe Ancyloſis?

Pus diu hærens in cavo articuli corrodens perichondrium permittit, ut partes articuli denudatæ concreſcant.

251. Cur poſt punctúram tendinis ſæpe Ancyloſis?

Tendinis punctura ſæpe ejus parit corruptionem: ſi tendo aufertur, modo non plures tendines eumdem articulum movent, articulus immobilis relictus concreſcit.

CAPUT III.

De Fractura oſſium.

Definitio. 252. SOluta unitas in partibus duriſſimis noſtri corporis ſubito facta, per aliquam vim externam, ut os iſtud ſolvatur in duo, vel plura fragmenta magna, vocatur *Fractura*.

Cauſæ. 253. In oſſibus firmis, & ſanis ſemper requiritur valida vis diffringens, verum in pueris ob mollitiem, hyeme ob fragilitatem, & in carie, & lue Venerea, quia pars quædam deſtructa eſt, ex leviſſima cauſa interdum frangitur os.

Simplex. 254. Si ſolum os diffractum ſit, quod prius erat ſanum, in duo, vel tria fragmenta in eodem loco, vocatur *fractura ſimplex*.

Compoſita. 255. Sed ſi anteceſſerit oſſis caries, vel jungitur cum vulnere, notabili contuſione, fractura in alia parte, luxatione, inflammatione, ulcere, vel & aliis morbis, vocatur *fractura compoſita, mixta, ſeu complicata*.

Species. 256. Fracturæ ex figura in varias diſtinguuntur ſpecies, ut ſit Tranſverſa, & Obliqua, Longitudinalis ad *fiſſuras* refertur, ſi nulla pars oſſis integre ſeparetur ab altera, ſed in medio rimam contrahat. Os autem in multa parva fragmenta diffractum vocant *Comminutionem*; ſed ſi pars lata, & plana ſecante inſtrumento eſt ablata, vocant *Exfoliationem*; hæc autem pars admodum tenuis ablata dicitur *Dedolatio*. Hæ ſpecies variis in oſſibus contingentes ex oſſe ſpecialia nomina accipiunt infra tradenda.

Effectus. 257. Dum frangitur os, ejus mutatur figura, tollitur ſuſtentaculum, deſtruitur actio ab integro oſſe dependens, atque ſimul ſolvitur perioſteum, membrana medullaris, & vaſa per integram partem oſſis antea decurrentia. Inde fit (1) figura membri mutata. (2) muſculi ſuſtentaculo orbati accurtantur, & alienam habent tractionis directionem. (3) membri motus, & actio impeditur. (4) fibræ oſſeæ, perioſtei, & vaſa rupta effundunt liquores, qui vel formant ſenſim callum, vel ſtagnando corrumpuntur. (5) Interdum fragmenta eminentia adjacentes partes molles, carnem, membranam, arterias, venas, nervos, premendo, irritando, lacerando, faciunt Dolores, Stupores, Convulſiones, Inflammationes, Ariduram, Corruptionem, Sphacelum, Ecchymoſin, & multa alia mala.

Detectio. 158. Præſentiam fracturæ cognoſcimus ſenſibus, & ratione, (1) viſu, ſi membri figura ſubito fuit mutata in loco ubi nullus eſt articulus: hoc fallit in fiſſura, ſeu fractura oblonga; in tranſverſa ſi partes fractæ ſervant proprium

prium locum; in membro ubi plura sunt ossa, quæ omnia non simul franguntur. (2) Auditu, si æger ipse, vel Chirurgus, membrum fractum artificiose tenens, movens crepitum; vel strepitum audiat. (3) Tactu, si Chirurgus digitis suis percipiat in membro, ubi nullus est articulus, eminentiam, foveam, vel vacillationem fragmentorum. (4) Ratione, si conferat partem læsam oppositæ parti sanæ; si æger non possit, membrum ut antea movere; si perpendat magnitudinem causæ, seu impetus, & modum directionis, ad naturalem cohæsionem, & firmitatem ossis.

Detectio in oblonga fractura.

259. Omnibus auxiliis his vix valemus fracturam oblongam, aut fissuram detegere, quare utplurimum nimis sero eam dignoscimus. Eam tamen adesse conjicimus ex magnitudine causæ, tumore, inæqualitate, & dolore partis, atque denique si ex apertura simul facta effluat sanies fœtens, ut ex ossis carie. Fissuræ autem Cranii detectio infra tradetur.

Prædictiones generales.

260. Facilem, aut difficilem curationem, periculum majus, & minus, ex sequentibus conjicere possumus.

261. Simplex fractura minus periculosa, quam composita.

262. Fractura transversa minus periculosa, & curatu facilior, quam obbliqua.

263. Quo fractura plura fecit fragmenta eo difficilior.

264. A causa externa minus periculosa, quam a quavis causa interna.

265. Satius est unum os esse fractum in membro, quod duo ossa habet, quam utraque fracta.

266. Quo longius in fractura a se invicem recedunt fragmenta, eo periculosius, & curatu difficilius.

267. Circa articulum majus periculum, & difficilior curatio, quam circa medium.

268. Quo fractura pluribus stipata symptomatibus, eo periculosior.

269. Fractura vetusta difficilem curationem promittit.

270. Facilius in pueris, & juvenibus, quam senibus, fit restitutio, & curatio.

271. Os femoris fractum si faciat fragmentum, præprimis partis superioris, extra cutim eminere, maxime ad interiora femoris, quum ibidem vasa majora sint locata, raro curari potest.

272 Fractura in corpore morboso, valetudinario, difficiliorem curationem, & majus periculum protendit.

Curatio.

273. Quo plures fracturæ in eo corpore eo pejus.

274. Curatio generalis his tribus absolvitur: (1) Restitutione. (2) Retentione restituti. (3) Consolidatione.

Restitutio.

275. Restitutio absolvitur Extensione, atque Repositione fragmenti recedentis in priorem naturalem situm. Hæc autem Extensio, & Repositio non requiritur, si fractura fuit transversa, ita, ut fragmenta naturalem situm retineant, neque requiritur in fractura oblonga, aut fissura.

Extensio.

276. Fractura non multum ex sua sede remota, in pueris, corporibusque infirmis in parva parte, recens parva, & lenis requiritur extensio; fragmenta autem multum recedentia, in constante ætate, corporibusque robustis, membro magno multis musculis formato, vetusta, fortior requiritur extensio.

Extensionis requisita.

277. Ad extensionem requiruntur: (1) utraque fragmenta manibus, vel fasciis, aut mantilibus apprehendenda prope fracturam. (2) firmandus æger, ut se invertere, vel movere non possit. (3) Dein membrum in tali situ ponendum, ut musculi ab omni parte in æquali sint tensione, idest membrum ita flexum esse debet, ut nullus musculus præ aliis sit extendendus quod ab omnibus Chirurgis non observatur, cum tamen remoretur restitutionem, & majorem dolorem moveat, si non observetur. (4) Extensio ipsa, posito mem-

membro in ſitu ſtatim monito, lente & ſenſim debet fieri: ſenſim fortius trahendum, atque continuandum donec extrema fragmentorum ſine mutuo contactu reponi poſſint, quod dignoſcimus ſi in loco fracturæ formetur cavitas. (5) Si ad extenſionem hanc non ſufficiunt manuum vires, adhibenda inſtrumenta extendentia, quod ſemper facit majorem dolorem, & minus felicem reſtitutionem.

Extenſionis impedimenta. 278. Extenſio hæc ſuſcipi non debet, ſi fieri non poſſit reſtitutio, ut interdum fit (1) ſi nimis valida adſit inflammatio, quæ *Cataplaſmate antiphlogiſtico* compeſcenda, dein Extenſio eſt ſuſcipienda, (2) fragmenta ſoluta ſi adſint ſine apertura, in ordine ſunt locanda, ſed ſi vulnus adſit eximenda, adhærentia autem relinquenda, (3) fragmentum per vulnus eminens, poſt depurationem ſi ſit ſordidum, non impediens reſtitutionem; relinquendum; ſed reſtitutionem impediens auferendum, quantum requiritur, forfice, vel ſubtili ſerra. Latens autem fragmentum impediens reſtitutionem nonnulli ſuadent facta apertura auferendum eſſe, ſed non caret periculo.

Repoſitio. 279. Extenſione facta, ut extrema oſſis fracti non poſſint in repoſitione ſe mutuo tangere, leni agitatione, vel quadam flexura inæquales ſuperficies in loco fracturæ ſibi invicem accommodandæ, dein ſenſim minuenda extenſio, ut tractione muſculorum os remotum in proprium ſitum cum oppoſito redeat. In hac repoſitione cavendum ab omni preſſione, qua vel caro, vel membrana potuiſſet urgeri inter inæquales eminentias oſſium: nam, ſi pars mollis fuerit intercepta, magnum dolorem creabit, atque deinceps non facile extricari poterit.

Signa bonæ repoſitionis. 280. Os fractum bene repoſitum eſſe conſtat (1) reditu figuræ naturalis iſtius membri, vel oſſis. (2) Comparatione cum parte oppoſita ſana. (3) Diminutione doloris, qui aderat ante repoſitionem.

Retentio. 281. Ut oſſa facta, & repoſita inter ſe conſolidentur, requiritur, (1) ut pars ſuſtentaculo orbata, per artificioſa ſuſtentacula in figura parti huic naturali retineatur. (2) & ut in eodem ſitu maneat, donec creſcente callo, partes fractæ fuerint inter ſe confirmatæ. Ad hoc obtinendum adhibemus faſcias, ſplenia, ferulas, & reliqua externa artificialia ſuſtentacula.

Splenium. 282. Poſt repoſitionem pars tegenda contra frigus externum, atque præveniendus pruritus, & incommodus ſitus: hinc ſplenium primum ſit tenue, ne plicas contrahat, quod vino rubro, vel ſpiritu vini debili primo humectari poteſt; alii autem primo applicant Empl. Diapalma, Griſeum. Defenſivum, Diapompholigos, quod omnibus non placet, quum pinguia ſæpe in ea parte excitent pruritum, & puſtulas, & non promoveant conſolidationem.

Faſcia. 283. Ut oſſa repoſita retineantur in ſuo ſitu, & ne callus ſuccreſcens deinceps nimis luxuriet, fractura eſt modice cingenda faſciis. Faſcia prima ter circumducenda ſupra fracturam ipſam, ut ſuſtentet modice oſſa facta, reliqua pars faſciæ ſenſim dirigatur circumducendo ſurſum. Dein altera faſcia eodem modo circumducatur, ut prior, ſed ſupra fracturam ipſam, reliquum faſciæ cingat partem ſub fractura, atque dein dirigatur iterum ſurſum, ubi deſinit, quare hæc faſcia longior eſſe debet quam prior. Cavendum in hac cinctura, ne ulla adſit plica.

Ligatio an ex arte facta ſit. 284. Modice conſtrictas eſſe faſcias ſcimus, ſi pars ſub fractura tumore molli, & calido tumeat; cum pars tam valide ſit cingenda, ut aliquomodo impediatur ſanguinis reditus per venam, unde formatur ille tumor. Si vero nimis arcta ſit cinctura, ut per venam, & arteriam intercipiat circulationem, pars infra fracturam concitabit tumorem durum, lividum, vel nigrum, calor naturalis partis extinguetur, & pars fiet ſtupida; in quo caſu paulo laxius ſtatim pars cingenda. Sed ſi nullus tumor appareat, ligatio paulo fortior facienda.

285. Ne pars motu membri vel cauſa externa movente poſt repoſitionem in loco fracto moveatur, ſupra faſcias machinis rigidis eſt firmanda, quæ dicuntur *ferulæ*. Hæ debent habere figuram, & magnitudinem membro accommodatam; conficiuntur ex charta compacta, vel ligni laminis excavatis. Si vero habeat membrum cavitates, vel eminentias, loca excavata ita ſpleniis complicatis ſunt implenda, ut ſub ferulis æqualis ſit ſuperficies, ne una pars magis, vel minus prematur. *Ferulæ.*

286. Ferulæ ſuſtentandæ, & adducendæ tribus funiculis bis circumeuntibus membrum ſupra ferulas, nodo ſolubili colligendis, & firmandis. Primus funiculus ſit circa medium ferularum immediate ſupra fracturam, dein duo reliqui extremi funiculi eodem modo firmandi. Conſtrictio funiculorum tanta debet eſſe, ut habeantur ſigna bonæ deligationis (284.) Ope horum funiculorum pars paulo ſtrictius, & laxius poteſt conſtringi. *Funiculi.*

287. Fractum membrum ita deligatum, vel mantili, vel canali, vel pulvinari ita eſt muniendum, ut commodiſſime diu in quiete ſine moleſtia poſſit retineri; quæ omnia pro diverſitate membri fracti ſunt adhibenda, ut infra exponetur. *Machinæ in fracturis.*

288. In poſitura membri fracti poſt reſtitutionem, & deligationem tria obſervanda. (1) ut quantum fieri poſſit omnes muſculi hujus membri ſint in æquali extenſione. (2) ut retineatur membrum in ſitu aliquo modo elevato. (3) ut molliter, & æquabiliter decumbat ſupra lectulum, vel pulvinar, vel alia ſubſtrata, quæ æquabile ſuſtentaculum præbent. *Poſituræ Membri.*

289. Si ſimplex ſit fractura, & ex arte ſit facta deligatio, non eſt opus ante ſextum, vel ſeptimum diem innovare deligationem. Sed in fractura compoſita, vel cum multis ſymptomatibus, quotidie innovanda deligatio. In qua cavendum, ne fractura moveatur. In ſimplici fractura renovatio permittit fortiorem conſtrictionem, ut impediatur calli deformitas. *Tempus, & modus renovandi deligationem.*

290. Vaſcula per oſſis ſubſtantiam decurrentia, ſimul abrupta in fractura, fundunt humorem gelatinoſum, qui ſenſim in oſſis duritiem commutatur: hujus humoris concreti maſſa firma vocatur *Callus*. Hic dum generatur faſcias ſolet inficere colore quodam rubello, quod præbet calli generationis ſignum. Non omni ætate, & in homine ſano, vel morboſo eodem tempore hæc fit Calli generatio, & in firmam maſſam commutatio; citius enim in junioribus, ſanis, & robuſtis, tardius autem in ſenibus, & morboſis corporibus. Quo oſſa ſunt minora eo citius, quo majora eo tardius conſolidantur. Inde Calviculæ, Coſtæ intra 20. dies: Radius, Ulna, Fibula intra 30. dies: Os Humeri, Tibiæ intra 40. dies: Os femoris vix intra 60. vel 70. dies conſolidantur. In quibus quoque reſpicere debemus ad impetum, quem ferre debent oſſa. *Calli generatio.*

291. Curatio hucuſque tradita valet in fractura ſimplici, ſed ſi aliquod adjungitur Symptoma, ſæpe debemus ab ordine hoc recepto aliquomodo recedere. *Symptomatum curatio.*

292. Si Dolor jungatur fracturæ, is poteſt generari (1) ſi oſſa fracta non bene ſunt repoſita, quod ex dictis (280) dignoſcitur; quando ſtatim in debitum ſitum ponendum eſt os fractum. (2) ſi inter reponendum membrana, vel portio carnis inter fragmenta ſit recepta (179), nova facienda eſt extenſio, & caro ambiens molliter movenda, ut pars inter fragmenta recepta extricetur, dein ſine preſſione ſupra fracturam os reponendum. (3) ſi validior faſciarum, vel funiculorum conſtrictio (284) dolorem pariat, tantum relaxanda conſtrictio, ut miteſcat dolor. (4) ſuſtentatio inæqualis, præprimis ſub calcaneo, ſummam moleſtiam, & dolorem parit; ſubſtrata itaque tam artificioſe ſunt locanda, ut totum membrum æqualiter ſuſtentetur, & molliter jaceat. Juvat calcaneum locare ſupra faſciam cum ad latera calcanei ſuffulciunt. *Dolor.*

Pruritus & Puſtulæ. 293. Strictiore cinctura, vel applicatione pinguium ad fracturam non raro intolerabilis primo concitatur pruritus, tandem excitantur puſtulæ, & veſiculæ aquoſæ. Statim tunc innovanda eſt deligatio, & pars minus arcte cingenda: removenda pinguia, & pars abluenda *Lavamento*, quod pruritum, & puſtulas compeſcit; ſi veſiculæ adſint, eæ pertundendæ, ut Lympha effluat. Si vero epidermis ſit ablata, & cutis concreſceret, ſpleniis applicatis, pars inungenda *Linimento* apto.

Vulnus. 294. Si fractura complicatur cum vulnere, valida contuſione, vel Sphacelo, ſolita medicamenta his morbis apta adhibenda ſunt: ſed mutanda eſt deligatio: nam omni die innovanda eſt deligatio, & faſciæ applicandæ, quas vocant Ligaturam biblicam, ſeu faſciam multorum capitum, ut pars deligari poſſit ſine partis motu, vel elevatione: fractura quoque minus arcte cingenda; & vulnus medicamentis vulneri aptis tegendum.

Corollaria. 295. Si ejuſdem membri ſimul adſit Luxatio, primo reſtituenda eſt luxatio, ſi commode fieri poteſt, aliter os fractum primo reponendum, & deligandum: minus diu membrum relinquendum in quiete, metu ancyloſis; ſed ſi articulus antea luxatus ſit movendus, os fractum prope articulum manu firmiter tenendum dum movetur articulus, ne ſimul moveatur fractura. Reliqua Symptomata reſtitutionem impedientia ſuperius (278) recenſita ſunt.

Curatio aliena. 296. Si ab imperito Chirurgo tractetur fractura, hæc duo fieri poſſunt mala. (1) ſi ſæpius in innovatione deligationis moveat os fractum, extrema fragmentorum non concreſcunt: unde deinceps nunquam poſſunt conſolidari, ita, ut in medio membri novus veluti formetur articulus uſui ineptus; ſola amputatio pro curatione reſtat. (2) ſi male repoſita fuit fractura, dein partes callo firmatæ membri torpedinem & deformitatem relinquunt. Suadent multi, os iterum in hoc loco frangendum eſſe, & dein reponendum: ſed non concipio, bonam deinceps fieri poſſe reſtitutionem, cum male formatus callus debitam reſtitutionem impediet.

Corollaria. 297. Cur fractura in membris ſuperioribus curatu facilior, & minus periculoſa, quam in membris inferioribus?

Oſſa membrorum inferiorum ſunt majora, quare ad curationem longius requiritur tempus. Atque membra inferiora totum pondus corporis ſuſtentare debent. Denique pars corporis inferior remotior a corde, & quia ſurſum contra naturalem gravitatem reducere debet humores, ſi debilitetur in fractura, majus periculum ſubit ab accumulatis in ſe humoribus, quam pars ſuperior.

298. Unde interdum dolor permanens in oſſe fracto, & quoad externam figuram bene repoſito?

Si inter reponendum portio membranæ, vel carnis recipiatur in aſperitates fragmentorum.

299. Cur os fractum brevi tempore non repoſitum, deinceps repoſitum non coaleſcit?

Extremitates oſſis fracti ſi brevi tempore, dum adhuc vaſcula oſſium ſunt recentia, non junguntur ad ſe invicem, coaleſcere non poſſunt: nam illæ extremitates diu non repoſitæ obducuntur novo perioſteo, quod coaleſcentiam cum altera extremitate appoſita impedit.

300. Cur os in parte carioſa fractum difficile curatur?

Tale os laborat duplici morbo. (1) pars carioſa demit portionem ſuſtentaculi. (2) ex parte carie conſumta vix creſcit callus, & liquor effluens ab ichore cariei corrumpitur. Quare membrum diutius retinendum in quiete, quotidie deligandum, adhibenda ligatura biblica, & aperturæ medicamenta cariei adaptata indenda.

De Cranii Fractura.

301. Veteres duodecim ſpecies fracturæ in cranio numerarunt, quæ ſatis commode ad tria genera referri poſſunt. (1) Ad inciſionem per inſtrumentum durum, & acutum, ut eſt, A. *Sedes*, ſeu *Veſtigium*, B. *Inciſio*, C. *Præciſio*, D. *Dedolatio*. (2) ad Fiſſuram, A. *Rima capillaris*, B. *Sciſſura*, ſeu *Rima viſibilis*, C. *Contrafiſſura*, quæ etiam Reſonatio dicitur. (3) ad Contuſionem. A. *Fracturæ Impreſſio*, B. *Deſidentia*, C. *Depreſſio*, D. *Appropinquatio*, E. *Fornicatio*, ſeu *Teſtudinatio*. *Diviſio.*

302. Omnis ſoluta unitas in cranio oblonga, facta ab inſtrumento duro acuto, adacto inter partes oſſium, quæ in cranio non amplius extenditur, quam inſtrumentum intravit oſſa cranii, vocatur Inciſio. *Inciſionis Species.*

Si autem imperfecta fuit facta ſectio, ut ſi quis inſtrumentum acutum adigeret in molem aliquam ceræ, talis imperfecta ſectio vocatur *Sedes*, ſeu *Veſtigium*.

Secans autem inſtrumentum oblique in os cranii ita adactum, ut quaſi ſquammam elevatam fecerit, altera extremitate adhuc oſſi adhærentem, hanc ſectionem vocant *Præciſionem*, vel *Diſſectionem*.

Si vero hæc obliqua ſectio totam ſquammam integre abſtulit, vocant eam *Dedolationem*.

303. Oblonga, & non admodum lata facta ſolutio in oſſibus cranii, longius ſe extendens, quam intravit inſtrumentum ſeparans, ſive fuit acutum, ſive obtuſum; ita ut una, vel utraque cranii lamina uſque ad internam ſuperficiem ſit ſeparata, vocatur generaliter *Fiſſura:* hæc autem fit in una, vel utraque tabula ſimul. *Fiſſuræ Species.*

Talis autem fiſſura tam anguſta, ut oculo nudo detegi non poſſit, ſed affricto atramento detegi debeat, vocatur *Rima capillaris*.

Fiſſura autem amplior viſibilis generaliter vocatur *Rima*, & *Sciſſura*.

Si vero Rima capillaris, vel fiſſura non ſit in loco eo, cui cauſa fidens fuit applicata, ſed in latere oppoſito, hanc cranii fracturam vocant *Contrafiſſuram*, & *Reſonationem*, & *Opechema*.

304. Qui omnem Contrafiſſuram negant, ſequentia argumenta adferunt. (1) Quia oſſa Cranii non ſunt tam elaſtica, & fragilia, ut vaſa fictilia, vel ex vitro. (2) oſſa cranii futuris juncta impediunt fiſſuræ progreſſum. (3) quia cranium intus non eſt cavum ſolo aere plenum. Quam ob rem putant, cauſam fracturæ in oppoſita quoque parte fuiſſe applicatam, ſed non animadverſam. *Contrafiſſura negatur.*

305. Exemplis tamen probant contrafiſſuram. (1) aliquis in frontem lapſus accepit ſimul fiſſuram oſſis occipitis. (2) puella ad latus capitis a globo percuſſa, in terram prolapſa, ab utroque latere habuit fiſſuram. (3) Crania ſunt inventa, in quibus fiſſura erat in oſſe temporum parietali; pergens in occiput, uſque ad os temporum oppoſiti lateris. In oppoſitis autem partibus fieri poſſe fiſſuras dum ab una parte fit concuſſio, & homo dein cadat in oppoſitam partem, facile intelligitur. Atque obliteratis futuris fiſſuram propagari quoque poſſe, non eſt mirandum. Sed ſine his rariſſimum eſſet generari contrafiſſuram. *Contrafiſſuram adfirmant.*

306. Tertia ſeu ultima ſpecies fracturæ Cranii eſt *Contuſio*, quæ fieri debet ab inſtrumento duro, & obtuſo, uti in partibus mollibus, ſive ſolummodo os cranii mutaverit figuram ſine ſolutione, ſive ſolutum fuerit in minima fragmenta, quando vocatur *Fractura*. *Contuſionis ſpecies.*

Si intropreſſum fuerit cum multis minimis fragmentis, vocant *Deſidentiam*.

Cranium autem intropreſſum a cauſa obtuſa, ut fragmentum factum pre-

mat ſubjectam Duram matrem, vocatur *Depreſſio*, ſeu *Eſphlaſis*.

Sed ſi unum fragmentum intropreſſum, alterum vero ſit elevatum, vocatur *Appropinquatio*.

Denique ſi utriuſque lateris fiſſuræ fragmenta attolluntur exterius, hanc ſpeciem ex figura vocant *Fornicationem*, & *Teſtudinationem*.

Simplex & Compoſita. 307. Cranii fracturæ ſunt, ut aliorum oſſium fracturæ, ſimplices, vel compoſitæ (254, 255,) quod in prognoſi, & curatione magis ob adjectum cerebrum eſt obſervandum, quam in aliis fracturis.

Inciſionis curatio. 308. Simplex Inciſio (302) facile oculis patet, & ſemper conjunctum vulnus habet: quare ut vulnus cum denudato oſſe eſt tractanda: cita, & rara requiritur deligatio; omnia pinguia omittenda, ſed apertura linteo carpto cum balſamo copayvæ, vel melle roſarum cum ſpiritu vini debili eſt implenda.

Fiſſuræ detectio. 309. Ut cognoſcamus, num fiſſura (303) adſit, & ne ſutura cranii naturalis pro fractura habeatur, ſequentia ſunt ponderanda.

(1) Num æger contuſionis tempore ſimul perceperit fragorem.

(2) Perpenſo impetu, ex contuſione globuli pulvere pyrio ejecti raro contuſio ſine fiſſura vel fractura.

(3) Comparatione magnitudinis vulneris cum figura oſſis.

(4) Ex naturali firmitate, vel debilitate oſſis ſubjecti.

(5) Ex ſtrepitu inter manducandum.

(6) Ex oſſis inæqualitate per digiti attactum, ſi cutis ſit integra, vel ea aperta per immiſſum ſtylum, vel calamum ſcriptorium, cavendum in hoc ne fortiter pertractetur pars.

(7) Affuſione atramenti cum ſequente abſterſione, ſi relinquatur linea nigra. Sæpe tamen manet pericranium integrum cum oſſis fiſſura, quando non conſpicitur hæc linea.

(8) Ex ſymptomatibus inſequentibus. Integumenta ordinario ſeparantur ſeptimo die a cranio, ſi fiſſura, vel fractura adſit. Vulnus recuſat conſolidationem, quæ alias prompe fit in capite. Vulnus fundit Ichorem fœtentem. Caro in labiis vulneris fit laxa, mollis, tumida, cum quodam ſtupore.

(9) Ex ſymptomatibus ſupervenientibus, indicantibus contenta Encephali læſa eſſe, dolore vehemente, vomitu, vertigine, capitis debilitate, aurium tinnitu, exitu cruoris per aures, vel nares, ſenſuum ſtupore, aphonia, torpore, apoplexia.

310. An fiſſuræ, vel fracturæ abſentiam arguit, ſi aliquid dentibus retentum moveatur, non concitet dolorem?

Si fiſſura, vel fractura eſſet in eo loco cranii, cui adhæret muſculus temporalis, doloris illa abſentia declararet nullam adeſſe fiſſuram, vel fracturam: ſed eadem in aliis locis cranii, quæ actione horum muſculorum non moventur, incertum eſſet indicium.

311. An fiſſura detegi poſſit ex ſono pulſi cranii, ac ſi concuteretur olla fiſſa?

Fruſtra ex hoc ſigno petimus indicium, cum olla plena intus, & ex multis fragmentis compoſita ſonum non edit: cum cranium intus ſit plenum, extus molli tegumento tectum, & ex multis oſſibus coagmentatis confectum.

Fiſſuræ Effectus. 312. Ex oſſe fiſſo effluens humor ſtagnans corrumpitur; os ipſum mutat colorem in luteum griſeum, nigrum, inficit adjacentia; ſequitur Diploes infectio; integumentorum intumeſcentia; meningum, & cerebri affectio. Hæc vehementiora fiunt, ſi pericranium ſimul ſit ruptum: aut ſi integumenta ſeparata permittunt aeris frigidi attactum; & prout exterior, vel interior tabula ſit fiſſa.

Fiſſuræ curatio. 313. Quoniam ſemper humor ex parte fiſſa effluit, qui copia majore, & ſuperveniente corruptela multa mala inducit, ille humor effuſus ſub integris

in-

integumentis hærens, eſt evacuandus, ne inficiat os, vel prolabatur in cavum encephali.

Cum vulnere.

314. Si fiſſuram faciens inſtrumentum ſimul integumentis ſatis latam fecit plagam, illa reddet effuſum humorem, & pandet viam ad os fiſſum, vel fractum, hoc in caſu capilli circa labia vulneris, vel contuſionis ſunt abradendi, ne in aperturam incidentes ſordeſcant, & remorentur curationem, & deliſe ad vulneris longationem. Si vero vulnus nimis ſit anguſtum, ſectione trans vergitudinum integumenta ſunt perſecanda inſtrumento acutiſſimo uſque ad os cranii. Sectio facienda a parte ſana verſus plagam, primo in labio inferiore quoad ſitum corporis, dein in ſuperiore.

Sine vulnere.

315. Si vero integumenta cranii manſerunt integra, & tamen conſtat Cranium contraxiſſe fiſſuram (309), ſine fragmentis liberis, vel vacillantibus, integumenta ſunt ſecanda cruciali inciſione inſtar X cum firma manu ad cranium uſque, ut ſimul perſcindatur pericranium. Prima ſectio uno ductu poteſt fieri retenta cute manu altera, ne ſecando ſubſequatur: altera autem ſectio duabus ſectionibus eſt abſolvenda: ſemper inciſio facienda a parte firma verſus plagam priorem inciſam primo in parte inferiore, dein ſuperiore: abraſis primo capillis. Plaga inciſa implenda linteo carpto ſicco, vel cum ſpiritu vini debili cum pauxilo mellis roſarum madido, relinquendo in poſterum diem, ut ceſſet hæmorrhagia.

Cum fragmentis.

316. Si vero cranii os ſubjectum in multa fragmenta ſit fiſſum, quod ex attactu dignoſcitur, quia ſentitur, vacillatio, mollitudo, & auditur agitando ſtrepitus fragmentorum non permittitur prior ſectio, ſed elevata manu, ſi ſimul non adſit apertura, ea facienda eſt, in quam immittendus ſemicanalis cavus, qui dirigat mucronem forficis, qua perſecamus integumenta, modo in ſectione tradita, ſine preſſione ſupra fragmenta. Detecta fragmenta libere hærentia, pericranio non adhærentia forcipe tollenda: ſed firmiter hærentia pericranio nexa, non prementia meninges vel cerebrum, relinquenda. Sponte enim conſolidantur, vel ejicientur poſtea.

Cum hæmorrhagia.

317. Si cauſa fiſſuræ, vel fracturæ aliquod vas arterioſum magnum læſerit, ut inde ſequatur ſanguinis effuſio major; ſpleniolum ſupra arteriam compreſſum ſolet compeſcere hæmorrhagiam; ſi autem ita ſiſti non poſſit, acus incurvata cum filo, ſub arteria eſt trajicienda, atque filo, interpoſito ſpleniolo ceraceo, fortiter conſtringenda arteria.

Cum oſſe corrupto.

318. Si vi vero circa fiſſuram os ſit mortificatum exterius, quod ex pallore, flavedine, aut livore cognoſcitur, eo in loco multis foraminibus non penetrantibus ope ſubulæ, vel Ceſtri triquetri eſt perforandum, quo excreſcet novum perioſteum, & prævenietur exfoliato, qui modus præ veterum raſura eſt laudabilior, & ſalubrior.

Fiſſuræ deligatio.

319. Generalis fiſſuræ deligatio debet fieri poſtquam cuncta hæc fuere peracta, & locus optime depuratus ab omnibus ſordibus, ut locus molliter impleatur pulvillis, ſeu plumaceolis ex linteo carpto ſicco, vel ſpiritu vini debili cum melle roſarum, aut ſpiritu maſtichino, vel Balſamo copaivæ, aut adjecto pauxillo liquoris myrrhæ, madido; cita fieri debet innovatio deligationis in aere callido, vel calefacto.

320. An rima capillaris radenda uſque dum evaneſcit, ſecundum veteres;

Si rima capillaris ſine effuſione humoris in cavum encephali habetur, ſimplici deligatione, apertis capitis integumentis, facile ſanatur: ſi vero raditur os, ipſa raſura plura mala infert, quam rima capillaris; quare in hac re veteres non ſunt imitandi.

Contuſionis cognitio.

321. Species contuſionis (306) qua cranium intropreſſum fuit, cognoſcitur (1) viſu, (2) tactu, (3) magnitudine cauſæ, (4) loco oſſis planioris, (5) oſſium mollitudine in pueris, (6) ſymptomatibus ſupervenientibus,

bus, ſtupore, ſopore, vertigine, convulſione, delirio, ſonitu aurium, vomitu bilis, cephalagia, paralyſi, involuntaria evacuatione urinæ, & alvi, apoplexia indicantibus ſubjectum cerebrum premi. Ita intropreſſum cranium vel manet firmum, vel ſimul habet fragmenta vacillantia, quod ſedulo eſt explorandum priuſquam ſuſcipitur curatio.

Curatio. 322. Quum cranium intropreſſum vel propter durum os lædens ſubjectas partes, vel ſimul effuſum humorem, magnum periculum portendat, ejus elevatio ſtatim tentanda.

Si os ſit molle, non ſolutum in fragmenta, & cutis integra in pueris, abraſis capillis, elevatio tentanda ſtatim *Emplaſtro tenaci* ex corio confecto, in cujus medio nexum eſt filum duplicatum firmum. Vel applicanda eſt cucurbita antlia inſtructa; quæ vi perpendiculariter eſt attollenda: bis, aut ter repeti poteſt avulſio ſi requiritur.

Si non elevari tali modo poteſt, quod adſit vulnus ſine fiſſura, vel fragmentis, integumenta ſunt perſcindenda artificioſe, in medio intropreſſionis fovea facienda ceſtro triquetro, in qua firmanda cochlea, quæ vel manu, vel vecte tollenda, ut elevetur pars intropreſſa.

Si vero adſit fiſſura, vel fragmentum vacillans, Elevatorio tentanda eſt elevatio dimiſſo in fiſſuram.

Si hoc modo obtineri non poſſit, ad latus fiſſuræ, foramen tranſeuns, ope Terebellæ in parte oſſis firma, eſt faciendum, per quod elevatorium dimiſſum, pars oſſis premens eſt elevanda.

Quidam ſtatuunt quoque ſternutamentum adjuvare hanc elevationem.

Effuſio humoris in Encephalo. 323. Ex cranii contuſione, fractura, fiſſura, non raro vas intus ruptum fundit ſanguinem intra cranium, & duram matrem, inter hanc & piam matrem, qui vel ſubito, vel ſenſim inducit ſymptomata Intropreſſionis (321); tum ſi ſtagnando corruptus eſt, alia inſuper veniunt mala.

Signa. 324. Sanguinem in Encephalo effuſum eſſe cognoſcimus (1) magnitudine cauſæ, (2) Evacuatione ſanguinis ex ore, naribus, auribus ſine earum partium læſione, (3) Symptomatibus compreſſi, vel agitati encephali, uti vomitu bilis, ſurditate, aphonia, inſenſilitate, amiſſo olfactu, & guſtu, vertigine, membrorum impotentia, ſopore, ſtertore, paralyſi, convulſione, delirio, apoplexia, intumeſcentia rubra faciei, & oculorum, capitis nimia gravitate, titubatione, viſus obſcuratione, pulſu, & reſpiratione intercepta. Quæ ſigna ſubito veniunt in magna effuſione, ſed lente ſi parvum vas ſit læſum.

Detectio loci læſi. 325. Locus læſus ſi contuſionem, vel vulnus habeat facile dignoſcitur, ſed eo abſente (1) rogandus eſt æger, vel adſtantes, quænam pars læſionem acceperit: (2) his deficientibus videndum ad quam partem delirus ſemper ducit manum, (3) quodnam latus corporis præcipue tentatur convulſione, vel paralyſi, quum læſio tunc habeatur in oppoſito latere capitis, (4) omnibus capillis abraſis, ſi nullum indicium contuſionis appareat, applicandum emplaſtrum quodvis molle cum cataplaſmate quodam cephalico, quibus poſt aliquot horas detectis, tumor, & rubedo integumentorum indicabit locum læſum.

Curatio. 326. Humor in Encephalo effuſus his modis inde defertur. (1) Diſſipando, (2) Derivando, (3) Evacuando, (4) Terebrando.

Diſſipando. 327. Si conſtat effuſum eſſe ſanguinem ſive cum, ſive ſine fractura, vel fiſſura; effuſi ſanguinis ſtatim eſt tentanda diſſipatio per *Diſcutientia cephalica*, applicata, & Potione *Apozematis reſolventis cephalici*.

Derivando. 328. Et quoniam venæ ſectione, atque alvi ductione maxime a capite derivatur effuſus humor, repetenda eſt venæ ſectio, & danda ſunt *purgantia* quæ ſimul refrigerant.

Evacuando. 329. Interdum etiam per nares, aures, & os cum levamine evacuatur ſan-

guis.

guis : oborta talis hæmorrhagia potius eſt promovenda, quam cohibenda.

330. Si omnibus his, & repetitis auxiliis, remanentia ſymptomata urgent evacuationem, cogimur terebella in cranio facere aperturam, qua effuſum ſanguinem educimus, quod non niſi in ſumma neceſſitate debet fieri, quoniam ipſa operatio non caret periculo. Antequam vero hanc operationem proponemus, quædam adjiciemus de prognoſi generali fracturarum, & quæ in ea ſunt obſervanda. *Terebrando.*

331. Fracturæ cranii minores etiamſi parvæ non carent periculo.

332. Fractura in oſſe occipitali, & circa ſuturas, aut ſinus, & ſub muſculo temporali auget periculum. *Prognoſis, & cautela.*

333. In pueris, & valetudinariis periculoſior.

334. Quo plura adſunt ſymptomata, eo periculoſior.

335. Minus periculoſa ab inſtrumento acuto, periculoſior ab obtuſo, periculoſiſſima ab exploſione.

336. Signa corrupti oſſis accedentia augent malum.

337. Febris inter 4. & 7. diem a contuſione non admodum periculoſa, ſed ſerius veniens, aut vehemens periculoſa.

338. Effluens pus, pallidum, glutinoſum, carnis deliquium, vulnus ſiccum, mali ominis.

339. Fractura ſub muſculo temporali, ſi ſectione ſit detegenda, ſectio debet fieri ſecundum curſum fibrarum, unica facta inciſione, vel anguloſa cum angulo acuto ad inferiora.

340. Fractura circa ſuturas ſectione inſtar literæ **T** eſt detegenda, quarum nulla tranſit ſupra ſuturam.

Terebratio Cranii.

341. Si in Calvariæ oſſe aliquo, per inſtrumentum, quod vocant *Terebellam*, ſeu *Trepanum*, habens circulum inſtar ſerræ dentatum, quam partem *Modiolum* nominant, formetur apertura circularis, talis operatio Chirurgica vocatur *Terebratio*, & a quibuſdam *Trepanatio*. *Terebrationis definitio.*

342. Ex ſolo ſcopo inſtituitur, ut cranium integrum acquirat aperturam, quo effuſi ſub calvaria evacuari poſſint humores, & inſtrumentum dimitti poſſit, quo aliquid de cranio premens ſubjectas partes poſſit attolli, vel elevari. Quia vero periculoſiſſima eſt operatio, ſæpe quoque adhæret dura mater cranio, vel ſubtus jacet arteria, vel ſinus, atque facile lædi poteſt dura mater; non niſi ſumma urgente neceſſitate inſtituenda, & tum demum quando reliqua auxilia nihil valent, & homo ſola hac operatione poteſt ſervari, & liberari; quare nec nimis mature, vel ſero debet inſtitui. *Uſus.*

343. Si curativa indicatio urget Terebrationem, hæc tamen loca ſunt evitanda, niſi ſummo urgente diſcrimine, aut ſi in aliis locis non poteſt inſtitui: (1) omnes *futuræ*, (2) locus *Muſculorum temporalium*, (3) *ſinus frontales*, (4) ubi ingreditur magnus ramus *arteriæ* cranium, (5) ad inferiorem partem *Calvariæ*, (6) ſupra *fragmentum* vacillans (7) ſupra *fornicationem*, vel *depreſſionem* factam, (8) ubi intus ſubjacent *ſinus*, ut in medio oſſis frontis, ad latera oſſis occipitis, (9) ubi eſt cranii *fontanella*. *Quæ loca vetant terebrationem.*

344. Si vero cranium ſit intropreſſum, & aliter elevari nequeat, aut humor in Encephalo effuſus, qui aliter evacuari non poteſt, & monent ſymptomata, (309. n. 9. & 324.) aperturam eſſe faciendam; hæc ſunt eligenda loca. (1) ad partem inferiorem fracturæ, vel fiſſuræ, niſi illa ſit ad partem cranii inferiorem, quando ſupra fracturam inſtituenda eſt Terebratio. (2) In fiſſura, ſeu rima tangere debent dentes modioli ipſam rimam. (3) In intropreſſione ſine fractura, modo ſit fovea æqualis, & circularis, ſumma cavitas foveæ terebra eſt excindenda; ſed ſi ſit inæqualis, potius ad la- *Quibus in locis fieri debeat.*

tus

tus facienda apertura. (4) In intropreſſione cum fiſſura, vel fractura proxime ad intropreſſionem, vel fiſſuram. (5) Quo propius ad fiſſuram, vel fracturam, eo melius. (6) Si locus terebrationis non indicetur (325), vel eligendus eſt locus terebrationi commodiſſimus, & ſi prima vice operatio fruſtra fuit inſtituta, aliam ſuadent Auctores faciendam aperturam, & repetendam ultra viginti vices, donec curationi reſpondeat.

Operationis diviſio.

345. Antequam ipſa inſtituitur operatio ſuis ſignis indicata (1) *præparatio* ad hanc operationem eſt præmittenda. (2) quæ ſunt obſervanda inter *Terebrandum*. (3) quid ſit faciendum *abſoluta Terebratione*.

Præparatio.

346. Quum Terebra ſit facienda operatio, debet primo denudari os, cui terebra eſt applicanda, & ne impediatur operatio ſiſtenda eſt hæmorrhagia. Hinc (1) abradendi ſunt circumquaque capilli, (2) ſectio eſt facienda, ut monuimus, (315), ubi terebratio eſt facienda, tam magna, ut facile modiolus applicari poſſit, & tantum ſecandum de pericranio, quam de integumentis reliquis, niſi vulnus ſatis latam plagam fecerit. (3) Separanda integumenta, & pericranium a cranio ſubjecto inſtrumento æquali non admodum acuto. (4) Debemus abſtergere effluentem ſanguinem, reliquoſque liquores, & depurare a ſordibus, ſi adſint. (5) Removere labia, & implere plagam inflictam linteo carpto ſicco, vel ſpiritu vini debili madido. (6) Si hæmorrhagia vexat, ea compeſcenda applicato *ſtyptico*, compreſſione ſupra ramum arteriæ, vel ligatione ope acus cum filo, ſi aliter compeſci non poteſt (7). Inſuper applicandum ſpleniolum, quod firmatur ligatura capitali, per aliquot horas, vel integrum diem, prout periculum inſtat maturius, vel ſerius facienda eſt operatio.

Apparatus.

347. Apparatus eſt triplex (1) inſtrumenta, & auxilia operationis, (2) auxilia deligationis, quæ in patinis diverſis linteo tectis ponenda ordine. (3) Collocatio capitis.

Inſtrumenta operationis.

348. (1) Primarium Inſtrumentum eſt Terebra cum ſuo modiolo, ſeu corona conica inverſa, detruncata, & dentata, non cylindrica, variæ magnitudinis, mas, & fœmina dicta, (2) ſcalpellum lenticulare ad poliendos margines inæquales, (3) Depreſſorium duræ matris. (4) Ceſtrum manuale, vel quod terebræ adaptari per cochleam poteſt, quo fovea formatur, quæ recipit modiolum fœminam, (5) Scopulæ ſetaceæ, vel ex linteo carpto confectæ ad expurgandum, (6) ſtylus, & calamus mucronatus inſtar dentiſcalpri ad explorandam crenam. (7 Elevatorium, (8) lancetta, ſi aperienda ſit dura mater, (9) vaſculum cum alcohole, ſi forte hæmorrhagia oboriatur; quod cum linteo carpto applicari poteſt; (10) funiculi ad retinenda labia plagæ ſi relabuntur, (11) candelæ ceraceæ inter operandum adhibendæ. (12) ſpongiæ humectatæ.

Auxilia deligationis.

349. Quum facta operatione, ſine mora fieri debeat Deligatio, auxilia in promptu eſſe debent (1) linteum orbiculare, in cujus medio eſt filum paulo majus, quam ambitus modioli, (2) plumaceoli, & glomeres ex linteo carpto, ad implendam aperturam. (3) Mel roſarum, ſpiritus maſtichinus. (4) Linamentum carptum, (5) ſplenium quadratum, (6) ſtrophiolum, ſeu mantile ad faſciam capitalem.

Poſitio capitis.

350. Diſpoſitis in patinis ſupra menſam inſtrumentis, (348) & auxiliis (349), æger ponendus in cubilo calefacto, aures implendæ linteo carpto, caput locandum ſupra pulvinar, & firmandum manibus miniſtri, ita ut facta plaga ſit accurate in parte ſuperiore. Dein aperienda plaga, eaque probe purganda cum quadam ſpongia, vel linteo carpto; ſi labia plagæ intus collabuntur, funiculis ita ſunt retinenda per miniſtrum, ut operationi non ſint impedimento.

Operatio ipſa cum modiolo mare.

351. Primo applicanda eſt terebra Mas dicta, in cujus medio eſt mucro triquetrum, hac terebra altera extremitate, manu ſiniſtra, firmata, & ſub fron-

fronte, vel mento operatoris locata, facienda eſt crena circularis tam profunda, quæ recipere poteſt ſequentem modiolum ſine mucrone. Obſervandum in omni terebratione, ut terebra ſemper retineatur perpendicularis, & ut crena in omni ambitu æque profunda fiat, atque ut ad ſummum non ultra tres fiant gyri ſine abſterſione: cavendum etiam ne nimis fortiter adigatur terebra.

352. Ablato modiolo mare, foramen in medio circuli, paulo profundius eſt faciendum per ceſtrum, ut recipere poſſit cochleam conicam, quæ in fovea firmanda eſt, & iterum educenda. Tunc terebrandum cum modiolo fœmina ſine mucrone, donec obſervetur mutatio ſcobis, quæ inter duas, treſve circumductiones terebræ probe eſt expurganda, ſcobulis ſetaceis, ſtylo acuto, vel calamo mucronato, & abluenda alcohole, quo ſimul ſiſtitur hæmorrhagia. Tam diu pergendum, donec in omni parte crenæ parum cohæreat fragmentum, & vacillare incipiat. Coloris mutatio, & mollitudo in crena judicio erit: nam ſi Diploe adſit, ex crena effluet liquor inſtar loturæ carnis, ſed quoniam ubique non eſt Diploe, fruſtra exſpectamus hoc ſignum. *Cum modiolo fœmina.*

353. Tam diu pergendum, donec coloris mutatio in circulo, & vacillatio fragmenti doceant, fragmentum eximi poſſe ſine ulteriore terebratione: ſemper curandum, ut in omni ambitu æqualiter ſit ſolutum fragmentum, nunquam vero integre per terebram ſolutio eſt facienda, ne dentes modioli tangant ſubjectam duram matrem. Tunc cochlea manualis firmanda in antea facta fovea crenata, hac, & ſi requiritur, elevatorio prudenter eximendum eſt fragmentum. *Finis operationis.*

354. Quoniam margo partis perforatæ ſemper inæqualis, læderet ſubjectam duram matrem, margo eſt poliendus inſtrumento lenticulari, quod lædere non poteſt duram matrem inter abraſionem. *Abraſio marginis.*

355. Hærens ſanguis, & ſorditates in facta apertura probe, & blande ſunt auferendæ, linteo carpto, vel ſpongia molli; interea æger retenta anima urgere debet cerebrum, ut exeat liquor, vel ſi hoc non ſufficit, prudenter inſtrumento depreſſorio premenda eſt dura mater. Si vero ſanguis ſub dura matre hæret, ſectio in dura matre eſt facienda ſecundum fibrarum in eo curſum, ut ſanguis effuſus exeat. *Depuratio.*

356. Ablatis omnibus, applicandum eſt linteum orbiculare, filo alligatum, & melle roſarum cum pauxillo ſpiritu vini temperatum, tepide applicatum, ut margo hujus lintei aliquantulum ſit ſub margine aperturæ factæ. Huic inſuper applicetur ſimilis plumaceola, huic dein plumaceola globoſa, ut accurate apertura facta ſit impleta, inſuper applicetur ſplenium quadratum, & omnia in ſitu retinenda, cum modica preſſione ſtrophili, vel mantilis, aut faſciæ capitalis. Si adſint fragmenta, vel oſſis eminentiæ illa ſedulo tollenda, ſi per factam aperturam fieri non poſſit, altera nova eſt facienda. *Deligatio.*

357. Bis die innovanda eſt deligatio; mel roſarum cum ſpiritu vini ſufficit; deligatio ſequens debet fieri eodem modo, ut prima fuit facta. Intra quadraginta, vel quinquaginta dies ſeparabitur margo partis terebratæ; dein cutis emplaſtris tenacibus magis eſt adducenda, & expectandum donec apertura facta carne, & quadam ſubſtantia cartilaginea ſit impleta; locus dein muniendus lamina tenui; ne a cauſa externa lædi poſſit: in loco illo relinqui ſolet cicatrix vel cava, vel elevata, cum quodam dolore, & infirmitate. *Innovatio Deligationis.*

358. Non ſemper omnis dolor, & gravitas unica terebratione tollitur, quia in alieno loco inſtituta, vel ſi binis in locis effuſus ſit ſanguis, quod conſtat ſignis traditis (324, & 346.) tunc alio quoque in loco repetenda eſt perforatio. *Symptomatum curatio.*

Si *hæmorrhagia* vexat poſt operationem, compeſcitur ſimili modo (346. n. 6.)

6.) vel ſufficit aſpergere pulverem ex bolo Armena , thure , colophonia , ſanguine draconis , & terra ſigillata cum leni preſſione : inter operandum autem miniſtri digito compeſci debet .

Caro luxurioſa compeſcenda leni compreſſione , vel conſumenda pulvere ſabinæ, aluminis uſti , Sacchari Saturni : ſi major eſt , portio eminens amputanda , & prævenienda hæmorrhagia ſtyptico fortiori (Ch. 346. n. 6.)

Fungus Cerebri excreſcit ex inſcitia Chirurgi , neſcientis partem cerebri non ſatis compreſſam ſemper propullulare , ſi leni compreſſione , & adſperſione colophoniæ , vel thuris non poteſt minui , pars eminens eſt abſcindenda ; atque pars tegenda lamina rigida levi ſupra plumaceolam applicatam .

Fractura Particularis .

Fractura narium. 359. Oſſa narium raro franguntur ſine contuſione , vel vulnere ; facile ex naſi deformitate dignoſcitur ; Deſtruit ſæpe organum *Olfactus* , *difficultatem ſpirandi* per nares parit ; *faciei deformitatem* inducit ; atque non raro deinceps generat *Ozænam* , vel *Polypum* , magnamque narium *Hæmorrhagiam* . Reſtitui debet Calamo ſcriptorio , vel alio inſtrumento cavo naribus accommodato , tenui , & molli linteo obducto , cavo narium indito , atque digitis externe , ut omnia fragmenta , debito in ſitu reponantur , quod facilius fit quam in tali ſitu conſervare ; quare indita turunda ex linteo carpto , melle roſarum humectata , in utraque nare , intus ſunt ſuſtentanda oſſa , exterius autem ſpleniis ad latera naſi , & machina ſupra naſum elevata prævenienda eſt ligaturæ compreſſio ſupra naſum . Bis de die innovanda eſt deligatio , ob muci affluxum . Non conducit indere cannulam ad facilitandam reſpirationem , niſi circa finem curationis , id eſt 14. die , cum aeris applicatio remoretur curationem .

Maxillæ inferioris. 360. Maxilla inferior raro patitur fracturam , & , quia minus ſuſtentat muſculorum contractionem , quam reliqua oſſa , extrema fragmentorum minus ſupra ſe mutuo trahuntur , ſed ob nervum ad dentes tendentem admodum eſt doloroſa ; ſæpe jungitur cum dentium diffractione , & e ſua ſede remotione . Cognoſcitur ex menti figura mutata , inordinata ſede dentium , & reliquis fracturæ ſignis . Satis commode ob minorem muſculorum tractionem reponitur , & ſæpe e ſede ſua non removetur , quando ceſſat repoſitionis indicatio ; ſi autem partes e ſede remotæ ſunt , pollex unius manus linteo obvolutus ſupra molares dentes uſque ad coronam maxillæ poſitus , & digiti ad angulum maxillæ debent poſteriorem maxillæ partem retinere in proprio ſitu , dum altera manus mentum protendat , & reponat . Dein dentes ſi receſſerint in ſede ſunt ponendi ; atque plumaceolis melle roſarum imprægnatis interna oris ſunt munienda , externe ſplenium ſpiritus vini poteſt applicari , & dein apta deligatione mentum ſuſtentari , & muniri per 20. vel 30. dies . Caveat æger ſibi ab omni loquela , & manducatione . Sed utatur ſorbitionibus pro nutrimento .

Humeri. 361. Humeri os ob longitudinem , & quia unicum eſt , cæteris frequentius frangitur : viſu , tactu , & immobilitate membri facile cognoſcitur , atque facile reponitur , ſedente ægro in ſedili humili , cubito aliquomodo flexo , ut muſculi æqualiter ſint tenſi , & humero ad angulum ſemirectum cum trunco corporis . Si fractura ſit obliqua , brachium minus eſt mantili a collo , vel pectore pendenti ſuſtentandum , quam ſi fuit tranſverſa . Reliqua ex generali deſcriptione fracturæ intelligi poſſunt .

Cubiti. 362. Inter humeri os , & manum , quæ pars brachii dicitur Cubitus , duo continentur oſſa , Radius , & Ulna ; poteſt ergo unum , vel alterum os frangi , vel utraque . Ultimum facile cognoſcitur , ſed duæ priores fracturæ , quia membrum manet erectum , difficilius deteguntur , ſi fragmenta e ſede non

mul-

multum receſſere, manu retentus cubitus circa flexuram pronandus, & ſupinandus, dolor & crepitus fragmentorum declarabit, os unum, vel alterum eſſe fractum. Si hæc oſſa fracta ſitum naturalem teneant, ita ſunt ponenda ſplenia ſecundum cubiti longitudinem, ut caro urgeatur inter utraque oſſa; ſemper enim per muſculos pronatores, & ſupinatores urgentur hæc oſſa ad ſe mutuo; reliquum ut fractura tractandum, ſed Cubitus cum manu in mitella, vel mantili pectori annexo ſuſtentandus: ſi circa manum ſit fractura, prudenter omni biduo, vel triduo manus articulus movendus, ne fiat ancyloſis. Si unum os ſit fractum, quia ſemper fere vergit ad alterum os integrum, cum extenſione preſſio facienda ſimul in oppoſito oſſe integro, ut aliquomodo flectatur, dum Chirurgus ſuis manibus ambabus urgeat carnem inter duo oſſa cubiti; poſt reſtitutionem deligatio ut prior eſt facienda. Si vero utraque oſſa ſunt fracta, communis extenſio eſt facienda, & ſimul curandum ne extrema oſſium nimis ad ſe mutuo vergant, quod peragitur ſpleniis dicto modo locatis, evitando omnem externam preſſionem oſſa ad ſe mutuo urgentem.

363. Manus tota cum conſtet minutiſſimis oſſiculis raro patitur fractu- *Carpi, Metacarpi, & digitorum.*
ram, ſed contuſione interdum comminuuntur oſſa; hic ob multitudinem tendinum doloroſa ſolet eſſe fractura. Quia oſſicula ſunt parva, difficile reponi poſſunt, præcipue in Carpo, in Metacarpo paulo facilius, & in curatione generales regulæ ſunt obſervandæ; ſed ſæpe hæc oſſicula contuſa, & comminuta corrumpuntur, quare frequentius in tali fractura, quam in aliis, amputatio eſt facienda, frequentiuſque fit ancyloſis, ne æger poſt multos paſſos dolores tamen amputationem ſubire cogatur, ſatius eſt mature eam inſtituere.

364. Inter fracturas difficillima eſt, quæ fit in femore. (1) Os eſt omnium *Femoris.*
maximum; (2) unicum in hoc membro; (3) multorum muſculorum contractionem ſuſtentare tenetur. (4) Poſt reſtitutionem ſemper coguntur ægri decumbere; (5) peſſima eſt ſi fiat in collo hujus oſſis, cum ſemper fere claudi maneant.

365. Præter generalia curationis fracturæ, (1) magna vis extendens eſt adhibenda. (2) os anterius ex natura aliquomodo eſt curvatum, quod ſæpe decipit. (3) ſecundum totam longitudinem pes eſt firmandus. (4) æger decumbere debet ſupra lectum ex ſtramine, vel pilis animalium; aut tale pulvinar, in cujus medio eſt foramen, ut poſſit exonerare alvum. (5) ſub pede ſano fulcimentum ponendum, ne femur fractum cogatur corporis deſcenſum ſuſtentare. (6) facile incidunt in narium excoriationem, vel ſphacelum, ex continuo decubitu. (7) ſi obliqua ſit fractura, mantili ſub inguinibus tranſeunte, ſponde affixo, atque ligaturis ſupra genu firmatis femur in extenſione retinendum, ſimulque arctius cum Ligatura biblica vinciendum crus, ſed ſuſtentantia auxilia ſæpe mutanda. (8) æger ante ſexageſimum diem pedibus inſiſtere non debet. (9) curandum ſemper, ut pedes in eadem longitudine ſerventur dum conſolidantur.

366. Si fractura in Collo femoris fiat, quod multo frequentius quam luxatio, quia hic obliquum eſt os, & ſatis ſpongioſum, utplurimum manent claudi, poſt curationem. (1) quia hic obliqua eſt ſuſtentatio. 2) validiſſima potentia trahens muſculorum femur moventium: (3) caput oſſis femoris a reliquo oſſe ſæpe moritur. Ut hanc fracturam cognoſcamus, quæ propter carnis ambientis multitudinem vix detegi poteſt, & ſæpe cum luxatione confunditur ab auctoribus, hæc ſunt obſervanda: (1) membrum accurtatur. (2) manu Chirurgi facile ad omnem partem poteſt flecti. (3) inter movendum percipitur ſtrepitus. (4) multo minor eſt tumor, quam formaretur ſi caput oſſis femoris fuiſſet luxatum. Ad curationem requiritur præ ceteris, ut ſemper protenſum retineatur femur.

Cruris, ſeu tibiæ, & fibulæ. 367. Tibiæ fractura facile viſu, & tactu dignoſcitur, utpote os tibiæ tenui cute tectum: ſed fibulæ ſub carne latens tenue os, & ſæpe non multum impediens, ſi ſit fractum, difficilius detegitur; ſed prehenſo crure ſub genu, dum pes altera manu huc & illuc movetur, crepitu, & motu per manum crus retinentem detegitur. Sequitur generalem fracturæ curationem, & eam quam in cubito (362) propoſuimus. Sed ad conſolidationem requiritur, ut ſervetur in capſa cruri, & pedi accommodata, & ut crus & pes, præprimis calcaneum, molliter, & æqualiter jaceat; tali in poſitura, qua pollex pedis genu, & mentum ſint in linea recta.

Pedis, ſeu tarſi, metatarſi, & digitorum. 368. Quod ſupra obſervatum fuit in oſſibus manuum, (363) id quoque in oſſibus tarſi, metatarſi, & digitorum pedum eſt obſervandum.

369. Patella fracta ſecundum longitudinem, vel latitudinem, in duo, vel plura fragmenta, cum vel ſine tendinis diſruptione, magnam differentiam prognoſis, & curationis facit: tactu, viſu, & extenſione pedis impoſſibili, aut quando tunc trahitur patella ſupra articulum genu, facile cognoſcitur.

Patellæ. 370. Fractura ſecundum corporis longitudinem, adductione fragmentorum, cum ſuſtentatione ad latera per ſplenia, & faſcias, & hujus membri extenſi quiete curatur.

Tranſverſa fractura difficilior eſt, exigit adductionem partis ſuperioris verſus inferiorem, & talem deligationem, ut fragmenta maneant unita, ſupra, & infra genu; nec articulus eſt flectendus, nec æger debet facere conamen attollendi crus intra duos integros menſes.

Fractura in multa fragmenta, vel ſi tendo ſimul ſit ſolutus, eadem facienda curatio, ſed raro obtinetur ſine concretione articuli.

371. Cur ex patellæ fractura fere ſemper ancyloſis? Nulla eſt oſſium fractura exigens longiorem alicujus articuli quietem, quam fractura patellæ. Atque callus ex patella fracta fluens funditur in articulo genu, ubi cum mucilagine hujus articuli miſtus, extrema etiam femoris & tibiæ concreſcere facit.

372. Cur pars patellæ fractæ inferior non æque, quam ſuperior recedit?

Inferior patellæ pars, ſi fractura ſit tranſverſa, adhæret tendini, qui in contractione muſculi non accurtatur: ſed pars ſuperior muſculis extenſoribus cruris annexa, dum hi muſculi accurtantur, ſimul trahi debet ſurſum.

Curatio. Claviculæ. 373. Os claviculæ, quia gracile eſt & tranſverſe locatum, in medio non ſuffultum, facile frangitur, quando pars verſus brachium fere ſemper ſub altera parte trahitur, & quia ſubjacet arteria, & vena ſubclavia, non caret periculo. Cognoſcitur facile, præprimis in macilentis, quum nudum admodum ſit, facitque brachium magis duci ad pectus, & difficulter moveri. Reſtituitur facile tractis humeris a miniſtro poſterius, dum ſimul ſuo genu locato ad ſpinam dorſi, dorſum ſuſtentet miniſter, nam tunc Chirurgus ſolis digitis claviculam fractam reponere poteſt. Difficilius autem in repoſita ſede retinentur, ſed loca cava ſupra, & infra claviculam ſpleniis implenda; brachia ita liganda verſus dorſum, ut anterius moveri non poſſint; ita ſuſtentandum mantili, vel mitella, ut ſuo pondere non ducat claviculæ annexam partem deorſum; dum charta rigida ad claviculam figurata munita ſit pars.

Scapulæ. 374. Scapulæ acromion fractum plerumque relinquit impedimentum attollendi brachium. Collum ejus diffractum ob ſubjacentia vaſa periculoſum, & raro ſanatur. Reliquæ partes fractæ minus periculi portendunt, & facilius curantur. In reſtitutione attollendum brachium, ut Deltoides muſculus ſit laxus, dum digitis Chirurgi reponatur fractura. Poſt repoſitionem diu non debet æger conari elevare brachium, ſed gerere debet brachium mitella admodum ſuſtentatum.

Sterni. 375. Sterni fractura raro verſus exteriora facit prominere fragmenta, ſemper

per fere verſus interiora, quod facile patet ex impreſſione ſterni, & interdum ſtrepitu ſi moveatur pectus: hoc receſſu ſæpe, vel arteria, vel vena ſub ſterno jacens rupta, fit ſanguinis effuſio in cavo pectoris; vel duplicatura mediaſtini: hac effuſione, & diſtractione mediaſtini generatur reſpiratio difficilis, tuſſis, rejectio ſanguinis, dolores pectoris antro, & retro. Reſtituitur eodem modo, ut in Claviculæ fractura (373) dictum eſt, ſed facta preſſione ambabus manibus ſupra coſtas ad latera. Si autem ita ſternum attolli nequit, neque emplaſtro tenaci, neque cucurbita, facienda eſt diſſectio integumentorum, & cochlea firmanda in oſſe ſterni, cujus ope attolli debet. Poſt reſtitutionem pectus muniendum thorace, vel alia machina, ne comprimi poſſit ſternum.

376. In Coſtarum fracturis hæc ſpecialia ſunt obſervanda: 1. Separatio cartilaginis a coſtis inter fracturas numeratur. 2. Coſta fracta ad exteriora minus periculoſa, & curatu facilior: ad interiora difficilior: manens ſolum munimentum exigit. 3. ſi fragmentum lædens interiora non poteſt reſtitui, inciſione integumentorum facta, eſt eximendum. 4. Extrema fracturæ introcedentia reſtituenda compreſſione facta circa vertebras, & ſternum, vel & elevatio juvanda emplaſtro tenaci (322), vel digitis juvari poteſt ſi vulnus adſit. 5. ſi pleura, vel pulmo lædatur, accedentia tuſſis, dolor, febris, difficilis reſpiratio, prompta requiritur reſtitutio. 6. Arteria, vel vena rupta fundens ſanguinem in celluloſa pleuræ, vel cavo pectoris exigit compreſſionem digiti linteo cum liquore ſtyptico ſupra vas, donec ſubſiſtat hæmorrhagia, & effuſus ſanguis conſueta methodo educendus. 7. Emphyſema, natum quod vulnus adſit, faciens ut inſpirationis tempore aer ſe inſinuet in panniculo adipoſo, vel cellulari, pleuræ: aeris recepti tentanda evacuatio, atque tegenda apertura, veſica, vel alia membrana, ut aer intrare non poſſit. 8. poſt reſtitutionem, & deligationem evitanda tuſſis, clamor, ſternutatio, nixus; muniendum pectus contra externum impetum. *Coſtarum.*

377. Raro & non niſi validiſſima cauſa franguntur vertebræ: ſi ſolus proceſſus ſit fractus, tactu, viſu, ſtrepitu, & dolore in motu ſpinæ, detegenda fractura, curatur ſatis facile, & prompte, modo proceſſus redigatur digitis in priſtinum ſitum, poſito corpore, ut hi muſculi ſint laxiſſimi. Si vero major pars vertebræ eſt fracta, ut medullam ſpinalem comprimat, ex accedente paralyſi, inſenſibilitate, ſtupore, involuntaria urinæ, & fecum evacuatione cognoſcenda, promptam reſtitutionem exigit: ſi præcedenti modo obtineri non poſſit, facienda eſt apertura, ut reſtituatur fractura, vel eximatur fragmentum, cum alias certe morietur æger. *Vertebrarum.*

378. Os Sacrum non niſi valida vi frangi poſſe, ſitus, & oſſium firmitas comprobat, ſed an os Coccygis poſſit frangi, propter parvitatem, dubium eſt; ſed ſæpius luxatum fuiſſe obſervatio probat. Hæc oſſa ſua ſede remota, immiſſo digito in ano, & pollice applicato externe reponuntur. Caveat æger ne ſedendo, vel decumbendo hæc oſſa premat, quare ſedere oportet in ſella perforata. *Sacri, vel coccygis.*

CAPUT IV.

De Luxatione.

379. LUxatio, Chirurgis ſæpe dislocatio dicta, eſt unius oſſis in articulo ex ſede naturali alterius oſſis integra remotio, cum extinctione, vel moleſtia actionis iſtius articuli, ſine abſciſſione ligamentorum facta. Si vero integra non fiat remotio ex priori ſede, hanc ſpeciem ad ſubluxationem referunt. Si vero Apophyſis ſeparetur ab oſſe, ut in junioribus, vel ſi ſeparatio fiat in ſutura, harmonia, & gomphoſi, imperfecta habetur luxatio. *Definitio.*

380.

Præcognitio. 380. Ad cognitionem, prædictionem, & curationem hæc præſcienda ſunt. 1. Cognitio Articulationis oſſium. 2. Ligamentorum articulos nectentium. 3. Curſus, & roboris muſculorum hoc membrum moventium. 4. Mucilaginis, & medullæ, ſeu ſmegmatis articulorum. 5. Scientia glandularum in, & circa articulos. 6. Curſus vaſorum circa articulos, & partium adjacentium uſus.

Varietas. 381. 1. Articulus vi externa, vel intortus, vel nimis tenſus, ut inde ligamenta nectentia tenſa doleant, manentibus oſſibus in ſede ſua, vocatur *Diſtorſio;* ſi vero os aliquomodo in articulo ſit remotum, ut non integre ſit prolapſum, vocatur *Subluxatio*. 2. Periculum, & difficultas differt in Luxatione facta pro articulatione varia (175.) 3. Ex loco verſus quem os prolabitur, ſurſum, deorſum, & ad latera. 4. multis, paucis, vel nullis aliis ſymptomatibus ſtipata. 5. Si fiat ab externa, vel interna cauſa. 6. Recens, vel inveterata. 7. in ætate varia, majore, minorive corporis robore. 8. In partibus variis.

Cauſa. 382. Cauſæ Luxationem, & ejus ſpecies inducentes diſtinguendæ in Externas, & Internas, quod requiritur ad prædictionem, & curationem.

Externa. 383. Nam cauſa externa eſt ſemper vis valida, ſuperans contractilitatem, vel cohæſionem ligamentorum, & muſculorum retinentium articulum in proprio ſitu. Ea autem minor eſſe poteſt in infantibus, pueris, & debilibus, aut ſi articulus ſemel luxatus fuit. Hæc ita applicanda eſt membro, ut dimoveat ex ſede ſua os, quare quo articulus minus cavus, eo facilior luxatio, quemadmodum in Arthrodia.

Interna. 384. Internæ cauſæ ad hæc tria referri poſſunt, 1. quæ cauſam nectentem minuunt, vel deſtruunt, 2. quæ articulum implent, 3. quæ valida actione muſculorum os e ſede ſua removent. Quæ cauſæ ſimul diverſa ſigna ſuggerunt, & variam curationem exigunt.

Ligamentorum laxitas. 385. Nam ſi ligamenta articulos nectentia nimis relaxantur, omnemque amittunt tonum, quod ſæpe obſervatum fuit in oſſis femoris cum acetabulo coxæ articulatione, per vix ullam vim os ex ſuo acetabulo excidit, facile moveri poteſt ſine dolore ad quamcumque partem, & magis quam in ſanis fieri poteſt, membrum ſano eſt longius: fovea circa articulum detegitur; adduci poteſt pars ad debitam brevitatem; & luxata facile reſtitui, ſed ſponte prolongatur iterum, & excidit. Ut talis curetur luxatio 1. membrum eſt ita ſuſtentandum, ut propria gravitate prolabi non poſſit. 2. Ligamenta laxata *robora frictione*, *fomento linimento*, donec Articulus ſatis ſit roboratus. Si poſt factam luxationem per vim externam remaneat facilior articuli prolapſus, iiſdem auxiliis firmabitur.

Muci abundantia, & glandularum intumeſcentia. 386. Si Acetabulum articuli impleatur nimia abundantia muci tenacis, vel incremento glandularum, quæ mucum in cavum articuli deponunt, fit capitis alterius oſſis extruſio; membrum fit longius; ſæpe nulla fovea, ſed potius intumeſcentia in ambitu articuli; os reponi non poteſt, aut ſi vi retrudatur, dolorem movet; ſenſim increſcit malum: in reponendo ſentitur mollities. Statim *linimentis, & fomentis reſolventibus* muci diſſipatio eſt promovenda, atque glandulæ tumeſcentes reſolvendæ, ſæpe, & blande, articulus movendus. Si vero ſit *Exoſtoſis* implens articulum, nullam medelam capit; lente quoque hoc malum increſcit; in reſtitutione ſentitur durities; reliqua ex natura Exoſtoſis (203) cognoſci poſſunt.

Convulſio. 387. Quæ autem ex valida convulſione, ut interdum fit in Epilepſia, generatur luxatio, ſpecialem non habet curationem, & facile cognoſcitur.

Effectus. 388. Dum articulus ex ſua ſede remotus eſt, quædam fiunt generalia, quæ pro ſignis quoque accipi poſſunt, reliqua enim ſpecialia propriis in locis tradenda. 1. Mutatio figuræ naturalis. 2. Ab uno latere tumor, & ab oppoſito cavitas. 3. Interdum prolongatio, interdum accurtatio membri. 4. Impo-

potentia movendi iſtud membrum . 5. Dolor , ſtupor , Paralyſis , Inflammatio , Oedema , Macies , Aridura , Convulſio , Vigiliæ , Sphacelus iſtius partis , prout os luxatum premit , aut vellicat Arteriam , Venam , Nervum , Tendinem , Membranam , Ligamentum . In ſubluxatione , figuræ mutatio , & tumor minor, ſæpe membrum fit longius, & interdum quædam actio remanet.

Prognoſis.

389. Poſt detectam luxationem requiritur ſtatim, ut poſſit Chirurgus præſagire majus minuſque periculum, facilem, aut difficilem curationem, quod ex ſequentibus intelligi poteſt.

1. Quo pluribus ſtipata ſymptomatibus, eo periculoſior.

2. Luxatio in Arthroſi facillima , in Enarthroſi , & Ginglymo difficillima.

3. Quo vetuſtior, eo difficilior ad reſtituendum.

4. Quo pluribus muſculis membrum ſtipatum, eo difficilior reſtitutio.

5. Ab interna cauſa ſemper periculoſior, quam externa cauſa.

6. Difficillima eſt, quæ habet ſimul Epiphyſis ſeparationem , uti in Infantibus.

7. Periculoſum eſt, ſi adſit ſimul fractura, præcipue circa articulum.

Curatio .

390. Ut curetur articulus luxatus, ipſa curatio ad has quatuor partes referri poteſt. 1. Extenſionem, 2. Repoſitionem, 3. Retentionem , 4. Symptomatum remotionem.

Extenſio .

391. Luxatio recens , non ſtipata Symptomatibus extenſionem impedientibus , ſequentes cautelas in extenſione exigit . 1. Extenſio in uno oſſe , & ſuſtentatio in altero oſſe ejuſdem articuli eſt facienda . 2. Imperfecta Luxatione , membris majoribus , multis muſculis firmatis , atque corporibus robuſtis , fortior eſt facienda extenſio , quam in his contrariis . 3. Dum tenditur, membrum aliquomodo ſimul flexum eſſe debet, ut muſculi ab omni parte æqualiter ſint tenſi . 4. Senſim, & lente facienda eſt extenſio, ut contracti muſculi, & ligamenta ſequi poſſint. 5. Tam diu continuanda Extenſio, donec extremitates oſſium ſe mutuo tangere non poſſint. 6. Si manibus , vel mantilibus fieri ſatis poſſit, abſtinendum ab omnibus machinis . Si cum Extenſione relaxantur muſculi, optimum eſt.

Impedimenta .

392. Extenſio ſtatim facienda , interdum impeditur. 1. Si adſit contuſio , vel inflammatio, qui morbi prius ſuis propriis auxiliis ſunt minuendi . 2. Si ſimul adſit fractura circa articulum luxatum (295) , impediens extendentem cauſam inter articulum & fracturam applicari poſſe. 3. In vetuſta Luxatione ligamenta articuli *laxanda* prius *fomentis* , & *linimentis*.

Repoſitio.

393. Facta tanta Extenſione, ut caput oſſis non multum tangat marginem acetabuli alterius, prudenter remotum caput, ſi ſponte non recedat, reducendum in priſtinum locum, cavendum ne trudatur portio marginis in acetabulum; poſt reditum lente committendum eſt caput oſſis in acetabulum , quod fiet propria contractione muſculorum, ne perichondrium, vel cartilago, vel glandulæ articuli contundantur, & ita Ancyloſin pariant.

Bene repoſiti ſigna .

394. Bene repoſitum eſſe articulum cognoſcimus; 1. reditu figuræ membri naturalis; 2. Diminutione doloris; 3. reſtituta utcumque actione articuli; 4. ſtridore aliquo in reditu ſuo .

Impedimenta .

395. Hæc reſtitutio impeditur , 1. imprudenti repoſitione trudente portionem marginis acetabuli in ejus cavitate, 2. ſi mucus, glandula tumefacta, vel Exoſtoſis (386) acetabulum implet, 3. ſi ligamenta, vel muſculi ita fuere in vetuſta luxatione accurtata, ut ſatis prolongari nequeant , 4. vel ſi in vetuſta luxatione ligamentum acetabuli ſtringit collum oſſis pone caput , ut extricari non poſſit.

Retentio.

396. Poſt repoſitionem articulus in propria ſede eſt conſervandus , membrum commode locandum, & deligandum.

397.

Conſervatio. 397. In luxatione ab externa vi vix requiritur retentio, quum accuratio muſculorum, & ligamentorum retinebunt articulum in ſua propria ſede; quare faſciæ ad retinenda applicata medicamenta magis inſerviunt, quam ut retineatur repoſitus articulus; ſed ſi ex ligamentorum relaxatione fuit luxatus articulus, maxime inſerviunt faſciæ etiam, ut retineatur in ſua ſede articulus.

Deligatio. 398. Antequam faſciis munitur articulus, conducit fricare articulum leniter cum Oleo Althææ, vel Roſarum, vel cum unguento Althææ ſimplici. Sed ſi luxatio fiat ex laxitate, fricandus eſt articulus, & ad eum applicanda *Roborantia*. (385) Prima deligatio ante tertium diem non eſt innovanda, niſi quædam adſint Symptomata citiorem innovationem exigentia. Poſt iſtud tempus leniter movendus articulus ne concreſcat, vel rigeſcat.

Locatio partis. 399. Membrum repoſitum, 1. nec nimis flexum, nec extenſum eſſe debet, 2. ſubſtrato molli ſuſtentandum, 3. quantum fieri poteſt, in ſitu elevato retinendum, 4. ex cauſa interna magis, quam externa membrum ſuſtentandum.

Symptomatum remotio. 400. Minus frequens eſt luxationem compoſitam, ſeu Symptomatibus ſtipatam, obſervare, quam fracturam.

Si adſit *Vulnus*, Ligatura biblica eſt applicanda, & frequentius deligatio eſt innovanda, atque medicamenta vulneribus apta applicanda.

Contuſio valida eadem exigit, niſi quod ſint applicanda, quæ contuſionibus adhiberi poſſunt.

Abſceſſus citius, & ante maturitatem aperiendus, ne pus in articulum prolabens glandulas, & perichondrium corrumpat.

Cum *Fractura* quid ſit agendum, ſuperius (295) monuimus.

Si vero in magnis articulis tam valida fuit facta Luxatio, ut ligamentis ruptis os articuli multum ſit protruſum per integumenta, hæc pars oſſis vaſis privata moritur, citius autem ſi reponatur, quam ſi non reponitur; quare ſola Amputatio reſtat ad conſervationem vitæ.

Quæſtiones. 401. Cur perfecta Luxatio in Ginglymo periculoſior, quam in Diarthroſi, & Arthrodia?

Duæ prominentiæ oſſis receptæ a duabus cavitatibus non poſſunt e ſede ſua detrudi, niſi tantum elongentur ligamenta, ut fere ſemper diſrumpantur, ut fit in Ginglymo: ſed in Arthrodia, & Enarthroſi tanta non requiritur prolongatio ligamentorum, ut fiat luxatio.

402. Cur in Ginglymo raro perfecta, ſed in Enarthroſi, & Arthrodia, raro imperfecta luxatio?

In Ginglymo unum caput oſſis poteſt recipi in alterius acetabulum. Sed rarum eſt, ut caput oſſis perſiſtere poſſit ſupra marginem acetabuli, quin contractione muſculorum, vel levi motu membri recidat in ſuum acetabulum.

403. Unde ſonitus in reſtitutione oſſis luxati ſæpe, etiamſi lente reponatur?

Si magna vi retruditur articulus luxatus ex colliſione oſſium, facile concitatur ſonitus: ſed ſi lente reponitur, forſan inde eſt, quod liquor in acetabulo collectus tempore luxationis, nunc in reſtitutione cum ſonitu extrudatur. Vel quia margo cartilagineus, antea flexus, nunc retroſiliens ad os durum allidat.

404. An bonum indicium, ſi in reſtitutione luxationis auditur ſonitus?

Si magna vi retruditur os luxatum in proprium ſitum, ex colliſione unius oſſis ad alterum generatur non ſolum ſonitus, ſed etiam contuſio marginis acetabuli, perichondrii, & cartilaginis articulum obducentis, unde poſtea ſæpe Ancyloſis. Quare ex hoc ſigno non debet gloriari Chirurgus, ſe bene reſtituiſſe luxationem, ſed imprudenter, & nimis valida vi repoſuiſſe articulum fateri tenetur.

405.

405. Cui uſui ligatio articuli poſt Luxationis reſtitutionem?

In luxatione ex laxitate ligamentorum utilis eſt, ut adducantur ligamenta; ſed ſi fiat ab intumeſcentia glandularum, & a valida vi, ligatio adhibetur ad retinenda medicamenta applicata, quum repoſitus articulus propria contractione muſculorum ſponte retinebitur in naturali ſuo ſitu.

406. An articulus poſt repoſitionem Luxationis firmiter ligandus, & ei applicanda adſtringentia, ut intercipiatur fluxio?

Veterum doctrina fluxionis quia obſoleta eſt, curationis indicatio inde veniens quoque evaneſcit. Sed ſi ex laxitate fiat luxatio, utraque hæc poſſunt adhiberi, ut magis accurtentur ligamenta. Sed ſi luxatio ſit ex valida vi, cui conjuncta ſemper eſt contuſio, utraque hæc damnoſa ſunt.

407. Unde remanens ſtrepitus, & crepitus articuli poſt reſtitutionem luxationis?

Articulus vi remotus ſæpe ſimul induxit contuſionem glandularum, & perichondrii, quibus læſis generatur defectus ſmegmatis, & inæqualitas ſuperficiei tangentis: dum igitur deinceps movetur articulus, generatur ſtrepitus.

408. Cur ſæpe poſt Luxationem Ancyloſis?

Si ex valida vi luxatio fuit facta, ut cartilago, vel perichondrium fuerit læſum, callus excreſcens coaleſcere facit articulum, præprimis ſi nimis diu immobilis retinetur poſt repoſitionem.

Luxationes particulares.

409. Articulatio Arthrodia dicta admodum plana, in humero facillimam luxationem admittit: ſed eminens acromium ſcapulæ, clavicula, & muſculus deltoides impediunt luxationem oblique, directe ſurſum; quare fere ſemper oblique, vel directe ſeorſum fit humeri luxatio. *Humeri.*

410. Deorſum luxatum humerum his ſignis cognoſcimus. (1) fovea fit ubi naturaliter humerus prominet. (2) acromium ſcapulæ maxime eminet, (3) ſub ala tumor, (4) brachium altero longius, (5) cubitus recedit a corporis trunco, & adduci nequit niſi magno cum dolore; ſi fiat magis in priora ſub muſculo pectorali, cubitus poſterius ducitur: ſi fiat luxatio verſus poſteriora, totum brachium trahitur verſus anteriora pectoris. Quæ luxatio in anteriora fit, comprimendo vaſa ſub ala locata plura ſymptomata inducere ſolet, & citiorem reſtaurarionem exigit, quam reliquæ ſpecies. *Signa.*

411. Ut ex arte fieri poſſit extenſio, corpus ægri firmandum mantili pectus ambiente ſub brachiis, ut a Miniſtro, vel miniſtris corpus verſus latus ſanum aliquomodo inclinatum poſſit firmari ſedens æger ſupra ſellam humilem. Dein alter miniſter prehenſo brachio ſupra cubitum manibus, vel faſciis anſatis ſenſim, & lente trahit brachium habens angulum cum corpore fere ſemirectum. Si manus non ſufficiunt ad extenſionem, adhibere ſolent machinas varias, quæ ſemper periculoſiores, & majores dolores excitant. *Extenſio*

412. Poſt ſufficientem extenſionem, Chirurgi munus eſt reponere caput humeri in acetabulum ſcapulæ: hinc ſumit mantile nodo collectum, per quod ægri tranſit brachium ad manus diſtantiam circiter ab ala ægri, atque per hoc mantile dimittit Chirurgus ſuum caput, & unum brachium, ut ope hujus quantum viſum eſt, attollere poſſit brachium. Ponit dein unam manum ſupra ſcapulam, quam deorſum trudit, ut eo liberius caput oſſis humeri reponi poſſit: hoc facto, inter extendendum ambabus manibus, una circa alam, altera circa cubitum, ita os humeri dirigit, ut requiritur, dum ſimul ope mantilis brachium attollit. Si tum redactum os, ſenſim dimittendum in ſuum acetabulum. *Reſtitutio.*

Poſt repoſitionem. 413. Ita repoſitum brachium in mantili, vel mitella ſuſtentante gerendum ad pectus, & omni biduo, vel triduo hic articulus, brachio ſuſtentato ſub cubito, eſt movendus prudenter, ne concreſcat.

Per machinas reſtitutio. 414. Si vero vetuſta ſit luxatio, vel homo robuſtior, quam ut manibus poſſit fieri ſufficiens extenſio, variæ ſunt excogitatæ machinæ tendentes, quæ in Chirurgicis pictæ inveniuntur. Omnis autem reſtitutio ſupra januam, ſcalam, crucem, vel cum calcaneo, ſunt operationes imprudentes, & doloroſæ. Sed machinæ artificioſæ tendentes, ſi manibus reſtitui non poteſt, ſunt adhibendæ, quæ tendunt brachium, & ſimul ſuſtentant pectus.

Cubiti. 415. Quia Cubiti articulatio non ſolum eſt per ginglymum, ſed per olecranum ulnæ firmatur in fovea oſſis humeri, atque articulus firmiſſimis ligamentis nectitur, Luxatio ad latera raro perfecta, &, ſi fiat perfecta, plerumque quædam ligamenta ſimul rupta ſunt. Anterius non luxatur niſi ſimul Olecranum ſit fractum: poſterius autem frequentius luxatur. Cognitio, & Reſtitutio ex generali doctrina poteſt peti. Sed poſt reſtitutionem quotidie, vel alterno die movendus eſt cubitus, quia facillime concreſcit.

Manus. 416. Manus tota raro luxatur ad latera, propter eminentiam Ulnæ, & Radii, ſed ſæpius in anteriora, & poſteriora. Hæc Luxatio propter tendinum multitudinem adjacentium, admodum doloroſa, & multa inferens Symptomata. Oſſiculorum Carpi, & Metacarpi, atque Digitorum Luxationes facile cognoſcuntur, atque communi methodo reponuntur.

Femoris. 417. Os femoris luxatum fuiſſe ex acetabulo oſſis coxæ in valgis, & claudis quibuſdam, diſſectione cadaverum conſtat; ſed etiam ſæpe detexerunt collum femoris fuiſſe abruptum, in quibus judicarunt adfuiſſe Luxationem. Hanc fieri vix poſſe a valida vi Luxationem, comprobant. (1) vis tanta externa oſſi femoris applicari vix poteſt, quæ ſuperaret tenacitatem ligamenti, quo caput femoris nectitur acetabulo, & ſuperaret anguſtiam marginis acetabuli, cui circumquaque collum femoris per validiſſima ligamenta nectitur, quin potius ipſum os frangeretur. (2) Ligamentum os acetabulo nectens eſt firmiſſimum, externa tenſione vix ſeparandum. (3) Margo acetabuli anguſtius, quam eſt magnitudo capitis oſſis. (4) profundiſſima eſt articulatio. (5) Validiſſimis muſculis retinetur in ſua ſede. Ex quibus conſtat, fracturam cervicis femoris a valida vi habitam fuiſſe in Valgis, & Claudis pro Luxatione; ſed ab incremento glandulæ in acetabulo hærentis (386), vel muci confluxu, ut in Iſchiaticis, vel laxitate ligamentorum (385) interdum hujus articuli luxatio fuit inventa, quod cognoſcimus ex hujus articuli diuturniore dolore, luxatione ſine valida vi facta, atque ex motu hujus articuli facili ſine ſtrepitu, aut multo dolore. Curatio hujuſmodi luxationis tradita eſt allegatis locis.

Patellæ. 418. Patella non niſi ad latera luxari poteſt, quin ſimul rumpatur tendo muſculorum, in quo hæret: quia unde hæret Patella, facile cognoſci poteſt, & reſtitui: nam membrum hoc locetur erectum, dummodo æger non conetur elevare pedem, patella libere quaquaverſum ad latera moveri poteſt, atque ita minima vi, & ſine extenſione membri, ſolis digitis Chirurgi reponi poteſt.

Genu. 419. Genu, id eſt articulus inter femur, & crus, ob magnitudinem, & articulationem per ginglymum, & quia anterius firmatur tendinibus dictis (418) atque patella, raro ad latera, vel anteriora luxatur: ſi autem fiat, plerumque quædam ligamenta ſunt rupta. In poſteriorem partem luxatum genu facile cognoſcitur, & communi modo reſtituitur; niſi ſæpe poſt reſtitutionem moveatur, facile generat ancyloſin.

Fibulæ. 420. Si Fibula os removetur a Tibia, ſpecies luxationis eſt, quæ præter repoſitionem exigit fortiorem per faſcias conſtrictionem, qualis fere ſolet fieri in fracturis.

421. Niſi firma articulatione adhæret pes cruri, ob pondus corporis hic articulus frequentiſſime ſubiret luxationem: quæ tamen ſi fiat admodum dolorosa eſt, ſed communi methodo reſtituitur, atque poſt reſtitutionem exigit omiſſionem ambulationis. Hic autem articulus ſæpius patitur contuſionem, & contorſionem ligamentorum, quando dolor inde natus pro ſubluxatione ſæpe habetur; qui tamen dolor, ut ceteri a contuſione dolores, eſt curandus. *Pedis.*

422. Maxillæ inferioris condyloides proceſſus in manducatione antrorſum, & retro euns, vehementi oſcitatione, convulſione, vel interdum colliſione externa, in anteriorem partem luxatur, uno vel altero, vel utroque latere, quod ex menti diſtorſione, & oris hiatu facile cognoſcitur. *Maxillæ.*

423. Quoniam æger os claudere nequit, & coronoides proceſſus admodum urget temporalem muſculum ad jugalem proceſſum, prompta, & prudens facienda eſt reſtitutio, locatis pollicibus linteo bene munitis utriſque ſupra dentes molares inferiores, atque digitis externe ad angulum maxillæ, dum firmiter tenetur caput a miniſtro. Tunc primo deorſum, poſtea poſterius, ultimo ſurſum pellendus eſt condyloides proceſſus maxillæ; quæ omnia ſubito fieri debent cum retractione pollicum, ne æger mordeat iſtos; vel quod prudentius eſt, inter reſtituendum aliquod corpus non admodum durum, pollicibus craſſius, locandum inter dentes inciſorios, ut æger pollices mordere nequeat. Poſt reſtitutionem per aliquot dies evitare debet manducationem cibi durioris.

424. An per Alapam, vel Colaphum maxillæ luxatio reſtituenda?

Quidam Chirurgi gloriantur, ſe per alapam prompte reſtituiſſe hanc luxationem: ſed ſentio imprudentem, & truculentam, minuſque Chirurgo decentem eſſe reſtitutionem, quia corona maxillæ interdum ita impingitur jugali proceſſui, ut inde verenda Symptomata inferantur.

425. Vertebrarum Luxatio raro perfecta, nam ſi tota vertebra remota ſit ab altera, rupta medulla ſpinalis mortem infert: ſed fit plerumque luxatio in una, vel altera aprophyſi obliqua, vel in utriſque ſimul, quod cognoſcimus ex corporis diverſa flexura, in hoc, vel iſtud latus; vel directe antrorſum. *Vertebrarum.*

426. Lumborum vertebræ frequentius luxantur (1) quia circa medium corporis locantur, (2) craſſa cartilagine diſtinctæ ſunt, (3) ob planitiem conjunctionis. Os autem *Coccygis* intro verſus luxatum, premens inteſtinum rectum, ut hujus oſſis fractura reponitur. (378) *Lumborum.*

427. In colli Vertebris rarior, quam in vertebris lumborum, luxatio, (1) corpora vertebrarum colli magis per eminentiam, & foveam articulantur. (2) minor copia cartilaginis interpoſita. (3) magis ſitæ ad corporis extremum. *Colli.*

428. Si caput cum vertebris colli patitur luxationem, qualis luxatio vocatur *Collum fractum*, promtiſſime debet reponi, poſito corpore ægri ſupra ſolum, vel pavimentum, dum Chirurgus manibus ad utrumque latus capitis, prehenſum caput elevat, ſic movet, & dirigit, ut in ſitum redeat; curandum poſtea, ut aliquamdiu immobile retineatur caput. *Capitis.*

429. In Vertebris dorſi rariſſima fit luxatio, ſed interdum Coſtæ vertebris articulatæ ſurſum deorſum, & ad interiora luxantur, quam luxationem ex comparatione ad oppoſitum latus, & ex ſymptomatibus difficilis reſpirationis cognoſcimus; reſtituitur ſurſum, vel deorſum luxata coſta ſuſpenſione ægri ab humero, dum Chirurgus ſimul in locum reponit coſtam. Sed ſi ad interiora receſſerit, ut fractura coſtæ (376) hæc luxatio tractanda. Si vero *Clavicula* ad os ſternum ſit luxata, premens tracheam, arteriam, carotidem, & reliquas adjacentes partes, varia inde inducit ſymptomata: ſed altera pars cum acromio ſcapulæ articulata ſi luxetur, interdum pro oſſis humeri fuit *Dorſi Coſtarum. Clavicularum enſiformis Cartilaginis.*

habita, cum quoque brachii motum impediat. Reſtitutio vix differt a fractura claviculæ. (373) *Enſiformis* Cartilago fracta attollenda Emplaſtro tenaci, vel cucurbita antlia inſtructa, dein muniendus locus contra novam intropreſſionem.

Vertebrarum luxationis ſigna.

430. Quævis vertebra luxata ſpinæ incurvaturam facit: ſi una ſit luxata, angulosa eſt curvatura; ſi plures, fit curvatura polygona: utriſque apophyſibus luxatis, urgent corpus directe anterius; ſi vero alterutra ſit luxata in oppoſitum latus, oblique antroſum inflectitur.

Curatio.

431. Locandus eſt æger ita ſupra corpus cylindricum pulvinari munitum, ut prominens luxata pars directe ſurſum habeatur: trunci ſuperior, & inferior pars flectendo magis, & ſimul extendendo debet trahi a miniſtris, dum Chirurgus manu urget vertebram luxatam in propriam ſedem; dein ſubito pars trunci ſuperior elevanda; ſi unica hac vice non ſit facta repoſitio, iteranda eſt operatio.

Quæſtiones.

432. An extenſione ſpinæ ſecundum lineam rectam fieri poteſt reſtitutio luxationis?

Ex compoſitione vertebrarum facile patet; neutiquam per extenſionem ſecundum lineam rectam, reſtitui poſſe luxationem vertebræ, niſi apophyſis lateralis ſimul ſit fracta: potius enim diſrumpetur ſpinalis medulla, & moreretur æger.

433. An forti compreſſione ſupra vertebram luxatam repoſitio fieri poteſt?

Sæpe hoc ab imperitis fuit cum lethali effectu tentatum, cum tali modo reponi non poſſit, niſi forte diffringatur proceſſus vertebræ luxatæ.

434. An non perverſo, & inæquali incremento cartilaginis inter vertebras fere ſimilis figura ſpinæ poteſt fieri, ac ſi eſſet facta luxatio?

Hæc obſervatio eſt frequens in gibboſis, ſed tunc ſenſim major fit ſpinæ incurvatio, dum in luxatione ſubito formatur.

435. An vertebræ perfectæ luxari poſſunt ſine ſubſequente morte?

Perfecta nequit fieri luxatio in vertebris, quin medulla ſpinalis, in theca vertebrarum decurrens, diſrumpatur, cujus ruptio primo inducit inſenſilitatem, & paralyſin partium inferiorum, & dein mortem.

436. Cur luxatio vertebrarum ſpinæ in ſuperioribus periculoſior, quam in inferioribus?

Omnis vertebrarum luxatio eſt periculoſa ob adjacentem medullam ſpinalem, ex quibus oriuntur nervi per corpus diſtribuendi: ſi ergo ſpinalis medullæ pars ſuperior premitur a luxatione, omnes functiones nervorum abolentur, & æger brevi perit: ſed ſi in parte inferiore portio ſpinalis medullæ comprimitur a luxatione, in partibus ſuperioribus, aliquamdiu remanere poſſunt functiones vitales, donec reſtituta ſit luxatio.

LIBER III.

CAPUT I.

De Arteriis.

Tranſitus.

437. ABſoluta deſcriptione ſuſtentaculi corporis humani generalis, ejuſque morborum, altera ſubjungenda eſt pars doctrinæ, quæ exponit tranſitum humorum ad omnia corporis puncta, eoſdemque reducit, ut maneat vita. Organa, hæc facientia, ſunt: (1) *Arteriæ*, (2) *Venæ*, (3) *Nervi*, ut & reliqua vaſa circulatoria, quæ ad has partes referuntur. In quibus fabricam, actiones, & morbos ſumus expoſituri.

Arteriæ definitio.

438. Canalis ramoſus, vehens liquorem circulatorium a trunco verſus ramos,

mos, in viventibus ſanis ubique eodem tempore ſe conſtringens, dimittens, niſi forſan in quibuſdam organis, vocatur Arteria.

439. Tale vas eſt (1) *Arteria Aorta*, ex ſiniſtro ventriculo cordis proveniens, & accipiens ſanguinem. (2) *Arteria Pulmonalis*, ſimili modo oriens ex dextro cordis ventriculo. (3), *Arteriæ Lymphaticæ*, ex ramis arteriæ cruentæ provenientes, non admittentes ſanguinis globulos rubros. (4) *Arteria portarum*, quæ ex ſinu venæ portarum acceptum ſanguinem ducit ad omnia hepatis puncta. Cuncta hæc vaſa, etiamſi in ſtatu præternaturali motu retrogrado interdum admittant fluxum, retinent tamen Arteriæ nomen. *Genera.*

400. *Aorta*, ſive *Magna arteria*, unico trunco ex ſiniſtro cordis ventriculo veniens in dextro latere pectoris ſurſum tendens, poſt adſcenſum trium digitorum arcum formare incipit ad ſiniſtrum latus tendentem, poſt quem deinceps vocatur Aorta deſcendens. Interne admodum lævigata, nullis valvulis inſtructa, niſi in origine ex corde, tribus *Semilunaribus*, reditum impedientibus. Succeſſive multos emittit ramos, qui ſenſim in minores abeunt. Capacitas omnium ramorum ſimul major invenitur, quam eſt capacitas hujus trunci. Origo ramorum ex trunco, & trunculis eſt fere ubique cum angulo obtuſo verſus truncum: *Mammariæ* autem, *Hypogaſtricæ*, & *Umbilicales* cum angulo acuto; *Intercoſtales* vero, & *Renales* rectum ſervant angulum cum trunco. *Aorta.*

441. Externa Tunica, ſeu membrana arteriæ, quæ *communis* eſt partibus adjacentibus, cenſetur ex Pleura oriri, dirigens vaſa adeuntia ſubſtantiam arteriæ, quæ arteriæ, & venæ in lateribus arteriæ Aortæ inveniuntur, ex coronariis proveniunt, facientes multiplices plexus, & anaſtomoſes: nervos, & vaſa lymphatica quoque conducit. (2) Huic ſubjacet alia *Celluloſa* tenera, dilatabilis. (3) Subſequitur dein alia tegmine ſolido, inextricabili confecta, per quam infinitæ arteriæ, venæ, & nervi diſtribuuntur, & quæ continet cryptas, ſeu lacunas glanduloſas, confectum mucum in cavum arteriæ eructantes; eam vocant *nervoſam*, *glanduloſam*, & *vaſculoſam*. (4) Huic ſubjacet Tunica, *muſculoſa* vocanda, conſtans fibris multis orbicularibus, contractilitate, & motu vitali donatis, in majoribus arteriis in multas lamellas ſeparabilis: conſtrictione harum fibrarum propellitur ulterius contentus ſanguis, & iterum dilatantur ſanguinis impletione, vi cordis propulſi, uti alii muſculi a ſuis antagoniſtis: actione harum fibrarum continuatur ſanguinis trajectus, qui deficeret, ſi ſolum cor teneretur totam ſanguinis maſſam propellere. Si in omnibus fibris arteriarum a cauſa morboſa, motus major concitetur, formatur *febris ardens*, ſed ſi in uno vel quibuſdam fiat ramis, ideam *Inflammationis* præbet. (5) Intima ſanguini transfluenti contigua tenuiſſimis ſecundum longitudinem currentibus fibris conficitur, ut ex accurtatione abſciſſæ arteriæ ſatis evincitur, quamvis a quibuſdam negetur. *Arteriarum tunicæ.*

442. Cur arteria ſecundum longitudinem ſecta retorquetur?

Hoc experimentum in viventibus, & cadaveribus obſervatur, quare non dependet ex motu vitali ſolo fibrarum orbicularium: ſed quoniam in viventibus citior, & major fit retorſio, judicandum eſt, a motu etiam vitali promoveri. *Quæſtiones.*

443. Cur arteria tranſverſum abſciſſa retrotrahitur?

Hoc conſtat in omni experimento, & vulnere, nam abſciſſa arteria ſenſim ita retrotrahitur verſus utramque partem, ut magnum formetur ſpatium inter extrema abſciſſa, & arteria ſub carne abſcondatur. Hoc fit quoniam fibræ longitudinales arteriæ ſolutæ ſua contractilitate inſita trahunt partem ſolutam verſus partem adhuc integram, quæ accedere non poteſt.

444. Cur arteria abſciſſa ſe ſenſim integre claudit, niſi ſit nimis magna?

In tranſverſum abſciſſa arteria fibræ longitudinales ſe accurtantes faciunt, ut multæ fibræ orbiculares congregentur in minori arteriæ longitudine; hæ

tunc

tunc orbiculares prævalentes ſenſim ſua contractilitate conſtrictæ totam vaſculi cavitatem claudunt: ſed ſi ſit arteria major, tota cavitas non poteſt conſtringi, quoniam tam magna non fit accurtatio fibrarum, ut talis ampla cavitas poſſit claudi.

Arteriarum actio.

445. In arteriis viventium triplex obſervatur Actio. (1) *Pulſus*, qui dicitur motus arteriarum naturalis alterne ſe ſtringens, & dimittens. (2) *Pulſatio*, ſi arteriæ agitatio illa percipitur in locis non conſuetis; vel ſi in locis conſuetis validior percipitur pulſus actio, adeo ut ſit veluti pulſus fortior. (3) *Palpitatio* autem videtur inanis, & inordinata arteriarum actio, ut fit in arteriarum motu ſi deficit influens ſanguis.

Exitus arteriarum.

446. Quum arteriæ omni pulſatione e corde recipiant ſanguinem, requiritur igitur recepti ſanguinis exitus, quia non accumulatur: ille autem exitus eſt multiplex. Antequam vero arteria ex ſuis extremitatibus emittit ſanginem, rami arterioſi infinitis modis ſibi mutuo inoſculantur, facientes plexum arteriarum, qui eo frequentiores quo redduntur arteriæ minores: ut patet in ala veſpertilionum, rana, cauda anguillæ, & omnibus membranis noſtri corporis pellucidis.

In venam.

447. Plerumque poſt formatos plexus, interdum etiam ſimplici fabrica ramoſa, arteria tranſmittit ſanguinem rubrum in principia venarum, ut patet per microſcopia in viventibus, & pellucidis animalibus; atque injectione facta in arteriam, redeunte materia ceracea per venam, multis in locis corporis, ſed conſpicue in meſenterio.

448. Quibuſdam in locis corporis, ut in corporibus ſpongioſis penis, & clitoridis, arteria effundit ſanguinem in cavitates, vel thalamos, ex quibus venæ amplo orificio recipiunt ſanguinem. Quidam exiſtimant in Liene vitulino ſimilem eſſe fabricam.

In arterias lymphaticas.

449. Pars ſanguinis pellucida minoribus conſtans partibus, quam ſunt globuli rubri, deponitur ex arteriis cruentis in arterias lymphaticas, anguſtiores, quam ut poſſint unicum admittere globulum. Hæ vero magis dilatatæ arteriæ rubrum etiam ſanguinem admittunt.

In vas ſecretorium, & excretorium.

450. Aut arteriæ extremitates eo uſque attenuatæ, ut non tranſmittant globulos rubros niſi per validiorem impetum, vel morboſam dilatationem finium, (1) deſinunt in vas ſimplex exhalans ſine ullo organo glanduloſo, quæ extremitates quibuſdam in partibus collectæ efformant villos. (2) Aut colliguntur in quadam veſicula, ſeu folliculo, ſeu crypta, quæ ab omni parte recipit, & colligit effuſum ex arteriis humorem, quem emittit deinceps per proprium emunctorium, quales exitus paſſim in cute, ore, naribus, œſophago, ventriculo, & inteſtinis, deponentes muſcoſum humorem. (3) Vel congregantur in organo quodam glanduloſo, in quo arteriarum extremitates videntur continuari in principia iſtius glandulæ ductus; alii putant ſe exonerare in folliculos glanduloſos, ex quibus orirentur principia ductus excretorii, quæ ſententia minus quam prior reſpondet experimentis.

Quæſtiones.

451. An non poteſt fieri narium hæmorrhagia, lochiorum, & menſium fluvius, aut profluvium, ſudor ſanguineus, mictus cruentus, & diarrhœa cruenta, ſine ruptione vaſorum?

Quoniam arteriæ ſine ſtructura glanduloſa exhalantes, & deſinentes in cryptas, non tranſmittunt ſanguinem rubrum, quia anguſtiores, accedente majore impetu dilatante, vel relaxatione oſculorum, igitur ſine ulla vaſorum ruptione ſanguinem fundere poſſunt: immo rami venarum uteri, & inteſtinorum valvulis carentes ſimili modo per motum retrogradum ſanguinis in his, ſanguinem fundere valent ſine vaſorum ruptione.

452. An ſanguis ex arteriis in venas euns non tranſit per anaſtomoſes, ſed per parenchyma intermedium?

Si manifeſta experimenta teſtantur in viventibus, & mortuis, ſanguinem

per

per anaſtomoſes ferri ex arteriis in vena; corruunt omnia ratiocinia (quæ collegimus Comp. Tom. I. Tr. XIX. §. L. Hæc experimenta ita ſunt divulgata, & toties repetita, ut non opus adſtruere.

453. An arteria operatur ſola elaſticitate, vel contractilitate?

Si in animalis adhuc viventis arteria abſciſſa indatur digitus; quamdiu vivit animal; conſtringitur digitus alterne, ac ſi eſſet in cor immiſſus per abſciſſum mucronem, eo autem mortuo, ceſſat hæc alterna preſſio. Quoniam autem elaſticitas, & contractilitas non eſt actio vitæ, patet hanc alternam preſſionem non fuiſſe proruptam ab elaſticitate, vel contractilitate, ſed a motu vitali.

454. Cur arteriæ viventium plenæ, mortuorum fere vacuæ ſine ſanguinis effuſione?

Dum moritur animal, primo ceſſat cordis actio, deinceps quieſcit arteria, denique etiam vena propellere ſanguinem deſinit: ergo ad partem primo quieſcentem colligi debet ſanguis, id eſt in venis, & quia pergit arteria propellere, quæ nihil ex corde recipit, ea omnino depleri debet.

455. An ſanguinis propulſio a ſola cordis conſtrictione?

Huic ſententiæ obſtant multæ difficultates, 1. ſimilis alterna conſtrictio in arteriis, quam corde. 2. cor, mucrone abſciſſo, inditum digitum modice premit, & potentia contrahendi non ſuperat gravitatis decem librarum potentiam, quæ non ſufficit ad totam maſſam circumducendam. 3. potentia injiciendi non major, quam naturalis conſtrictio cordis, non valet per viſcus mortuum trajicere liquorem. 4. ſtimulus valet in ſpeciali ramo arteriæ concitare motum, ſine motu cordis mutato. 5. tranſitus injecti liquoris promovetur manus palpatione. Quare ſanguinis propulſio juvatur motu vitali arteriarum.

456. An Artetiarum contractio dependet ab elaſticitate laterum tenſa per diſtendentem intus ſanguinem? vel innata contractilitate? vel impletione vaſculorum in ſuis lateribus? vel influxu ſpirituum vitalium?

Videntur hæ cauſæ unitæ præſtare arteriarum actionem, ſed præcipua harum videtur influxus ſpirituum; minima autem impletio vaſculorum minorum in lateribus.

457. An nulli poſſunt fieri morbi ex vitiato ſucco arteriarum?

Arterias intus muco obliniri nemo negare poteſt, digitus inditus fidem faceret; hunc ſuccum ſolum in noſtro corpore omnium morborum immunem eſſe, fidem ſuperat. Si vero acrimoniam contraxerit ſtimulantem fibras arteriæ ut aliis in partibus corporis, majorem motum facit, & ut varia ſunt vitia, quemadmodum in reliquis humoribus, varii naſcuntur morbi.

Arteriarum Diſtributio.

458. Aorta arteria (440) unico trunco ex ſiniſtro cordis ventriculo veniens, in ſuo oſtio tribus valvulis ſemilunaribus ita eſt inſtructa, ut qui ſemel tranſiit ſanguis redire non poſſit: reditu enim ſanguinis ſacciformes hæ valvulæ turgentes totam cavitatem Aortæ obturant, cum id ſpatium triangulare, quod inter tres valvulas circa axin aortæ relinqueretur, tribus tuberculis ad mediam partem marginis valvularum hærentibus, accurate impleatur. *Aorta tres valvulæ ſemilunares.*

459. Plerumque duobus, raro tribus orificiis, ex aorta, ſtatim pone valvulas ſemilunares, oriuntur Arteriæ Coronariæ, quæ præbent arterias cordi, auriculis, & ex corde provenientibus vaſis majoribus. *Arteriæ coronariæ.*

460. Ad trium circiter digitorum diſtantiam ab origine aorta arcum formare incipit, qui ſiniſtrorſum tendit. Ex hujus Arcus convexa parte 1. oritur *Arteriæ ex Arcu provenientes.*

tur *Subclavia dextra*, quæ emittit *Carotidem dextram*, 2. *Carotis ſiniſtra*, 3. *Subclavia ſiniſtra*.

Carotides externæ. 461. Ex Carotide utraque emittitur *Carotis externa* dicta, quæ in utroque latere colli, dat ramos Laryngi, Pharyngi, Muſculis linguæ maxillæ, labiis, ori, naribus, oculis, auribus, temporibus, omnibuſque externis partibus capitis: unus ramus ex hac arteria proveniens per ſpeciale foramen intrat cranium, & diſtribuitur in Duram matrem.

Carotides internæ. 462. Emiſſa carotide externa, reliqua arteria, quæ nunc vocatur *Carotis Interna*, intrat Canales oſſeum cranii, in quo patitur inflexiones, ut formet figuram inſtar litteræ S. Hoc in loco ejus tunica admodum attenuatur, ut deinceps arteriæ ex carotidibus provenientes habeant tunicas paulo craſſiores quam tunicæ venarum. Ex his dein cum vertebralibus junctis formantur magnæ Anaſtomoſes, quæ dicuntur Circulus Vvilliſianus, ſub cerebri baſi, atque inde proveniunt omnes arteriæ, quæ per omnes partes encephali diſtribuuntur.

Subclavia. 463. Ex ſubclavia arteria utriuſque lateris ſequentes oriuntur arteriæ.

1. *Vertebrales*, quæ in itinere multas arterias tribuunt medullæ ſpinali, ſub prima colli vertebra inſtar litteræ S. Inflexæ, amittentes, ut Carotides, portionem tunicæ muſcularis, ampliores factæ, quam dum intrabant Encephalon, coaleſcunt ſub medulla oblongata in arteriam *Cervicalem*, quæ iterum fiſſa, miſſis multis ramulis arterioſis, unitur cum carotidibus internis in circulum Vvilliſianum; ex hac etiam reflectitur *Spinalis arteria*.

2. *Muſcularis colli*.

3. *Scapularis externa*.

4. *Intercoſtalis ſuperior*, pro duabus, vel tribus coſtis ſuperioribus.

5. *Mediaſtina*, quæ etiam dat ramos pericardio, & thymo.

6. *Diaphragmatica ſuperior*.

7. *Mammaria*, deſcendens ſub ſterno in ventrem inferiorem, dat ramos mammis, & muſculis pectoris, & ventris.

8. *Axillaris*, tendens ad brachium, ex qua iterum oriuntur *Thoracica*, quæ præbet mammarias externas, & vertebrales externas: *Scapularis interna*; *Brachialis*, quæ emittit Radiæam, & Cubitæam, & reliquas arterias, quæ per manum diſtribuuntur.

Aortæ truncus. 464. Poſt emiſſos ramos arteriarum dictos, & flexuram factam, fertur aorta deorſum circa ſpinam dorſi uſque ad os ſacrum, ubi bipartitur in Iliacas: hæc pars Aortæ poteſt vocari *Aorta Deſcendens*.

Arteriæ ex trunco aortæ provenientes. 465. Ex hoc trunco 1. oritur *Arteria Bronchialis*, quæ ſæpe etiam ex Intercoſtalibus provenit.

2. *Intercoſtales inferiores*, tendentes ad coſtas omnes, exceptis tribus, vel quatuor ſuperioribus, & ad muſculos abdominis.

3. *Oeſophageæ*.

4. *Diaphragmaticæ inferiores*, quæ etiam interdum oriuntur ex cœliaca.

5. *Cœliaca*, ex facie anteriore trunci aortæ, ſtatim ſub diaphragmate, oritur angulo obtuſo verſus truncum lato admodum principio, poſt originem diſpeſcitur in ramum dextrum, & ſiniſtrum. Ex ramo dextro oritur *Gaſtrica dextra*, *Epiploica dextra*, *Pancreatica*, *Duodena*, *Hepatica*, *Cyſticæ gemellæ*. Ex ſiniſtro autem ramo, *Gaſtrica ſiniſtra*, *Epiploica ſiniſtra*, *Splenica*, ex qua etiam *Pancreatica ſiniſtra*. Omnis per has arterias allatus ſanguis effunditur in ramos venæ portarum, ut ire debeat per hepar, antequam tradatur venæ cavæ.

6. *Meſenterica ſuperior*, quæ ulterius ad inteſtina tenuia tendit.

7. *Renales*, olim Emulgentes dictæ, angulo recto ex trunco aortæ venientes.

8. *Atrabilariæ*, ad Renales capſulas tendentes.

9.

9. *Adipoſæ*, in pinguedine renes cingentes evaneſcentes.

10. *Spermaticæ*, dextra plerumque ex trunco aortæ, ſiniſtra ex renali; in viris tendunt ad teſtes, in mulieribus ad ovaria.

11. *Meſenterica inferior*, per meſocolon tendens ad craſſa inteſtina; quæ per inteſtinum rectum diſtribuitur, vocatur *Hemorrhoidalis interna*.

12. *Lumbares*, præcipue diſtribuuntur per muſculos lumborum, & ventris.

13. *Sacra*, per medium oſſis ſacri decurrens, diſtribuitur per pelvim.

466. Tandem diſpeſcitur truncus Aortæ in duas arterias magnas, quæ dicuntur *Iliacæ*. Utraque Iliaca ſubdividitur in duas alias arterias, quarum una vocatur *Interna*, altera *Externa*. Ex interna oritur *Hypogaſtrica*; quæ ad inteſtinum rectum veniens dicitur *Hæmmorroidalis externa*. Ab externa vero Iliaca provenit *Epigaſtrica*, quæ Mammariis unitur, *Umbilicalis*, *Muſcularis Pudendæ externa*, *Inguinalis*, quæ venæ incumbit; hæc etiam dividitur in externam minorem, & internam majorem: ex qua *Poplitæa*, *Suralis*, & *Tibialis*, quæ præbent arterias per pedem diſtribuendas. *Iliacæ.*

CAPUT II.

De Hæmorrhagiis.

467. ARteriæ, ut reliqua organa corporis, ſuis propriis morbis corripiuntur, qui referri poſſunt ad diverſas partes in arteriis obſervandas 1. ad ipſa latera arteriarum, quorum integritas poteſt ſolvi, & fieri poteſt Laxitas, Rigiditas, & Fragilitas. 2. Ad Capacitatem, quæ augeri, & minui poteſt, & omnino obliterari. 3. Ad Actionem majorem, minorem, turbatam, & extinctam, quæ complectitur Inflammationem, Eryſipelas, pulſationem, palpitationem. 4. Ad earum ſuccum intus oblinientem, qui abundare, deficere, & degenerare poteſt. 5. Ad ſanguinem per arterias fluentem. 6. Ad res externas ſuſtentantes, quarum privatio, vel validior preſſio, multa mala infert. Ex vaſto hoc pelago eligemus *Hæmorrhagiam*, *Inflammationem*, *Abſceſſum*, *Gangrænam*, & *Sphacelum*, atque *Aneuriſma*, quibus morbis medentur Chirurgi. *Arteriarum morbi.*

468. In ſolis arteriis, & venis pauciſque locis intermediis continetur ſanguis ruber, qui ſi extra hæc repagula funditur, ſive extra corpus, ſive in cava corporis, generali nomine vocatur Hæmorrhagia, quæ vel naturalis, ut in feminis, vel morboſa, varia accipit nomina, ſed ex omnibus his Hemorrhagia narium, & Vulnerum, quoniam Chirurgicam opem poſtulant, in hoc loco tractanda. *Hæmorrhagiæ Definitio.*

469. Generales Hæmorrhagiarum cauſæ ad hæc genera referri poſſunt. 1. Quæ arteriarum, aut venarum integritatem ſolvunt vi illata. 2. Implendo diſſolvunt, vel aperiunt. 3. Impetu interno diffringunt, vel dilatant. 4. Suſtentaculi ablatione rumpi permittunt. 5. Corrodendo ſolvunt. 6. Fragilitate naturali, vel acquiſita rumpi permittunt. 7. Laxitate orificiorum ſanguinem coercere non poſſunt. 8. Denique in ſanguine ſumma tenuitas, & deficiens cohæſio, qui coerceri non poteſt. *Hæmorrhagiæ cauſæ.*

470. Arteriarum diffractio a quovis corpore duro, ſive ſit ab inſtrumento acuto, quando dicitur vulnus, vel obtuſo, Contuſio vocata, ſive fiat ex Laceratione, aut duro fragmento oſſis, ad eumdem titulum referri poteſt; quia effunditur ſanguis ſine indicatione evacuationis, & inde poſt remotionem rerum alienarum, ſi expedit, ſtatim eſt compeſcenda hæmorrhagia, niſi caſu proſit. *A vulnere*

471. Sanguinis major abundantia in vaſis cruentis, quam ut coerceri poſſit, vel dilatat oſcula arteriarum, ut tranſmittant cruorem, vel diffringit. *Ex abundantia.*

1. Si ſit mera plethora, ut in juvenibus, victu opiparo, ſuppreſſa ſanguinis evacuatione, mutilatione partis; hæmorrhagia modica prodeſt, &, niſi fiat, arte facienda. 2. Impeditus autem reditus per venam, ut in angina, quibuſdam anxioſis, ſi faciat hæmorrhagiam, minus ſecure levat, & ſignum eſt malum; cauſæ comprimentis curationem poſtulat. 3. Sanguinis expanſio ſubito inducta, calore ſolis, ignis, ſtragulorum, calefacientium, & morbis calidis, hæmorrhagiam producens ſe ipſam curat, & actu, vel potentia frigidis adhibitis compeſcitur.

Motu aucto. 472. Majore impetu per totum corpus, vel ad aliquam partem, ut in morbis acutis, ardentibus inflammatoriis, animi pathematibus quibuſdam, motu muſculari, abuſu aromatum, ſpirituoſorum, calefacientium, juvenili ætate, ſternutatione, vomitu, nixu forti, tuſſi, aut irritatione in ſpeciali parte, ſi generetur hæmorrhagia, minuit ipſum impetum, & ſalutaris eſt in generali aucto motu, ſed in motu particulari prodeſſe, & nocere poteſt: huic præcedere ſolet pulſatio, calor, & rubor partis, antequam erumpit ſanguis.

Suſtentaculi ablatione. 473. Qui autem ſanguis erumpit ob privatum externum ſuſtentaculum, ut in aere leviore, cicatrice relicta, vulnere uſque ad arteriam inflicto, evacuatione puris, vel aquæ ſubito, vel, & in feminis partu, ſemper mali ominis eſt, & novo artificiali addito ſuſtentaculo curanda.

Corroſione. 474. Ex Corroſis vaſis, in ſcorbuticis, cachecticis, vel alia acrimonia laborantibus, profluens ſanguis, morbum auget, debilitatem inducit, & non ſolum exigit ſanguinis fluentis ſuppreſſionem, verum ſimul correctionem cauſæ corrodentis, & ſæpe partis ablutionem.

Fragilitate. 475 Si ex conſueto impetu, quod arteriæ fragiliores non valent naturalem, vel paulo majorem ferre ſanguinis impetum, ut interdum obſervatur in hæreditaria hæmoptyſi, erumpit ſanguis, periculoſiſſimus eſt ſtatus; caveri debent omnia, quæ motum augent, & quoties indicia plethoræ, vel impetus majoris ad aliquam partem oriuntur, artificiali ſanguinis miſſione eſt prævenienda, dum ſimul adhibentur, quæ vaſa firmant.

Laxitate. 476. Sed oſcula excretoria laxiora, quam ut poſſint coercere cruorem, faciliorem curationem quam fragilitas promittunt, cum adſtringentia, & roborantia adhibita contractilitatem augeant; præprimis ſi illæ partes ſimul externe ſuſtentari poſſunt. Talis ſanguinis fluxus protinus cohibendus, cum permiſſus laxitatem adaugeat.

Tenuitate. 477. In morbis Epidemicis, Endemicis, Peſte, Scorbuto, Colliquatione, Petechiis, ſine acutorum, & aliis morbis putridis, tanta interdum generatur ſanguinis tenuitas, & parva cohærentia, ut ſine oſculorum ruptione effluat. Qualis hæmorrhagia ſemper peſſimi ominis, ejuſque curatio ex propriis iſtis morbis petenda. Quæ fit per remedia incraſſantia antiſeptica.

Effectus. 478. Ad intelligendos effectus ex Hæmorrhagiis provenientes ſimul perpendere debemus, 1. an fiat lente ſeu ſenſim, an vero ſubito. 2. an fluens ſanguis effundatur, vel colligatur in cavis corporis. 3. Num ſit copioſa, vel exigua. 4. An vi in corpore egente aliqua evacuatione, vel eam vitante. 5. Quæ concitatur a variis cauſis. 6. Ex quanam corporis parte ſit; 7. Ex arteria vel vena majore, vel minore. Quæ ſimul prædictiones formare poſſunt.

Curatio. 479. Curatio in has ſpecies poteſt diſtingui: 1. quæ adhibetur in cauſa vulnerante, ad quam medicamenta, & auxilia immediate adhiberi poſſunt. 2. quæ mutanda eſt ex parte varia. 3. quæ varia eſſe debet ex cauſa hæmorrhagiam inducente.

Immediata applicatio in hæmorrha- 480. Promptiſſimum eſt 1. auxilium, comprimere truncum arteriæ, vel ramum venæ, vel, & ipſam aperturam factam, digito, ſpleniolis pyramidalibus, faſciis, turundis, inſtrumento compreſſorio, ſtrictura cum filo. 2.

ap-

applicare *ſtyptica* in forma *Lavamenti*, *Pulveris*, vel *Turundæ*. 3. Uſtio per ferrum candens. 4. Abſciſſio, ſi arteria hiat. 5. Applicatio actu frigidorum. 6. Collectio labiorum hiantium per *Emplaſtra tenacia*. *giavulnerum.*

481. Ut compeſcatur impetus, conſtringantur vaſa, & ſanguis fiat minus fluxilis, ad partes proximas applicanda actu frigida quæcumque; quæ ſi ſint ſimul ſtyptica, magis juvat, quæ *Epithematis* forma applicari poſſunt. *Ad partes proximas.*

482. Et ut in reliquo corpore compeſcatur motus, 1. ſimilia actu frigida ad partes remotiores ſunt applicanda, 2. intercipiendus ſanguinis reditus per venas, injecta ligatura ad membrum majus, 3. inſtituenda venæ ſectio ad derivandum. *Ad partes remotas.*

483. Dum tamen hæmorrhagia non ſubſiſtit per hæc externa auxilia, quædam quoque *interna* dari poſſunt. *Interna medicata.*

484. Non omnibus partibus eadem ſunt adhibenda auxilia, cum quædam requirunt ſola interna, aliæ partes magis roborantia; aliæ vero reſpuunt validiſſima ſtyptica. *In parte varia.*

Nam in *Hæmorrhagiis narium*, quia veſtiens membrana acuto ſenſu prædita eſt, & irritata ſternutamentum excitat, *mitiſſima ſtyptica* indenda ſunt cum linteo carpto.

In *hæmoptyſi* ſimul adhibenda *pectoralia* interna adſtringentia, & temperandus impetus per venæ ſectionem.

Menſium autem *profluvium* exigit topica magis *roborantia*, quam adſtringentia, cum ſuſtentatione ventris per cingulum.

Alvi *fluxus cruentus* ſpecialia clyſmata exigit, & quæ alvum ducunt.

Ex *ore*, & *faucibus* manans ſanguis *collutiones* poſtulat.

485. Quoniam auxilia ad cauſas varias melius intelliguntur ex cauſarum deſcriptione, quam ſi ſeorſim proponantur, ipſæ cauſæ recenſitæ ſunt inſpiciendæ. *Ex cauſæ varia.*

486. Cur frequentior ex naribus hæmorrhagia?

Multæ hic concurrentes ſunt cauſæ 1. narium interna humiditas, 2. membrana vix ſuſtentata, 3. Epithelium tenue, 4. arteriæ mucum ſecernentes latiores. *Quæſtiones.*

487. Ex quibus locis venit ſanguis qui per nares effluit?

Profluere poteſt ex interioribus anterioribus partibus narium, qualis hæmorrhagia ſæpe excitatur ſcalptura narium, & indita turunda ſtyptica compeſcitur. Quæ autem ex radice narium venit, vel ex ſinubus frontalibus, & ephippii, ex antris Higmorianis, per inditam turundam non compeſcitur, ſed potius applicatione frigidi ad frontem, & faciem. Sic fluens ſanguis ſæpe per poſteriora foramina narium deſcendens, ſcreatu rejicitur, vel deglutitus vomitu, vel feceſſu redditur, quod peritos decepit.

488. An hæmorrhagia nunquam per *Anaſtomoſes*?

Ora venarum effundentia ſanguinem ex venis in parenchymata exiſtimabant Veteres dilatata nimis fundere ſanguinem: qui vero contendunt, omnem ſanguinem per anaſtomoſes transfundi ex arteriis in venas, omnino negarunt priorem ſententiam, primo, quia venæ non fundunt, ſed accipiunt ſanguinem, & quia omnis ſanguis funditur ex arteriis per anaſtomoſes in venas. Si autem rimamur experimenta injectionis Anatomicæ, conſtat, fortiorem injectionem factam in arteria permittere, ut ſanguis ex arteriarum orificiis tranſſudet: imo vena meſeraica eodem modo tranſſudare permittit ceram in cavum inteſtinorum. Quare Veterum ſententia non omnino abſurda, modo pro venis paſſim intelligantur arteriæ. Immo credibile eſt, omnem fere ſanguinis fluxum ab interna cauſa fieri a dilatatis oſculis.

489. An non interdum hæmorrhagia per *Diapedeſin*?

Concipiebant Veteres, areas inter fibras membranarum ita dilatari poſſe, ut non ſolum tranſmitterent ſeroſum, ſed etiam ſanguinem rubrum, ut

truditur liquor per linteum rarum, vel per poros corii. Hoc in valida preſſione fieri poſſe, hodierna experimenta comprobant; ſed non eſt frequens, vel naturalis Hæmorrhagiarum cauſa.

490. An non fieri poteſt Hæmorrhagia per *Diabroſin?*

Si vas corroſum tranſmittit ſanguinem, dicitur Diabroſis. Hic modus frequens a cauſa interna. (474) Sed ſpecialem curationem exigit, ut monuimus.

491. Quid denotat Veterum *Diæreſis?*

Diæreſis generalem ſolutam unitatem denotat; ſed quando ad hæmorrhagiam refertur, eam ſpeciem exprimit, quæ fit per cauſam vulnerantem, quo a reliquis diſtinguitur.

492. Cur hæmorrhagia periculoſior ex arteria, quam vena?

Quoniam ſanguis majore impetu fertur per arteriam, quam venam, difficilius eſt eam hæmorragiam compeſcere, unde ejus dependet periculum. Qui contendunt, periculoſiorem propterea eſſe Hæmorrhagiam ex arteriis, quam venis, quoniam emittitur ſanguis præſtantior, quod ex rutilo colore deducunt, a veritate aberrant: nam idem ſanguis, qui jam eſt in vena, ſtatim fuit in arteria, niſi quod in tranſitu partem nutriverit, quæ exigua mutatio non eſt tanta, ut inde mereatur periculoſior vocari hæmorrhagia.

493. Quid facit pulvis Sympatheticus ad cohibendam hæmorrhagiam?

De pulvere Sympathetico ex vitriolo in ſole calcinato multa prædicant Impoſtores ſe præſtare poſſe, ſi miſceatur ſanguini primo effluenti, & dein una ponatur in loco frigido; ſed quoniam nullis experimentis phyſicis conſtat, corpora in ſe invicem operari, ſi ad tantam diſtantiam ſint remota, hæc impoſtura excogitata eſt ad fallendum vulgus, quod putat certo fieri, quoniam apertum vas ſponte clauditur, quam ſuppreſſionem tunc huic pulveri adſcribunt.

494. An ligatio parvi articuli aliquid boni præſtat in hæmorrhagia?

Hoc fecerunt ad imitationem ligationis membri magni; ſed in tam parvo articulo tanta copia ſanguinis non poteſt contineri, ut aliquid faceret ad minuendum impetum totius. Factum tamen vidi a ſeniore Medico, qui jurabat ſe ſæpe bonum inde habuiſſe effectum, quod credo, nam ſenſim interim vas apertum claudebatur.

495. Quid facit ad cohibendam hæmorrhagiam buſo nodulo ligatus, vel chartula quædam cum magicis characteribus a collo ſuſpenſa, vel muſcus de cranio humano?

Re ipſa cuncta hæc, & centena ſimilia nihil valent ex ſuperſtitione introducta ad decipiendum: quod autem poſt hæc acta ceſſet hæmorrhagia id tamen ſine his accidiſſet conſtrictione vaſorum, ſanguine diminuto, & ſtagnante coagulato in vaſe aperto.

496. An nihil valet manubrium, ex priapo confectum, fortiter tenere manu: vel nummum ex Hæmatitide lapide confectum geſtare ad frontem?

Credo equidem hæc utilia eſſe, quoniam retinent membrum continuo conſtrictum, & actuali frigiditate minuunt ſanguinis fluxum.

497. Cur alligant Ranam plantis pedum?

Hæc ſuperſtitioſa medicatio non caret effectu, nam inducto terrore, & actuali frigiditate, compeſcit ſanguinis motum, & ita ſiſtit etiam hæmorrhagiam.

498. Quomodo aqua frigida pudendis applicata ſiſtit hæmorrhagiam narium?

Inter arcana a multis hæc habetur medicatio, quoniam pudenda actu frigidis tractata per conſenſum admodum compeſcunt circulationem.

499. Quando in hæmorrhagiis adhibenda venæ ſectio?

Quæ hæmorrhagia generatur ex abundantia, & majore impetu ſanguinis,

illa

illa eſt compeſcenda per ſanguinis miſſionem, præcipue ſi fiat ex locis periculoſis, & etiam ex aliis, quia hanc artificialem hæmorrhagiam habemus in poteſtate compeſcere, quando viſum eſt.

500. Quando membrum ligandum?

Artificioſa ligatio membri majoris, quæ intercipit ſanguinis reditum per venam in membro majore, jam in hoc, jam vero in alio, multum prodeſt ſi ſanguis fluit ſine abundantia, ut reſiduus ſanguis retineatur in corpore, donec per moram conſtricta fuere vaſa ſanguinem fundentia.

CAPUT III.

De Inflammatione.

Tranſitus.

501. QUum Inflammatio ſit morbus, qui ut plurimum committitur Chirurgis curandus, atque ex motu aucto arteriarum (467) tanquam proxima profluit cauſa, eam hoc loco tradendam eſſe exiſtimavi. Hujus autem morbi quia plena habetur deſcriptio in *Comp.* T. 47. paucis abſolvi poteſt.

Definitio.

502. Morbus in quadam parte viſibili natus, qui præbet Tumorem tuberculo majorem, cum *Colore* intenſe rubro, vix evaneſcente per digiti preſſionem; *Dolore* vehemente, fixo, continuo, pulſante; *Duritie* renitente, quaſi ſumme elaſtica; *Calore* urente ſicco; *Pulſatione* arteriarum pulſui reſpondente; *Splendore* ex magna partis tenſione; quique tumor tandem in reliquo corpore concitat *Pulſum* durum, & frequentem; *Febrem* continuam acutam, *Reſpirationem* citatiorem, & *Calorem* adurentem, ab omnibus Medicis, & Chirurgis vocatur *Inflammatio*.

Differentia ad alios morbos.

503. A congeneribus tumoribus quibuſdam propriis criteriis diſtinguitur, ſi modo ſigna ad ſe invicem conferantur, quæ traduntur in Rheumatiſmo (T. 17. XLVIII.) Herpete, Igne ſacro, & Eryſipelate infra tradendis. Et quoniam late diſperſus hujuſmodi tumor, atque morbi interni, qui judicantur ex Inflammatione oriri, ut & ipſa febris ardens, ad hunc titulum referuntur, inter Inflammationem, & Phlegmonem aliquam ponunt differentiam.

Signorum varietas.

504. Si vero Inflammatio aggreditur aliquod viſcus, quædam ex characteriſticis ſignis non obſervantur. 1. non conſpicitur color ruber. 2. Dolor commutatur in anxietatem, ſi pulmones aut hepar occupat. 3. Partis durities ob profunditatem ſæpe explorari nequit. 4. Calor urens manet ſemper, niſi pars tendat in ſphacelum. 5. Splendor videri non poteſt. 6. Pulſus interdum fit debilis, & mollis, ſi pars inflammata intercipit liberum ſanguinis, vel ſpirituum curſum, uti in cerebro, Pulmone, Corde, Hepate, Diaphragmate, Faucibus, Pleura, ſi nimis urgeat.

Sanguinis mutatio in Lentorem.

505. Ex homine antea ſano jamjam Inflammatione correpto ſi ducatur ſanguis, nullam invenimus mutationem: ſed ſi aliquot horas ſæviit, & tunc mittitur ſanguis, in eo ſequentes obſervantur mutationes: fit denſior, ſpiſſior, gravior, citius, & validius concreſcens, magis ad nigredinem vergens, &. in ſuperficie format pellem, ſeu cuticulam albicantem ſubviridem, tenacem, cultro vix ſcindendam inſtar corii. Hę ergo mutationes non ſunt Inflammationis cauſæ, ſed ex inflammatione natæ. Si vero talis eſt in corpore mutatio, tale corpus facilius inflammatione corripitur, quam ſi non præexiſtat.

Cauſa proxima.

506. Inflammationis ab interna cauſa natæ proximam cauſam eſſe motum vitalem validiorem in quodam ramo arteriæ, quo urgetur ſanguis ruber in arterias lymphaticas, ſanguiſque compingitur reliquus in Lentorem, facile ex propriis criteriis Inflammationis deducitur.

507. Nam tumor renitens validam iſtius partis vaſorum impletionem declarat.

Dolor. 508. Et quoniam pars, per quam decurrunt nervi ſenſui dicati, cum valido renixu tenditur, nervi ita valide, & continuo tenſi, compreſſi, & anguſtati, conſtantem, & urentem dolorem faciunt.

Color. 509. Coloris mutatio in rubedinem, qui ad Livorem accedit, ſatis confirmat, ſanguinem rubrum etiam multas arterias lymphaticas, antea pellucidum humorem vehentes, implere; atque arterias cruentas majori copia ſanguinis rubri diſtendere, ut inde fiat Rubedo, atque Livor: cum hujus coloris generatio ſanguini accumulato ſit adſcribenda, utpote ſolus talis coloratus liquor in noſtro corpore, qui valido motu propellente arteriarum hæc vaſa infarcit.

Pulſatio. 510. Hanc majorem arteriarum agitationem declarat pulſatio in partibus, in quibus antea vel multo minor vel nullus ſentiebatur pulſus, hæc enim rhythmum pulſus accurate ſequens probat eum fieri actione arteriæ majore. Hanc autem pulſationem fieri non poſſe ex uno, alterove ramo arteriæ, evincunt experimenta hydraulica, ex quibus conſtat, liquorem fluentem per canalem ramoſum a trunco per ramos, ut fit in arteriis, ab obſtructo uno ramo, vel orificio, quod non plus, quam centeſimam partem liquoris tranſmittit, in reliquis ramis, vel orificiis, velocitatem non ultra unam centeſimam partem augeri, atque non plus urgere in hoc orificium clauſum, quam in reliqua latera omnium ramorum, & trunci, quæ exigua mutatio percipi non poteſt, ut fieret in minimæ partis inflammatæ obſtructione: Imo experimentis Anatomicis conſtat, ſi comprimatur ramulus minor arteriæ, ſanguinem antea per apertum ramum fluentem derivari per anaſtomoſes, quæ inter minimas arterias ſunt copioſiſſimæ, atque detexerunt, ex obſtructo, vel compreſſo ramo parvæ arteriæ partem non rubere, vel tumere, ſed ſequi ſanguinem ſuam viam per alias anaſtomoſes. Ex quibus experimentis convictus aſſentiri non poſſum pulſationem, & Inflammationem fieri ab obſtructione arteriarum: quod autem pulſat ligata arteria major ſupra ligaturam, non deſtruit experimentum in arteriis minimis, in quibus, minime vero in majoribus arteriis, ſupponitur Inflammationis obſtructio.

Calor. 511. Calor partis æſtuans ſatis declarat, motum vitalem auctum eſſe inflammationis cauſam, cum obſtructio ex ſua natura inferat frigus, ſed motus vitalis in nobis ſit naturalis caloris cauſa.

Reliqua ſympto-mata. 512. Pars quædam ita aliquandiu agitata, ſenſim magis in conſenſum trahit reliquum motum vitalem per corpus, ex cujus dein argumento fit Pulſus durus, & frequens, corporis totius *Ardor*, *Siccitas*, ſanguinis compactio in *Lentorem*, *Sitis*, oris ſumma ſiccitas, *Reſpiratio* difficilior, anheloſa, frequens, ob concitatum motum, & ſanguinis lentorem, *Urina* rubra ſemper, vel tenuis ſimul, quod malum, vel craſſior, interdum vero aquoſa poſt aſſumptum potum, quod peſſimum.

Cauſæ. 513. Quæ in corpore ceteroquin ſano concitant inflammationem particularem, vel generalem, quæ vocari ſolet febris ardens, vel ſunt manifeſta, vel latentia, ſeu interna: ab externis incipiendum, & notiſſimis ut intelligatur cauſa etiam latens, & comprobetur dicta cauſa proxima.

Frictio. 514. Quæcumque pars frictione diu agitata inflammatur; quo conſtat, motum inductum, pellentem ſanguinem majore impetu in arterias lymphaticas, producere inflammationem.

Stimulantia applicata. 515. Ut frictio ſenſibili actione urget ſanguinem in arterias lymphaticas, ita ſtimulantia quæcumque acria, rubefacientia, inſtigando motum vitalem iſtius partis, idem faciunt.

Moventia. 516. Si vero motu muſculari, vel irritante cauſa per totum corpus nimia concitatur circulatio, generalis formatur inflammatio; ſed poſt motum mu-

muſcularem, quoniam in quiete ceſſat impingens motus, brevi quoque ceſſat inflammatio, niſi ſuperveniens frigus ſubitaneum reditum intercipiat ex lymphaticis, ſed acre perſeverans inſtigare non permittit ceſſare inflammationem.

Calefacientia.

517. Noſtrum corpus duobus modis incaleſcit 1. actu calidis, hæc autem cum augumento caloris non augent circulationem, & inde raro inflammationem faciunt. 2. Vel incaleſcit aucto motu animali, ex quo etiam raro inflammatio. Sed qui calor formatur ab aucto motu vitali, frequentiſſime inflammationem producit, cum ſemper æqualiter augeatur circulatio cum augmento caloris.

Lentor.

518. Non omnis craſſitudo ſanguinis inflammationem inducit, ut experimur in Cruditate, & pituita, ſed Lentor ſanguinis frequentiſſime. Talis autem phlogiſtica diſpoſitio in ſanguine non formatur niſi poſt validam circulationem, qui motus major cum tenacitate ſanguinis ob difficiliorem tranſitum per arteriarum extrema, arterias ultra modum diſtendens, arterias quoque lymphaticas implet, quare motus impingens major eſt cauſa, minime vero obſtructio.

Anguſtia vaſorum.

519. Quoniam ex Compreſſione, Decubitu, Ligatione ſtrictiore, Contuſione, Elongatione, Pondere incumbente, Uſtione & Vulnere, obſervarunt generari Inflammationem, exiſtimarunt, anguſtationem, & obſtructionem hujus eſſe cauſam. Hæc autem omnia ratione ſtimuli poſſunt quoque facere majorem motum. Quare ſequentibus experimentis eſt determinandum, an Obſtructione, vel motu majore ex ſtimulo hæc allegata inferant inflammationem. 1. obſtructa, vel ligata arteria major ariduram, & pallorem producit in parte inferiore. 2. arteria abſciſſa, ut fit in vulnere, privat partem inferiorem ſanguine, dum tamen æque labium inferius quam ſuperius inflammatur. 3. Impeditus tranſitus per arteriam majorem non auget circulationem per reliqua vaſa ultra comparationem capacitatis detractæ. 4. arteria minima compreſſa, vel obſtructa facit, ut per anaſtomoſes libere tamen continuetur ſanguinis fluxus ſine indicio inflammationis. 5. arteria læſa, vel compreſſa nullam inflammationem infert, ſed nervus affectus validiſſimam. 6. Merus ſtimulus ſine obſtructione (515.) & ſimplex frictio (514.) inducit inflammationem: ergo recenſitæ cauſæ non ex obſtructione in tali parte, ſed motu inſtigato inflammationem inferunt.

Cauſæ internæ.

520. Omnes igitur cauſæ, motum majorem facientes in fibris arteriarum (441), Inflammationem inducere poſſunt, aut generalem, aut particularem. Hæ cauſæ immediate, vel mediate operantur. 1. Ablatio mucilaginis, quo transfluens ſanguis tangat nuda latera, ut Calculi tranſitus per urethram micturitionem; Deglutitio boli durioris difficilem deglutitionem; abraſio epidermidis dolorem, & rubedinem inferunt, & ex conſueto contactu ſe magis movent. 2. Humor ex cryptis arteriarum ſecretus acer, ut in Trachea tuſſim; in Ventriculo vomitum, in Inteſtinis Dyſenteriam; in Ano teneſmum; in Urethra ſtranguriam; in Arteriis majorem motum, & Inflammationem facit. 3. Transfluens ſanguis acrior. Sed ab hac cauſa non fieri poteſt particularis ſed generalis inflammatio. Mediate autem motu majore circulatorio generalis, vel particularis inflammatio formatur ab irritato nervo, ſive quod pungatur, vel vellicetur per acrem ſuum ſuccum; aut ſi per conſenſum alterius partis affectus motus vitalis arteriarum inſtigetur.

Exitus.

521. Motus circulatorius major, qui compactum ſanguinem adegit in arterias lymphaticas, varium exitum præbet. 1. Reſolvitur perfecte. 2. per inſenſibilem perſpirationem. 3. per evacuationem criticam. 4. per translationem. 5. commutationem in ſuppurationem. 6. ſcirrhoſum compactum. 7. Corruptionem. 8. Sphacelum.

Reſolutio perfecta.

522. Quum impetu majore globuli fuere adacti in arteriis lymphaticis, quæ

quæ valvulis carent, ceſſante illo impetu a tergo, qui retinuiſſet in his arteriis ſanguinem rubrum, eumque compegiſſet in Lentorem, redibit receptus, & adhuc non mutatus ſanguis in arterias cruentas, quo ceſſat inflammatio, ſine ulla criſi: qualis reſolutio frequens poſt frictionem, & motum muſcularem auctum obſervatur.

Reſolutio inſenſibilis.

523. Si vero ille motus vitalis major fuit, vel diutius continuavit, aut ſanguis longiori mora retentus fuit in parte inflammata, dein repulſus in arterias cruentas aliquam alienam acquiſivit indolem, ut ſæpe fit etiam in continuato motu muſculari, hæc alienata materia, reſtituta æquabili circulatione, iterum ſolvitur, & expellitur per inſenſibilem perſpirationem, vel levem ſudorem; qui exitus proxime accedit priori, cum non exhibeat evacuationem ſenſibilem criticam.

Reſolutio Critica.

524. Sed ſi non ſatis cito priores reſolutiones fiant, ut fere ſemper ſi a cauſa interna facta ſit febris ardens, vel Inflammatio, ſanguis ruber, vel ejus pars gelatinoſa ita compingitur in Lentorem, qui repulſus in arterias cruentas, neque in bonum ſanguinem redigi poteſt, neque commutari in materiem inſenſibilem, ſed quia tamen eſt materia aliena, partim per copioſiorem ſudorem, partim per urinam ſub forma ſedimenti albi, vel per ſputum concoctum ejicitur.

Cognitio & curatio in his.

525. Cognoſcimus hunc triplicem exitum 1. Brevitate morbi, 2. lenitate, & paucitate ſymptomatum; 3. cauſa externa cito ſublata, 4. ſequente largiore perſpiratione, leni, vel copioſiore ſudore, vel urina aut ſputo critico breve poſt invaſionem apparente. Ex his obſervatis facile colligitur, hoc ſemper eſſe faciendum a Chirurgo, ut obtineatur per ablationem cauſæ externæ ſi adſit, & mitigationem motus per Diluentia, diaphoretica, antiphlogiſtica, imo ſanguinis miſſionem, ſi impetus nimis urgeat.

Metaſtaſis.

526. Motus autem vitalis major per totum corpus, ut in febre ardente, qui compegit circulantem ſanguinem, interdum ad partem aliquam, præcipuam hujus materiæ partem deponit, facitque particularem inflammationem per Metaſtaſin, ſed particularis inflammatio nata, ſi in ea parte tantum minuitur impetus, ut redire poſſit, raro ad aliam partem deponitur, quia lentor in parte confectus communi circulationi traditus non amplius compingitur, ſed plerumque reſolvitur in materiem criticam.

Suppuratio.

527. Cauſa interna tantum inſtigans motum vitalem, ut compingatur ſanguis in lentorem, adigaturve in arterias lymphaticas, continuata, ſenſimque aucta, quod ex permanentibus, & increſcentibus ſymptomatibus cognoſcimus circa 4, 7, 11, 14, diem ab invaſione, commutat illum lentorem in materiem albam, lævem, ſubpinguem, ponderoſam, Pus dictam: hoc tempore ſimul concitatur inquietudo, moleſtia, febris remittens, horror, cum diminutione doloris inſequente, & levi ſudore. Confectum hoc pus, vel exit per ſputum in morbis pectoris, vel ſub forma ſedimenti in urina, aut deponitur ad partem faciens metaſtaſin, ſed manens circulantibus miſtum producit febrem purulentam: hoc autem Pus in inflammatione particulari confectum, ſæpe colligitur in eodem loco, ut ruptis repagulis in tunica plerumque cellulari collectum formet Abſceſſum.

Induratio.

528. Lentor hoc motu vitali compactus quadam in parte collectus, præprimis in glandula, propria concreſcendi potentia contrahitur in maſſam ſolidam, dimittens liquidiſſimum, vel per emunctorium, vel venas abſorbentes, parit tumorem durum indolentem, quem vocant *indurationem*, vel *Scirrhum*. Compacta autem materia, ſi per ſupervenientem putredinem, vel inflammationem partium ambientium dein liqueſcit, commutat hunc tumorem in *Cancrum*. Degeneratio Inflammationis in Indurationem promovetur adſtringentibus, coagulantibus, ſtypticis, defenſivis, abſorbentibus, ſiccantibus, & actu frigidis.

529.

529. Sed lentor compactus, aut toti maſſæ miſtus, vel in quadam parte collectus, deficientibus viribus vitæ non commutatus in Pus, ſed accedente putredine aliqua commutatur in Corruptelam, aut tenacem, vel tenuem, unde aphthæ, ſputa tenacia, glutinoſum in abſceſſu loco puris, vel liquamen fœtens cum febre hectica, & evacuatione ichoris. *Corruptio.*

530. Dum motus vitalis ultra modum inſtigetur, ut non ſolum compingat ex ſanguine lentorem, ſed maſſam veluti deſtruat, ipſaque vaſcula diſringat, quem ſtatum inſtantem prædicimus ex vehementiſſimis ſignis inflammationis, eum ſtatum vocant Gangrænam. Facta dein hac mutatione ceſſat dolor, & commutatur in inſenſilitatem, æger falſa lenitate videtur levari, pars fit gravior, tumor laxatur, color ruber tranſit in livorem, vel nigrorem, pulſus fit debilis, in loco inflammato excitantur veſiculæ ichorem fundentes, ex emunctoriis evacuatur liquamen ichoroſum, ſubnigrum, fœtens, exit ſudor colliquativus frigidus, faciei elegans color commutatur in luridum, ardor corporis convertitur in frigiditatem. Hanc mutationem vocant Sphacelum. *Gangræna, & Sphacelus.*

531. Quum triplex ſit Inflammationis exitus 1. in ſanitatem, 2. alium morbum tolerabilem, quem vocamus ſuppurationem, 3. in interitum, vel morbum deteriorem, ex his ſola Reſolutio eſt procuranda; quæ ſi obtineri non poteſt, in ſuppurationem convertenda eſt Inflammatio, quod infra proponetur. *Curatio.*

532. Quoniam pulſus lentor in fines arteriarum, continuato motu majore agitatus, convertitur in aliam naturam, danda, & applicanda medicamenta, & auxilia, quæ reſolvunt Lentorem concretum, & nimium compeſcunt impetum, quod ſequentibus obtinemus auxiliis, 1. venæ ſectione, 2. alvi ductione, 3. antiphlogiſticis, 4. laxantibus, 5. Diluentibus ſimul interne datis. *Reſolvendo.*

533. Quoniam vaſorum depletione reſiduus ſanguis minus premitur, & pulſus lentor minus urgetur verſus fines arteriarum lymphaticarum, motuſque vitalis redditur languidior, quibus non amplius compingitur lentor, atque pulſus in finibus arteriarum regurgitare permittitur; talis evacuatio non eſt omittenda, ſed ſtatim in principio eſt inſtituenda, atque repetenda, ſi non ceſſat inflammatio, donec apparent ſuppurationis ſigna, quæ ulteriorem ſanguinis miſſionem vetant. *Venæ ſectio.*

534. Alvum ducentia ratione evacuationis, & ratione adjunctæ virtutis hoc quoque facere poſſunt: quare *purgans* dandum, quod experientia docuit ſimul eſſe *Antiphlogiſticum*. *Purgantia.*

535. Concretus Lentor ſimul eſt ſolvendus per interna *Antiphlogiſtica*, quæ conſtat fructibus horæis, nitroſis, acidis, & aceſcentibus, calide pota in larga quantitate. *Antiphlogiſtica.*

536. Et quoniam inducta laxitas partibus firmis minuit contractilitatem, & propulſionem, ea eſt procuranda *Laxantibus* exhibitis, vel applicatis. *Laxantia externa.*

537. Multum quoque juvat reliquam maſſam *Diluere*, ut minus prona ſit ad concretionem, qualia medicamenta multa annumerata ſunt in antiphlogiſticis. *Diluentia.*

538. Num cuticula in ſanguinis ſuperficie concreſcens a chylo inſpiſſato exaſſato? *Quæſtiones.*

Decepti fuere veteres calore albicante chylo ſimili, ſed chylus non habet concreſcendi potentiam; atque etiam formatur in emiſſo ſanguine morborum inflammatorium, poſtquam omnis chylus in corpore eſt conſumtus. Sed formatur ex ſanguine nimis compacto, qui emiſſus, & ſtagnans in frigore hanc cuticulam in ſuperficie format.

539. An cuticula hæc non apparens in ſanguine acutorum emiſſo denotet materiam phlogiſticam retineri?

Hoc admitti non poteſt in generali, aut particulari inflammatione. Nam in generali inflammatione tota maſſa ſanguinis lentore eſt infecta, qui certe cum effluente ſanguine exiret. In particulari autem inflammatione, ſi ſtatuitur lentor obſtruens, ille evacuari non poteſt, quia antequam potuiſſet venire ad venam apertam, ſubſtitiſſet ſanguinis evacuatio, neque obſtruens lentor ſe tam cito, tempore ſanguinis miſſionis extricare poſſet, ut ſimul exiret per venam apertam. Inde ſentiendum eſt, ſi in acutis mittatur ſanguis non præbens cuticulam in ſuperficie, eum morbum acutum non fuiſſe Inflammatorium, ſed Eryſipelatoſum, in quo multa ſigna inflammationi communia obſervantur, quibus non ſatis attendens Medicus decipi poteſt.

540. Cur frigus extremorum cum incendio interno, periculoſiſſimum in Inflammatoriis?

Incendium internum denotat validam internam inflammationem, quæ per incitatum motum, in partibus extremis quoque ardorem producere debet; ſi vero extremæ partes frigeant, id denotat, vires vitæ ita eſſe debilitatas, ut quamvis valide inſtigatæ, tamen non valeant augere motum in extremis. Si ergo ceſſare incipit ſtimulus ille, totus motus quoque ſubſiſtet.

541. Num Emplaſtica obſtruendo generant inflammationem?

Emplaſtica applicata quibuſdam in corporibus excitare rubedinem, calorem, & pruritum, conſtans eſt obſervatio: ſed an hæc phænomena producantur immediate ab obſtructione, non caret dubio, quum obſtructio vaſorum exhalantium, quidem impediat evacuationem, ſed non producat motum majorem in arteriis niſi retentus humor fiat acris, ſed tunc ſtimulus per acrimoniam eſt cauſa: inde ſolum in his corporibus, quibus perſpirabile eſt acre, hæc rubedo producitur. Neque hæc conjuncta phænomena probant inflammationem, ſed potius Eryſipelas.

542. Cur Eryſipelati ſæpe jungitur Inflammatio?

Utrique hi morbi ſæpe junguntur: nam ſi præcedat inflammatio, hæc ſuo calore majore non raro commutat pinguedinem in rancorem, quo producitur Eryſipelas: atque Eryſipelas ſtimulando facit ſanguinem compingi in lentorem, & trudi in arterias lymphaticas.

543. An Lentor effectus, vel cauſa Inflammationis?

Quoniam Lentor non præcedit ſed ſequitur Inflammationem, ejus cauſa eſſe nequit. Quod autem lentore nato ſæpe producatur inflammatio, ea non producitur ex lentore, ſed ex cauſa lentorem generante.

544. An Inflammatio ab arteriarum obſtructione?

Satis recepta hæc a multis eſt ſententia, ſed quoniam experimenta (519) contrarium evincunt, hæc ſententia eſt repudianda.

545. Num lentor motu majore pelli non poteſt per extremitates arteriarum, ut ſolvatur Inflammatio?

Quum impetus major, frictiones, & applicatio ſtimulantium, intendant Inflammationem, veritati non eſt conveniens, motu majore pelli poſſe lentorem per extrema arteriarum in venas, ut ita ſolvatur Inflammatio: qui hoc putant fieri in venæ ſectione, a vero recedunt, quoniam venæ ſectione non augetur motus propellens, ſed minuitur.

546. Num ſtimulantia ſolvunt Lentorem, ut viſcidum?

Multos hoc decepit, exiſtimantes, omnes reſolutiones fieri eodem modo, & quum experiebantur nonnullos tumores ſolvi ſtimulantibus, hoc quoque concipiebant fieri debere in tumore inflammatorio: ſed lentor majore motu natus, per acria calefacientia, ſtimulantia magis compingitur, quare hæc in Inflammatoriis evitanda, quæ utiliſſima inveniuntur in pituitoſis.

547. An in principio Inflammationis adſtringentia, repercutientia, Defenſiva applicanda?

Contendunt multi Medici, & Chirurgi, talia applicata medicamenta diſcuſſiſſe

In-

Inflammationem, & vi quoque rubedinem, & tumorem per hæc applicata diſparuiſſe; ſed ſemper erat Eryſipelas, minime vero Inflammatio; quare credo Medicos iſtos ſimilitudine apparitionum deceptos fuiſſe. Nam Lentor in parte inflammata compactus per dicta auxilia commutaretur in indurationem; ſed Eryſipelatoſum tenue calefaciens iiſdem egregie condenſatur, & compeſcitur.

548. Num pulſus mollis ſemper ſignum abſentiæ Inflammationis?

Pulſus durus eſt characteriſticum ſignum, ſi nullum ſit impedimentum fluxus ſanguinis, vel ſpirituum, ſed ſi per inflammationem ſimul ille fluxus inhibetur, redditur pulſus mollis, ut in phrenitide, & pleuritide validiſſima, peripneumonia, & hepatitide.

549. Cur non ſtatim ex nervi punctura Inflammatio?

Statim capſula nervi læſa non tumet, inflammatur, ſed ſenſim; cujus tumore, & inflammatione comprimitur medulla nervi: ſenſim abſciſſa fibra magis accurtatur: ſenſim effuſus humor ſtagnando fit acrior: ex quibus conjunctis hæc quæſtio ſatis patet.

CAPUT IV.

De Suppuratione, & Abſceſſu.

550. TUmor pure plenus, in quadam parte non perfecte limitata, plerumque in tunica cellulari, vocatur *Abſceſſus*; ſed ſi materia purulenta per totam maſſam ſit diſtributa, *Suppuratio*, & purulentia dicitur. *Definitio.*

551. Ita pus hærens in quadam parte 1. retinet nomen *Abſceſſus* partis quam occupat, quamdiu continetur lateribus clauſis; ſed ſi occupat aliquod viſcus internum, ſæpius vocatur *Suppuratio* iſtius viſceris. 2. quibuſdam in partibus ſpeciale acquirit nomen, ut in Inguinibus, *Bubo*; pone aures, *Parotides*; in cavo pectoris, *Empyema*: in cellulis pulmonis, *Vomica*. 3. ſed ruptis repagulis coercentibus cum exigua apertura ſubtus habens ſaccum pure plenum vocatur *Sinus purulentus*; hæc autem apertura ſi ſit oblonga, & cannulata dicitur *Fiſtula*, ſed lata, & patens apertura ſine ſacco profundo vocatur *Ulcus*. Nonnulli quoque huic conferunt tumores folliculoſos; ſed quia non continent pus, huc non ſatis commode referri poſſunt. *Varietas.*

552. His tribus modis in quadam parte particulari ſolet formari Abſceſſus. 1. ſi Inflammatio iſtius partis in ſuppurationem (527) commutatur, hujus formatio facile cognoſcitur ex prægreſſa, & perſeverante inflammatione iſtius partis. 2. ſi morbus inflammatorius generalis, ſeu febris ardens, diutius durans ſine critica evacuatione, commutatum lentorem in pus deponit in quadam parte corporis, ubi format ſine prægreſſa inflammatione iſtius partis Abſceſſum, quem mirantur videre Chirurgi tam cito maturum, & copioſum pus in ſe continere: hæc eſt una ſpecies Abſceſſus per metaſtaſin, in acutis ſatis frequens, ſed ſemper minus præſtans quam critica evacuatio, & ſemper longitudinem promittens. 3. Aut ſi localis Inflammatio commutata in pus, dimittit materiem purulentam ad quamcunque aliam partem corporis: hæc eſt altera ſpecies Abſceſſus per metaſtaſin, ſed raro accidit. *Generatio*

553. Si conſtat Inflammationem reſolvi non poſſe, promovenda eſt ejus degeneratio in ſuppurationem (537) per medicamenta, quæ dicuntur Maturantia. Quæ duplicia ſunt 1. in motu, & calore majore, atque 2. in motu minore, & tenacitate majore materiæ purulentæ. *Maturantia.*

554. Quoniam naturale eſt, ut pars laxata facilius rumpatur, atque conducit ut ruptio fiat externe, applicanda ſunt Laxantia iſti præprimis parti, cui expedit maxime ut rumpatur abſceſſus, hæc dicuntur pus attrahentia; conſtat linimentis, quæ linteo carpto applicantur, dum reliquum apoſtema cataplaſmate, fomento, vel emplaſtro tegitur. *Laxantia.*

Interna. 555. Si morbus generalis inflammatorius ſuppurationem minatur, aut Inflammatio magnæ alicujus partis vergat in abſceſſum, puris generatio eſt promovenda per medicamenta interna, quæ ſimul minuunt reliquos humores ſanos contra puris infectionem. Hæc quoque continuari poſſunt in abſceſſu maturo, ad ulteriorem puris generationem.

Abſceſſus mutati ſigna. 556. Continuandum in uſu horum medicamentorum externorum, & internorum, dum conſtat, pus maturum eſſe, quod ex his conjicimus 1. Ratione temporis, ſi ultra ſeptem, vel undecim dies perſtitit inflammatio, vel febris inflammatoria ſine critica evacuatione, ſed cum diminutione rubedinis, pulſationis, & renitentiæ, & febris remittens incipit fieri, parſque redditur gravior. 2. ſi tumor oppoſitis actibus a digitis preſſus fluctuationis indicium præbet, maxime ſi ſimul in faſtigio albicantem maculam præbet, quæ tactu digiti exhibet ſubtus jacentem humorem.

Quando aperiendus. 557. Si abſceſſus maturus ſponte non diſrumpitur, arte tunc eſt aperiendus, cum pus maturum retentum diutius in putrilaginem abeat: aperitur autem ſectione, vel cauſtico applicato. Non debet ante maturitatem aperiri, quia puris confectio fit in loco clauſo, & promovetur a pure concocto adhærente, ſed retardatur attactu aeris, & privatione purulenti adjecti.

Quando ante maturitatem aperiendus. 558. Recedimus autem ab hac generali regula per graviora inſtantia mala, uti in abſceſſu integumentorum pectoris, & ventris, ne intus rumpatur abſceſſus, aut in abſceſſu circa articulum, ne pus fundatur in cavum articuli, generans difficilem curationem, & interdum ancyloſin; interdum inſtituitur in abſceſſu per metaſtaſin ex febre ardente, ne retrocedat pus.

Aperiendus ſectione. 559. Ut ſecundum artem per ſectionem aperiatur Abſceſſus, 1. eligendus eſt locus incidendus, ubi proxime adjacet pus, nempe ubi integumenta perſecanda ſunt tenuiſſima, maxime prominentia, & albiſſima, in loco, ubi nec arteria, nec vena, nec nervus major hæret, & quantum fieri poteſt ad partem inferiorem ratione ſitus corporis, ut pus contentum ſponte effluere poſſit per aperturam factam, quum alias ſæpe ſinum purulentum formet. 2. ſectio eſt facienda per inſtrumentum acutum, ſecundum corporis longitudinem quantum fieri poteſt: incipiendum a parte inferiore, & ducenda plaga ſurſum, ne effluente pure obruatur ſectio: tam alte primo eſt intromittenda lancetta, donec effluens pus docet penetraſſe in cavum abſceſſus. 3. ne partes adverſæ lædantur, & ut facilior fiat ſectio, latera abſceſſus ſunt ita urgenda, ut locus incidendus maxime emineat: ſi lata facienda plaga, expedit prius notare locum incidendum atramento. Hoc boni eſt in hac operatione, quod brevi tempore fiat, requiſita apertura poſſit comparari in loco maxime opportuno, relinquat plagam puram, & operatio non ſit admodum dolorosa.

Per Corrodens. 560. Si vero 1. æger metuit; vel 2. locus vetat ſectionem: 3. ſi ſimul latior requiritur plaga, Corrodente applicato facienda eſt Eſchara in loco opportuno: magnitudo Eſcharæ determinanda *Emplaſtro tenaci*, in cujus medio eſt apertura iſtius magnitudinis ac deſideratur in Eſchara. In apertura emplaſtri ſupra cutim primo parum humectatam locandum *Corrodens Eſcharoticum*, quod inter duas treſve horas Eſcharam inurit, tegendum cauſticum plumaceola, emplaſtro, & cataplaſmate, vel fomento emolliente quovis. Si prima vice non ſatis profunda eſchara fuerit inuſta, repeti poteſt. Facta Eſchara eſt ſeparanda *Digeſtivo* applicato.

Aperti Abſceſſus tractatio. 561. Si ſponte, vel arte apertura ſit facta in abſceſſu magno (nam in parvo omnes hæ cautelæ non ſunt obſervandæ); 1. non omne pus ſimul eſt evacuandum, ne vaſa ſuſtentaculo orbata, vel rumpantur, vel dilatata nimis magnam copiam ſanguinis recipiant; & quia pus relictum latera abſceſſus non ſatis matura citius maturare facit. 2. In puris expreſſione leniter premendum, quia vaſa macerata fortiore preſſione diffringuntur; & novam

in-

inflammationem faciunt. 3. Sinus abſceſſus ſpleniis, & faſciis modice ſuſtentandus. 4. Cita facienda deligatio, a frigore, & admiſſione aeris cavendum. 5. Apertura non ſollicitanda turundis, niſi vereamur nimis citam aperturæ coaleſcentiam, curandum in his ne tangant oppoſitum latus, tendinem, vel nervum.

562. Si apertura abſceſſus nimis anguſta ſit, quam ut poſſit effundere pus, ea eſt dilatanda ſectione per volſellam, vel alio mucronato cultello, cujus mucro dirigitur crena cannulæ immiſſæ. Si vero vel æger, vel locus vetat ſectionem, indenda eſt *Turunda ditabilis*, qua ſenſim removentur ora aperturæ. *In Anguſta apertura.*

563. Si pus contentum nimis tenax, quam ut evacuari poſſit, vel latera abſceſſus ſint ſordida, cavitas abſceſſus eſt depuranda *abſtergentibus* injectis, vel inditis, quæ magis, vel minus acria eſſe debent, pro partis requiſito ſenſu, majori, & minori tenacitate puris, & ſorditatis. *In pure tenaci, & ſorditate.*

564. Si vero ſinus purulentus profundius hæreat, ut non ſatis commode pus per aperturam reddi poſſit, 1. hic, quando eſt ſordidus, præcedente modo eſt depurandus. 2. ſupra ſinum modica eſt facienda preſſio per ſplenia, & faſcias, ut adducta latera conſolidentur, nullus locus pro puris collectione relinquatur. 3. ita ponendum eſt membrum, ut apertura ſit in decliviori loco. 4. Conſolidatio eſt promovenda *Sarcoticis* internis, & externis. 5. His autem ſi non procedat conſolidatio, in parte decliviore facienda eſt apertura, ut in apertura ſuperius monitum eſt; vel ſectio eſt facienda ab apertura uſque ad ſinum per volſellam, vel inſtrumento ſecante, cujus acies per crenam conductoris in ſinum immiſſi dirigitur, niſi vaſa majora, vel alia pars, quæ evitanda eſt, hanc ſectionem vetat. Dein ut ulcus latum tractandum. *In ſinu purulento.*

565. In formato Abſceſſu non ſemper conficitur bonum pus, ſed interdum Ichoroſum fœtens. Aut bonum pus ſtagnando in Saniem convertitur: 1. quia nimis profunde hæret, quam ut, vel cognoſci, vel aperiri poſſit. 2. ſi pus tenacius ſe non prodit fluctuatione, 3. aut æger recuſat aperire abſceſſum, qui ſponte non rumpitur. Ichor hic natus quo diutius ſervatur, eo fit acrior, corrodens latera abſceſſus, & non raro a venulis receptus, corpus inquinans generat febrem hecticam, & phthiſin. Ichoris igitur evacuatio eſt procuranda, ut antea in puris evacuatione (557) dictum eſt: locus apertus depurandus *abſtergentibus antiſepticis*, & corpus muniendum contra Ichoris infectionem. *In puris corruptione.*

566. Sed pus confectum in maſſa circulante ſalubriter evacuatur ſæpe per vias urinæ, quando exhibet ſedimentum album copioſum, cum levamine ſymptomatum. 2. Hoc etiam in aliis abſceſſibus, & empiemate obſervatur, ſi ex ſinu purulento traditur ſanguini; in Suppuratione autem pectoris pus quoque redditur per ſputum: vel in particulari abſceſſu etiam per aperturam factam, quæ eſt breviſſima, & commodiſſima via. Hæc evacuatio puris eſt promovenda per *Pectoralia*, vel *Diuretica*. Si vero ita evacuatum pus eſt Ichoroſum, adhibenda ſunt medicamenta, quæ ſimul corpus muniunt contra puris infectionem, ſuperius (365) citata. *Evacuatione.*

567. Quoniam pus ſemel natum nunquam evaneſcit inſenſibiliter, vel commutatur in bonum humorem; ſed ſub ſenſibili forma eſt evacuandum, hoc retentum in maſſa circulante etiam corrumpitur, ut monuimus in ſtagnante pure in abſceſſu (565): quod pus corruptum concitat febrem Hecticam, & Phthiſin. In hoc caſu puris ulterior corruptio eſt prævenienda, & tentanda eductio per *Expectorantia*, & *Diuretica Balſamica*. *In retento corrupto.*

568. Hoc autem Pus in quadam parte collectum præprimis in glandula, amiſſa ſua parte tenujore, compingitur in maſſam veluti ſolidam, facitque Indurationem, quæ ſimili modo format Scirrhum, & Cancrum ut ex Len- *In Induratione.*

to-

tore. (528.) Quæ Induratio nata communi methodo indurationis curanda Resolventibus.

Metaſtaſis. 569. Si vero pus confectum, per nullam evacuationem emiſſum, ad aliquam corporis partem deponitur, aut colligitur, hæc ſunt obſervanda. 1. Poſt morbum Inflammatorium generalem frequentem fieri metaſtaſin, ſed poſt inflammationem particularem raro. 2. Ex puris boni translatione ſalutem ſpectari poſſe, ſed ex pure corrupto augmentum morbi, quia relinquit maſſam corruptam, & pus corruptum exiens etiam ex ulcere, vel abſceſſu, difficilem curationem promittit. 3. Imperfectam metaſtaſin ſemper malam eſſe, quia priorem locum non liberat. 4. Translationem ad partem principem, vel internam, ubi evacuari non poteſt, ſemper malam eſſe. Metaſtaſin purulentam exſpectare poſſumus, ſi febris inflammatoria abiit in ſuppurationem, poſtquam nullam, vel non ſatis copioſam obſervamus puris evacuationem, & loco evacuationis quadam in parte generatur dolor, & tumor. In tali metaſtaſi omnia ſunt agenda, quæ tradita ſunt. (556.)

Parotides.

Parotides ex metaſtaſi. 570. Duo genera Parotidum occurrunt: 1. quæ generantur, ut alii morbi particulares. 2. quæ fiunt per metaſtaſin. Hoc ultimum genus huc pertinens eſt triplex. 1. ex materia inflammatoria (562). 2. Ex Pure bono, 3. Et Pure corrupto (569.). Quoniam particularis Inflammatio fere nunquam metaſtaſin facit (546), ſed morbus inflammatorius interdum, obſervatum fuit, hæmorrhagiam, alvi fluxum, & urinam copioſam, vel abſceſſum ad inferiora ante tempus ſuppurationis præveniſſe Parotides, quod per artificialem evacuationem Medicus imitari poteſt, & debet. Pus autem bonum ſæpe ſalubrem metaſtaſin præbuit ad aures. Sed pus corruptum ſemper malas parotides excitat.

Prædicuntur. 571. Quoniam ex materia purulenta frequentiſſime Parotides formantur per Metaſtaſin, harum prædictio formari ex ſequentibus poteſt. 1. Ex tempore durationis ultra terminum Inflammationis, id eſt poſt viginti dies, dum ſuppuratio eſt facta. 2. Si purulenta materia non evacuatur per urinam, vel ſputum, ſed retinetur in maſſa circulante. 3. Ex ſignis puris in ſanguine, ut ex faſtidio, nauſea, horrore, rigore, tremore, anxietate, febre remittente. 4. Ex abſentia ſignorum collectionis puris in quadam parte corporis, vel depoſitionis ad inferiora. 5. Ex accedentibus ſignis delati puris ad caput, ut ex ſopore, comate, aurium bombis, ſonitu, ſurditate; capitis, colli, cerviciſque dolore; ſtupore, ſudoribus in partibus ſuperioribus.

Parotides Salutares. 572. Omnes Parotides minus ſalutares, quam evacuatio puris; ſalubriores autem, quam ſi remaneret in corpore pus. Promittuntur ſalubres 1. ſi fiant ex pure bono. 2. tam magnæ; ut omne pus recipere poſſint. 3. venientes die critico. 4. bene prominentes, breve ſuppurantes, non admodum dolentes. 5. venientes dum vires adhuc valent, & vires erigentes. 6. minuentes ſymptomata morbi præcedentis, cum urina ſedimentoſa, & ſputo liberiore. 7. fundentes pus coctum, æquale, inodorum. Tales valent recipere, & evacuare pus confectum, & ita liberare hominem a morbo.

Lethales. 573. Parotides autem ex ſequentibus judicantur periculoſæ, & lethales. 1. ſi excitentur a pure corrupto, ut poſt longum morbum, poſt alvi profluvium ſpumoſum fœtens, cum induratis hypochondriis, cum ſumma debilitate. 2. majores quam ferri poſſunt, vel minores, quam ut omnem materiem recipere valeant. 3. admodum dolentes, rubicundæ, difficulter ſuppurantes. 4. majorem debilitatem inducentes. 5. non minuentes ſymptomata. 6. cum urina cruda, & ſputo ſuppreſſo, vel alieno. 7. fundentes pus ichoroſum fœtens. 8. cito evaneſcentes.

574. Si vero quædam bona, & quædam mala ſigna adſunt, anceps eſt præſagium. Medicus tunc attendere debet ad numerum, & magnitudinem ſymptomatum, ut formet præſagium. *Exitus incertus.*

575. Duo ſunt genera parotidum in hoc morbo, quæ ſalutem adferre poſſunt, ex materia nempe Inflammatoria, & Purulenta bona; nam ex pure corrupto, ſive fiant, ſive non, ſemper malum portendunt. Quæ ex inflammatione inſtant, præveniuntur larga hæmorrhagia, & alvi fluxu, urina copioſa hypoſtatica, & ſputo libero, aut abſceſſu alio in cruore. Hoc ergo eſt imitandum a Medico, & Chirurgo, venæ ſectione, alvi ductione, expectorantibus, & diureticis. Quæ autem ex Purulenta materia formatur Parotis, præcedentes evacuationes ſanguinis reſpuit, ſed prævenitur puris evacuatione per urinam, vel ſputum, aut deponit etiam purulentum ad partes inferiores, quod minus præſtans eſt. *Prævenuntur.*

576. Parotides ex metaſtaſi natæ non ſunt repellendæ, ſed ad citam maturitatem deducendæ applicatione *Maturantium*. Interna medicamenta eadem adhibenda, quæ in generali abſceſſu tradita ſunt. *Curatio.*

Inferiorum partium Abſceſſus.

577. Ex iiſdem cauſis, quibus generantur parotides (571) per metaſtaſin, formatur abſceſſus ad inferiores partes, crura, genua, & femora. Sed præſagiuntur dein 1. ex abſentia ſignorum verſus caput. 2. accedentibus ſignis puris commoti ad inferiora. 3. longiori mora antequam oritur abſceſſus ex metaſtaſi. Curatio nihil differt a curatione Parotidum (576.)

Ventris abſceſſus.

578. Per metaſtaſin ex morbo inflammatorio generali, vel abſceſſu partium remotarum, raro in cavum ventris colligitur pus: ſed abſceſſu lienis, hepatis, inteſtinorum, meſenterii, peritonæi, ventriculi, omenti, rupto interdum generatur, qui tamen pro Tympanitide paſſim habetur, & calidis flatum diſcutientibus perperam tractatur. Raro hic, ut in pectore, fluctuatione ſe manifeſtat, quum ſæpius in cellulis collectum hæreat pus. Hoc in loco pus collectum eſſe judicamus, ſi poſt dolorem fixum, continuum, ardentem, inflammatorium, cum febre continua, ardente ſiccitate, pulſu duro, ceſſat dolor ſine bona criſi, relinquens gravitatem, & dein tumorem flatulentum in ventre inferiore. Quare hujuſmodi dolores, ut Inflammatio particularis tractandi, priuſquam in abſceſſum abierint: nam pus ſi confectum fuerit, vel ſuperveniente corruptione interficit, vel abſorptum poſt diu toleratam febrem hecticam lente ad ſanitatem pervenire permittit, raro ruptis integumentis effunditur, aut deponitur per alvum. Curatio tentanda per ea, quæ corpus contra puris infectionem muniunt, ſuperius (565) recenſita.

Empyema.

579. Empyema late ſignificat omnem ſuppurationem, & puris collectionem in quacumque corporis parte. Strictius autem ab hodiernis recipitur pro puris collectione in quacumque parte pectoris. Sed ſtrictiſſime notat puris collectionem in pectoris cavitate. *Definitio.*

580. In pectoris cavitate colligitur pus 1. ſi morbus inflammatorius, ardens, acutus, in ſuppurationem mutatus, pus confectum huc deponit. 2. ſi pectoris contenta, ut pleura, pulmo, mediaſtinum, diaphragmatis convexa pars, pericardium, formarunt abſceſſum poſt pleuritidem, peripneumoniam, hæ- *Empyematis cauſæ.*

hæmoptyſin , vomicam pulmonis , vel vulnera , aut ruptiones harum partium , formatus abſceſſus , dein ruptus , in cavum pectoris fundit pus . 3. Quando in partibus remotioribus abſceſſus formatus ruptis repagulis deponit pus in pectoris cavitatem , ut poſt anginam , hepatitidem , abſceſſum integumentorum pectoris .

Prædicitur .

581. Prædictio Empyematis ex duobus fontibus hauritur . 1. Ex cauſis prægreſſis , quæ Empyema formare poſſunt , ut ſi dicti morbi inflammatorii abierunt in ſuppurationem , præcipue qui circa pectus fiunt , & pus non fuit redditum per urinam , vel ſputum , & tamen evanuit tumor purulentus . Tunc ſcimus , pus alicubi colligi , ſed locus adhuc eſt incertus , niſi abſceſſus fuerat in partibus , quæ in cavo pectoris continentur . 2. ſed ſi poſt hæc ſigna oriuntur ſymptomata , indicantia incipere colligi pus in cavo pectoris , hoc præſagium ulterius firmatur : ut ſi ſputum ſenſim minuatur , & dein integre ſupprimatur , ſenſim major fiat reſpirandi difficultas , & pectoris gravitas ob pus in eo collectum . Si dein puris corrupti indicia accedant , ulterius firmatur judicium ; ut ſputum ſalſuginoſum , amarum , tenue , ſpumoſum , bilioſum ; calores de die mitiores , noctu graviores ; faciei rubedo cum levi febricula , ſudores circa pectus , & collum , ſtertores ; vox magis rauca ; tuſſicula frequens ; oculorum cavitates ; emaciatio corporis ; frequens ſputatio .

Præſentis detectio .

582. Pus collectum eſſe in pectore , conjicere poſſumus , 1. ſi anteceſſere ſigna prædictionis (581) ſine puris evacuatione , ſed cum incremento ſymptomatum , quæ Empyema promittebant , quæ indicant humorem collectum eſſe in pectore , ut difficilis reſpiratio a preſſione puris ad pulmones , decubitus impoſſibilis præ ſuffocatione , ſed ſitus erectus aliquomodo ſupinus facilior ; interdum magis tumet venter deſcenſu diaphragmatis ; ſi pus ſit fluxile , & pectus non perfecte plenum , conquaſſatione corporis percipitur fluctuatio . 3. Pus acrius factum in thorace hærens , atque irritans pleuram , & pulmones , producit dolores pectoris , & tuſſim . 4. Pus autem ſtagnando liqueſcens , corruptum , vaſis abſorbentibus receptum in reliquo corpore multa mala infert , ut febrem hecticam ; caloris , frigoriſque viciſſitudinem , febrem noctu graviorem ; pulſum parvum frequentem ; ſudorem colliquativum ; cutis exanthemata ; faciei rubedinem fugacem ; maciem ; alvum conſtipatam , duram ſiccam , vel liquidam profuſam , qua ſæpe pereunt , faſtidium alimentorum ; ſitim majorem : calorem in plantis pedum , & volis manuum , præcipue poſt aliquot horas a cibo ſumpto ; ungues incurvatos ; tumores œdematoſos ſub oculis , in pedibus , & cruribus ; vocem raucam ; ſputum ſpumoſum , vel alieni coloris , & fœtens ; capilli de capite cadunt ; interdum etiam incurvatur pectus . Tandem poſt diu paſſa hæc mala cum ſumma corporis macie moritur æger .

Pus in utroque cavo .

583. Quoniam juvat ſcire , num in utroque cavo pectoris vel alterutro , vel in aliis partibus collectum hæret pus , quædam his ſignis generalibus addenda ſunt ſpecialia , quæ differentiam declarant . Si in utroque cavo hæret , commodiſſime ſine moleſta reſpiratione poteſt hærere pus ad dorſum , & capita diaphragmatis ; in tali igitur ſitu ſi ponatur ægri corpus , id eſt erectus , & aliquomodo ſupinus , ut pus hic hæreat , commodius poteſt degere , non facile tolerans in hoc vel iſtud latus decumbere .

In uno latere .

584. In latere præcipue contineri pus ex his conjicimus : 1. Decubitu in ſanum latus difficili , quum pus ſuperiore latere hærens , premit mediaſtinum , quod tunc actionem alterius pulmonis ſani intercipit . 2. Ex tumore , dolore , vel alia affectione lateris , in quo continetur pus . 3. His ſi non ſatis conſtant , applicant linteum madidum tepidum , terra figulina adſperſum , quod ad latus affectum citius ſiccatum , declarat affectum locum .

In Pulmone .

585. Si anteceſſerit peripneumonia , ſine exſpuitione puris vel urina ſedimen-

mentoſa, ſed manſit difficilis reſpiratio cum levi febricula, & tuſſicula, & in medio pectoris. Aut ſi poſt hæmoptyſin oritur febricula vaga cum tuſſicula, & ejectione granulorum fœtentium. Si difficilis reſpiratio in quocumque corporis ſitu non augetur, nullaque percipitur fluctuatio in pectore, pus utplurimum in vomica collectum hæret, quod ita clanculum latet, ut peritiſſimos etiam fallere poſſit.

586. Si in tunica cellulari mediaſtini hæret pus, ob nexum cum ſterno, & vertebris dorſi, dolores antro, & retro magis ſentiuntur, & quia huic inhæret pericardium, multa cordis ſymptomata vexare ſolent. Si ſub ſterno magis hæret, anterius decumbentes facilius ſpirant, ſed ad vertebras hærens decubitum ſupinum habent. *In Mediaſtino.*

587. In pleuræ tunica cellulari hærere collectum pus, conjicimus 1. ex pleuritide inflammatoria prægreſſa, quæ abiit in ſuppurationem, ſine puris evacuatione, permanente reſpiratione difficili: nam ſi abſceſſus hic factus effudit pus in cavum pectoris, liberantur, ſed dein iterum increſcit difficilis reſpiratio, 2. ſi contuſio, aut vulnus pectoris non pro ratione effundit pus, ſed conſolidatur externe cum difficiliori reſpiratione, ſine expultione puris. 3. ſi in pectoris integumentis percipitur dolor, tumor, aut mutatio coloris. *In pleura.*

588. Pericardii fabrica, & diſſectio Anatomica cadaverum comprobant, abſceſſum in pericardio formari poſſe, qui in viventibus difficulter detegitur, cum pericardium inflammatum conſtringens cor, & pus in pericardio effuſum, liberam cordis dilatationem inhibens, anomala ſigna inflammationis præbeant; ex cordis tremore, palpitatione, anxietate, pulſu vacillante, & debili Syncope frequente, cum corporis ardore, & febre continua, deſinente in remittentem, hanc obſcuram puris collectionem conjicimus. *In pericardio.*

589. Empyema natum eſſe ex Hepatis abſceſſu, ſequentia ſuadent: 1. Si anteceſſerit hepatitis inflammatoria ſine evacuatione puris abiens in ſuppurationem. 2. Sed ejus loco accedunt ſigna Empyematis. 3. Si æger expuat ſputa ſubnigra, minus cohærentia, inſtar ſanguinis nigri corrupti. 4. Ex excrementis alvinis ſimilibus, ventris doloribus, cibi faſtidio, nauſea, ſi hæc materia ſimul per ductum Choledocum in duodenum deponitur. *Empyema ex Hepatis abſceſſu.*

590. Quod in Empyemate præſagiri poteſt, deducitur ex magnitudine cauſarum, & ſymptomatum, quare bona, & mala ſigna ſunt ſeparanda, ut ex iſtis ſalutem, vel interitum pronunciare poſſimus, atque ex conjunctis his ancipitem exitum. *Prognoſis.*

591. Qui ab Empyemate videtur curatus, & dein exſpuit graveolentia, notat, relictum eſſe ulcus, quod recidivam faciet. *Recidiva.*

592. Bona ſigna ex his deſumuntur. 1. Ex natura puris exeuntis, ſi ſit læve, æquale ejuſdem coloris, non fœtens, albicans, ſatis copioſe per ſputum ſine multa tuſſi exiens, vel ſub forma ſedimenti albi æqualis in urina, ſenſim minori copia prodiens, cum incremento virium, & diminutione ſymptomatum. *Bona ſigna.*

2. Ex ſignis nullum pus, vel ichorem mixtum eſſe ſanguini, ut facile ferre morbum; corpus æqualiter calidum, & molle; ſitis modum non excedens, receſſus febris, & reditus appetentiæ poſt ruptionem, vel ſputi ejectionem; alvi egeſtio compacta, & modica.

593. Mala cenſentur ſigna, 1. quæ declarant pus non evacuari, ut ſputum nullum; urina cruda ſedimento carens. 2. Pus eſſe corruptum; ut ſputum fœtens ichoroſum; pus per alvum; pus exiens pallidum, viride, lividum, ichoroſum, cœnoſum, pituitoſum, ſpecillum tingens. 3. Corpus infectum eſſe a pure corrupto, ut difficile ferre morbum; anxietas, ſtragula movere de pectore; dolores; ſitis; corpus inæqualiter calidum; venter, & coſtæ maxime ſi calent, frons vero & manus, & pedes ſi frigent; inappetentia, & faſtidium; emaciatio corporis; egeſtio alvi liquida, copioſa. *Mala ſigna.*

Effectus & exitus. 594. Pus in cavo pectoris collectum varium ſibi exitum parat, & ſubit mutationem: 1. Bonum manens pus a pulmonibus receptum, & per ſputum rejectum liberat hominem, ſed ſi corruptum hac via evacuatur, incertam ſanationem promittit, 2. vaſis venoſis reſorptum ad renes delatum, & ſub forma ſedimenti albi copioſi redditum, vel depoſitum ad crura, etiam liberat; ſed ſi ſit corruptum, nihil juvat, ſi per integumenta pectoris ſibi parat viam pus, quod in junioribus intra 30. dies, in adultioribus circa 40. diem, & in ſenibus ad 60. diem, contingere ſolet, ſervantur, ſi pus bonum exit cum levamine ſymptomatum; ſed ſi pus corruptum exit, non facile ſanantur. 4. Sed perrodens diaphragma, deſcedens in ventrem inferiorem, poſt tympanitidem, multaque alia mala, moritur æger, 5. manens in pectoris cavitate, quod ex defectu evacuationis cognoſcimus, pulmonem, & pleuram exulcerat, ſphaleſcere facit, hominemque inducta Phthiſi conſumit, 6. vel vaſis venoſis receptum, & non evacuatum inducit febrem hecticam, qua etiam inducitur maraſmus, quo ægri conſumpti pereunt.

Curatio. 595. In curatione imitanda eſt natura ſolutionem faciens. Semper debebat exiens pus bonum eſſe, commodiſſima evacuatio erat per ſputum, dein per urinam, poſtea per abſceſſum cruralem; ultimo per aperturam factam in thorace.

Puris corruptionem inhibens. 596. Omni tempore, & in omni exitu ergo valet, interna medicamenta propinare, quæ *puris corruptionem* præveniunt, & factam emendant.

Expectorantia. 597. Non ſolum exſpectandum, donec natura monſtrat viam per ſputum, ſed priuſquam natura hoc facit, omni ope conandum, ut promoveatur ſputi ejectio per *Expectorantia*, quæ ſemper potanda quantum ferri poteſt calide. Si autem adſit ſputi tenacitas quædam, *reſolventia pectoralia* ſunt adhibenda, ſed in ſputi tenuitate addenda *Pectoralia incraſſantia*.

Diuretica. 598. Eodem quoque modo, per *Diuretica Pectoralia*, adjuvanda eſt evacuatio puris per urinam.

Abſceſſus cruralis. 599. Si vero natura moliatur metaſtaſin ad crura, hac quoque liberatus fuit æger, ſed non tam certe, quam per ſputum, vel urinam: interim melius eſt, ut hoc in loco retineatur, & reducatur ad citam maturationem per medicamenta citata, (553) quam ut repellatur.

Puris evacuatio ex pectore. 600. Si pus ſibi parat viam per pectoris integumenta, ut ſui præbeat indicium, locus ille prominens, utpote aptiſſimus, eſt pertundendus, & pus pedetentim evacuandum, atque cavum pectoris depurandum eodem modo, ut ſtatim proponetur in paracenteſi.

Paracenteſis. 601. Si pus collectum maneat in pectore, via paranda eſt pro exitu, quam operationem vocant Paracenteſin pectoris, quæ non ſolum in Empyemate, ſed in pectoris hydrope, & ſanguine effuſo in pectore, inſtituitur. Ut ſciamus quodnam latus ſit pertundendum, ſigna lateris affecti (584) conſulenda.

Quando inſtituenda. 602. Priuſquam inſtituitur operatio, ſciendum eſt, quando illa cum effectu poteſt fieri 1. ſi certi ſumus pus eſſe collectum (582) in pectore, & nullum quærere exitum per ſputum, vel urinam. 2. In non admodum vetuſto morbo. 3. Si Empyema bona ſigna (492) habet, nam cum malis ſignis accelerabitur mors.

Locus pertundendus. 603. Si ergo pertundendum eſt pectus, duo ſe ſuggerunt loca. 1. Si Empyema alicubi indicium præbeat puris propullulantis ſemper in eo loco apertura eſt facienda, quæ plerumque fieri poteſt ſimplici ſectione, quum tunc plerumque natura aperturam fecit in pleura. 2. ſi nullum eſt indicium, optimus locus eſt in eo latere dorſi, ubi pus hæret, (584) inter tertiam, & quartam coſtam ſpuriam, ad diſtantiam trium, quatuorve tranſverſorum digitorum, pro corporis magnitudine a ſpina dorſi, & totidem circiter digitos ab angulo ſcapulæ: locus ille tunc eſt atramento notandus.

604.

604. Flectet tunc æger ſuum corpus oblique anterius, ut locus incidendus maxime promineat, & coſtæ a ſe invicem recedant: ſecet tunc Chirurgus ſecundum corporis longitudinem cutim, plaga trium fere tranſverſorum digitorum, in ſigno ab attramento facto. Dein miniſtri, trahendo ad latera cutem, faciant ut admodum hiet plaga; deinceps ſectio facienda eſt in carne ſubjecta ſecundum coſtarum curſum, ſed corpori tranſverſa, æquali fere diſtantia ab utroque margine coſtarum, ne perſcindantur vaſa intercoſtalia, ſi ad pleuram pervenerit ſectio, ipſa pleura prudenter pertundenda, ne lædatur pulmo. In apertura facta immittendus eſt digitus, qui removeat pulmonem ſi forſan adhæſerit, ut ex facta plaga pus effluere poſſit. *Operatio.*

605. Ex facta apertura non multum puris ſimul emittendum, quoniam alias ſæpe in animi deliquium incidit æger, & cavendum, ne aer intret pectoris cavitatem, quo collabetur pulmo, & ſuffocabitur æger in uno latere pectoris; quare poſt operationem factam manu ita tegenda apertura, ut impediatur aeris introitus, dum æger ſe invertat, ut apertura tunc ſit in decliviori loco. Dein cum clauſa apertura, æger fortiter inſpiret, ut pulmo fiat aere plenus, hoc facto conetur fortiter exſpirare ore, & naribus clauſis, ut faciunt, qui magnum conatum edere ſolent retenta anima: hoc tempore aperiatur plaga, ut exeat pus, ſed ſi iterum vult æger inſpirare, plaga manu claudenda. Iteratis his actibus, ſi ſatis puris effluxit, in apertura indenda mollis admodum turunda, & flexilis, ut inſtar caudæ in cavum pectoris propendeat, quæ filo alliganda, ut ſemper retrahi poſſit, ſuper applicentur plumaceola, quæ ut ipſa turunda quodam *Digeſtivo* obduci debent, inſuper emplaſtrum ex tenui aluta confectum, quod aeris introitum inhibet: hæc dein ſpleniis, & faſciis ſunt firmanda. Multi autem loco turundæ indunt aperturæ cannulam anſatam, iſtius longitudinis, ut pertingat in cavum pectoris, & non lædat pulmonem. Sed non eſt opus, niſi aliter apertura aperta ſervari non poſſit. *Deligatio.*

606. Bis autem ter de die innovanda eſt Deligatio, & tanta portio puris eſt emittenda, ut intra viginti dies omne ablatum ſit: citius enim non patitur æger, & diutius continuare generat fiſtulam. Semper inter deligandum cavendus eſt aeris introitus. Si vel pus concretum, vel pulmo obturat exitum, id removendum immiſſo inſtrumento obtuſo per aperturam. Si vero pus ſit tenacius, injiciendum *lavamentum bene abſtergens*, & ita emittendum iterum, ut aliquid intus relinquatur in ſequentem deligationem, quod pus tenax ſolvit. Si vero pus effluens ſit corruptum, injiciendum lavamentum ſimul debet eſſe *antiſepticum*. Hæc dum fiunt, interne danda, quæ puris corruptionem cohibent, & emendant, ſupra (596) notata. His continuandum ad perfectam ſanitatem; reſtans virium debilitas ſolitis Cardiacis roborantibus curanda. *Innovatio deligationis.*

607. Dum verſamur in Empyematis curatione, quædam adſunt ſymptomata, quæ ſpeciales exigunt curationes, quarum præcipuas delibabimus. *Symptomatum curatio.*

608. Si nimia vexat *Tuſſis*, adhibenda ſunt *pectoralia*, *balſamica*, *anodyna*, quæ acre, purulentum, laringem irritans, obvolvunt, & emendant.

609. *Sputum* autem tenacius eſt ſolvendum, & per *Expectorantia abſtergentia*, ejiciendum.

610. Nimia autem *Sitis* compeſcenda *Diluentibus pectoralibus*, quum ſalina ſitim compeſcentia, & acida non facile ferant, ſine multa tuſſi.

611. *Alvus Liquidior* conſtringendus pectoralibus adſtringentibus.

612. In *Appetitu dejecto* evitanda mucilaginoſa pectoralia, quæ appetitum magis extinguunt, ſed propinanda quæ *pectoralia*, & ſimul *ſtomachica* ſunt.

613. Quænam medicamenta pus attrahentia dicenda?

Quibus medicamentis applicatis, ex ulcere profundo, aut ſinu purulento du- *Quæſtiones.*

ducitur pus ad exteriora, vel pus in abſceſſu magis elevatum tumorem tenujore cute tectum facit, ea dicuntur Pus attrahentia, quam actionem ex vi attrahente deducebant nonnulli; ſed quæ laxant partes exteriores, atque aliquomodo reſolvunt, tollentia reſiſtentiam externam, faciunt, ut pus exeat, vel ad exteriora vergat: nam hæc Medicamenta juxta pus locata, nullum attractionis indicium in experimentis phyſicis præbent.

614. An nunquam Abſceſſus particularis ſine prægreſſa inflammatione ejuſdem partis?

Ita multi exiſtimant, quare mirantur ſæpe, tam brevi tempore tumorem purulentum formari poſſe in quadam parte: at vero morbus inflammatorius, vel purulentus per totum corpus, non raro confectum pus non evacuans per emunctorium, deponit ad partem aliquam, ubi format abſceſſum per metaſtaſin.

615. Cur pars nimis refrigeratur poſt nimiam puris evacuationem?

Niſi experientia conſtaret, puris magnam evacuationem inducere refrigerationem, ratione videretur contrarium eſſe ſtatuendum, quoniam pus per ſe nullum calorem habens videtur calorem accipere a lateribus partium ambientium; ſed quoniam cum puris evacuatione copioſiore tollitur ſuſtentaculum, partes firmæ minus preſſæ minorem calorem faciunt laxiori ſuo attritu per motum vitalem.

616. Num ex abſceſſu magno omne pus ſimul evacuandum?

Nimia puris evacuatio, tollens ſuſtentaculum, nimis extinguit partis calorem naturalem, & diſponit antea ſuſtentata vaſa ad facilem ruptionem, quare nunquam omne pus ſimul evacuandum, niſi pars evacuata iterum poteſt artificiali ſuſtentaculo ſuſtentari. Inde tam utile eſt firmare partem faſciis poſt magnam puris evacuationem.

617. Cur margines diutius duri, ſi immaturus aperiatur abſceſſus?

Non omnis lentor in lateribus abſceſſus hærens eodem momento convertitur in pus, id eſt fit maturus, ſed ſenſim in pus commutatur: hæc commutatio acceleratur adjecto pure, ut parum fermenti totam maſſam citius in fermentationem, & parum putrefacti breve totam molem in putrilaginem commutat: quare ante perfectam maturitatem non expedit aperire abſceſſum, neque omne pus evacuare, neque nimis depurare ab omni pure, ſi volumus citiorem maturationem obtinere.

618. Quæ materia ex qua pus formatur?

In corpore ſano numquam pus, neque ſtatim conſpicitur poſt inflictum vulnus, vel oborta febre ardente, vel inflammatione: quare immediate non formatur ex humoribus ſanis, ut ex chylo, uti multi contendunt colore albicante decepti, ſed videntur humores boni majore actione vitæ in Lentorem compacti, continuato illo motu, & fotu partis, ſenſim commutari in pus. Et quoniam ſedimentum album in urina id purulentum eſt, quod in acutis conficitur, & dein evacuatur, generalis æque inflammatio formare poteſt in corpore pus, quam inflammatio localis.

619. Unde puris retenti tanta acrimonia?

Quoniam pus eſt humor ſubpinguis, & extravaſatus, in loco calido ſtagnans, eodem modo, ut omnes humores, convertitur in putrilaginem, ſeu ichorem per ſupervenientem corruptionem: qui ichor eo fit acrior, quo diutius continuatur corruptio.

620. Qua via ad renes ducitur pus ex pectore?

Anxie quæſiverunt ex pectore ad renes tendentes vias, quas hucuſque Anatomica ſectio invenire non potuit, ut intelligerent modum, & curſum puris in Empyemate, quo cum urina evacuaretur pus, & homo liberaretur ab Empyemate, fruſtra autem multos impenderunt labores: nam dum pus eſt aliquo modo attenuatum, ut poſſit vaſis venoſis reſorbentibus pulmonum,

vel

vel pleuræ recipi, traditur ſanguini circulanti, qui ad renes cum pure veniens, pus a ſe in renibus ſegregat: qualis ſeparatio, & excretio renibus videtur propria, quoniam in omni purulentia cum urina exit purulentum.

621. Quali modo ex Angina generari poteſt Empyema?

Veterum eſt obſervatio, quæ a quibuſdam hodiernis negatur, ob denegatam viam: ſed ſi poſt inflammationem aliquam particularem, vel generalem poteſt formari Empyema, (580) id facillime fieri poteſt ex Angina ſuppuratoria: poteſt enim pus in collo formatum, deſcendendo per tunicam celluloſam, vel per tracheam arteriam, facilius in pectore venire, quam alii abſceſſus per metaſtaſin. Inde mirum eſt, non frequentius contingere.

622. An commodius in Empyemate fieri poteſt Paracenteſis per Trochar, quam per inciſionem?

Quoniam apertura tantum eſt facienda in pectore, ea videtur multo facilius fieri poſſe per Trochar, quod unico ictu intrudi poteſt, ut in cavum pectoris penetret, & dein exemta ſubula triquetra, in apertura relicta cannula anſata, ſatis videtur viam præbere puri; ſed ſæpe ſimul ſubjacens pulmo læditur, removeri non poteſt pulmo, ſi pleuræ adhæreat, & frequentiſſime obturatur exitus; quare præfertur præcedens operatio ab expertis Chirurgis.

CAPUT V.

De Sphacelo, & Gangræna.

623. *Definitio.* *Sphacelus* Medicis, & Chirurgis denotat alicujus partis noſtri corporis mortificationem, quam etiam ſiderationem vocant, ſive totum membrum ſit corruptum, ſive ejus quædam pars, ſi vero tantum ſit in partis ſuperficie, partem mortificatam vocant *Eſcharam*. Ab hoc diſtinguunt *Gangrænam*, quæ eſt vehemens inflammatio in ſphacelum tendens, quæ ſæpe præveniri poteſt, dum Sphacelus nullam medelam capit. Belgica nomina ſatis exprimunt differentiam hanc, nam ob vehementem calorem partis in Gangræna vocant *Heetvuur*; & quoniam pars mortificata in Sphacelo friget, Sphacelum vocant *Koudtvuur*.

624. *Cauſæ.* Cauſæ ſphacelum inducentes ad has claſſes redigi poſſunt. 1. Motus vitalis major quam ferri poteſt. 2. Intercepta circulatio. 3. Defectus ſpirituum, & ſanguinis. 4. Exſtinctio motus vitalis. 5. Deſtructio partis. 6. Venena mirabilia.

625. *Motus vitalis major.* Motus vitalis nimis inſtigatus ita tendit partes firmas, ut tandem rumpantur, & ſanguinem ſubito in corruptelam convertit. Ab hac cauſa ſi fiat Sphacelus, ſemper prægreditur Gangræna. Talis fit in morbis *acutis*, *ardentibus*, *Inflammatione* particulari, *Eryſipelate*, *gelu* ſtatim non extinguente, *Lentore*, & *Ambuſtione*. Ab his cauſis generalibus interdum ſphaceleſcunt *humores* ſine particulari ſphacelo.

626. *Intercepta circulatio.* Nulla pars in noſtro corpore manet vivens, niſi communem circulationem habeat per arteriam, venam, & nervum; omnes igitur cauſæ intercipientes hunc liberum fluxum partis ſphacelum inferunt; unde *Aneuriſma* ſpurium, *Convulſio*, ſeu ſpaſmus conſtringens, *Decubitus* in aliquam partem, *Ligaturæ* ſtrictiores, *Fractura*, *Luxatio*, *tumor* premens, *Paralyſis*, *Obſtructio*, & *Compreſſio* quævis, ut & *Herniæ* conſtrictæ, produxerunt cum diverſis phænomenis ſphacelum.

627. *Defectus ſpirituum, & ſanguinis.* Quoniam omnis pars tandem moritur, & corrumpitur, ſanguine, vel ſpiritibus influentibus, ſi privatur; inde præter recenſitas intercipientes cauſas etiam generatur Sphacelus, poſt profuſiores *Hæmorrhagias* in ſumma Debilitate, decrepita *Senectute*, *Evacuatione* nimia, *Febre hectica*, *Phthiſi*.

628.

Motus vitalis exſtinctus. 628. Per frigus *glaciale* interdum omnis motus vitalis ita exſtinguitur, ut nunquam redeat vita parti, & ita ſphaceleſcit, ſine ulla inflammatione, vel gangræna prægreſſa, ut multi in ſæviſſima hyeme anni 1739. & 1740. in ſuis membris experti ſunt.

Deſtructio partis. 629. Ad vitam quoque continuandam in partibus, earum requiritur integritas, qua deſtructa perit quoque iſtius partis vita: inde multæ cauſæ deſtruentes intulerunt Sphacelum cum vel ſine gangræna præcedente; uti *Vulnus*, *Contuſio*, *Laceratio*, *Corroſio*, *Fractura*, *Combuſtio*.

Venena mirabilia. 630. Interdum ſine manifeſta cauſa, quaſi ipſa vita extinguatur, vel ſpirituum indoles invertatur, generatur in partibus Sphacelus, ut in morbis *malignis*, *Peſtilentialibus*, *Epidemicis*, *Pure* corrupto, *Putredine*, *Ichore Lympha* acri hydropicorum, *Colliquatione*, *Morſu* nonnullorum ſcepticorum animalium, *Corruptione ſcorbutica*.

Signa. 631. Signa ſphaceli duplicia ſunt, 1. quæ indicant ſphacelum inſtare, quando adhuc valet curatio præſervatoria, quæ indicant ſphacelum adeſſe, quando ſine interitu, & ablatione partis ſphacelatæ nulla valet medela.

Futuri Sphaceli. 632. Signa ſphaceli futuri, 1. differunt pro cauſa ſphacelum inducente. 2. An ſit exſpectandus ſphacelus partis, vel in humoribus generalis.

In nimio motu vitali. 633. Nam ſi per motum vitalem nimium in parte natus fuit tumor, renitens, elevatus, intenſe ruber, vehementer dolens, & calens, commutantur hæc ſine ratione in tumorem minus elevatum, mollem, laxiorem, pallidum, cineritium, lividum, nigrum, ſtuporem, & dein inſenſilitatem etiamſi ſecetur, frigiditatem; atque epidermis elevatur per veſiculas ichore plenas, facileque ſecedens a cute ſubjecta, & pars, quomodocumque tractetur, nullum præbet indicium vitæ, ſed ſenſim vehementiora corruptionis indicia præbet cum ſummo fœtore. Si vero ab eadem cauſa ſine locali prægreſſa inflammatione generetur ſphacelus, poſt febrem ardentem cum pulſu duro, frequenti, reſpiratione profunda, citata; anxietate, inquietudine, cutiſque ariditate, producuntur febris mitior ſine ratione; corporis frigiditas; horror; pulſus debilis, frequens, inæqualis; reſpiratio exigua frequens; anxietatis ablatio; in cute exprimitur ſudor colliquativus frigidus; formantur maculæ lividæ, petechiæ dictæ; interdum deponuntur alvi excrementa nigra fœtentia; urina nigra, vel cum tali ſedimento, aut nubecula; facies fit Hippocratica; ſanguinis ſtillæ nigræ; & multa alia, quæ fallaci lenitate ægrum opprimunt.

In intercepta circulatione. 634. Sed ſphacelus ex compreſſa Arteria (T. 31. XXXIII. 4.) vel vena, (T. 19. LXXV. T. 31. XXIII.) 6. vel Nervo (T. 24. v.) natus omnino diverſa ſigna præbet. *Arteria* enim compreſſa præbet ariduram, pallorem, frigus partis; *Vena* vero tumorem lividum, veſiculas in ſuperficie lympha rubella plenas, pars admodum aggravatur; ſed *Nervus* paralyſin, ſtuporem, & frigiditatem partis.

In defectu ſpirituum. 635. Qui autem fit ex ſpirituum defectu, ſine prophaſi, & interdum ægro inſcio, aliquam corporis partem corrumpit, ut experiantur, membrum eſſe mortuum, ſenſu, & motu deſtitutum cum frigiditate inſtar cadaveris, quę pars dein putreſcere incipit.

In motu vitali extincto. 636. Ex Congelatione natus Sphacelus, ſi totam partem occupat, in ſignis vix differt a defectu virium; ſed ſi portio quædam gelu combuſta fuit, ſimilia ſigna præbet, ac ſi pars commutaretur in ſphacelum per majorem motum vitalem.

In partis deſtructione. 637. Quum valida deſtructio, pro diverſitate cauſæ, & partis læſæ, varia ſigna præbeat, illa ex morbis iſtis petenda.

638. Venena mirabilia ſine prævиis ſignis ſolent partem viventem in ſphacelum convertere.

Venena 639. Pars ſphacelata, licet nunquam in vitam redeat, poteſt tamen ratione cor-

corporis ægri, varium exitum in melius, vel pejus facere, quare utile erit quaſdam generales regulas tradere, quas experientia ſuggeſſit. *mirabilia.*

1. In partibus humidis, gingivis, palato, naribus, pudendis, perinæo, inteſtino recto, raro curatur, & multum ſerpit. *Prognoſis.*

2. In pedibus hydropicorum difficillimus.

3. In pedibus incipiens ſenſim adſcendens plerumque lethalis.

4. A cauſa externa violenta minus periculoſus, quam a cauſa interna.

5. Si margines exulcerati ſphaceli ſiccari incipiunt, cum virium diminutione, lethale.

6. Accedentia ſigna ſphaceli humorum (633) mortem inſtare declarant.

7. Sphaceli viſcerum internorum certo mortem inferunt.

8. Margines circa partem ſphacelatam rubere, tumere, & pus formari inter eſcharam, & partem viventem, bonum ſignum.

640. Sphacelus triplicem curationem exigit, 1. Si ſphacelus inſtat, & ſpes eſt partem ſervari poſſe ſine interitu, 2. ſi Eſcharam fecerit. 3. ſi totum membrum eſt mortificatum. *Curatio.*

641. Præſervatoria curatio ad hæc tria referri poteſt, 1. ſi a motu majore veremur inſtantem ſphacelum, vena eſt ſecanda, *alvus ducenda*, & applicanda *antiphlogiſtica*, uti in vehementiſſima inflammatione; ſed ſi reſolvere non valemus, *ſuppurantia* ſunt adhibenda, cum internis *cardiacis*, 2. ſed ſi ex motu minore, & debilitate pars ſphaceleſcere incipit, externe applicanda ad partem affectam *Calefacientia antiſeptica*; atque exhibenda, & ad cordis regionem applicanda *Cardiaca*. 3. Dum vero in regionibus calidis ex putredine ſuperveniente exſpectatur ſphacelus, *Antiſeptica refrigerantia* ſunt exhibenda, & applicanda. *Præſervatoria.*

642. Si jam portio quædam cutis ſit mortificata, quam *Eſcharam* vocant, etiamſi fiat ab inflammatione, omittenda ſunt antiphlogiſtica, cum tunc motus major non continetur, ſed danda cardiaca citata (641. 1.), & applicanda, quæ etiam *ſuppurationem* inducunt, & cohibent *putredinem*: pars mortificata ſcarificanda uſque ad vivum, & *Lavamento acri antiſeptico* plagæ ſcarificatæ eluendę: raro delibatio innovanda, ſed ſemper artificiali calore fovenda pars, & irroranda deligatio fomento calido. Eſchara autem facta ex Contuſione, vel Combuſtione *mitiora ſuppurantia* exigit. *In Eſchara.*

643. Si autem his peractis ſubſiſtit ſphacelus, non pergens facere latiorem Eſcharam, quod conſtat ex contractione Eſcharę, marginibus tumentibus, rubentibus, & humidioribus, vacillatione Eſcharæ, pars illa mortua eſt auferenda, quare ſi portio Eſcharæ pendula hæreat, ea volſella eſt abſcindenda, & applicanda *abſtergentia digeſtiva*. Si vero propter tenacitatem Eſcharæ, & frigiditatem partis non ſequitur Eſcharæ ſeparatio, expedit ad ipſam Eſcharam applicare *cauſticum*. *Eſcharæ ſeparatio.*

644. Si vero totum membrum ſit mortificatum, quoniam ejus ichor, & fœtor inquinat ſanum, totum eſt auferendum, ſi fieri poteſt; quam operationem vocant *Amputationem*, perperam extirpationem. *Amputatio.*

645. Amputatio eſt facienda 1. in parte vivente prope mortuam, ſed in crure ad diſtantiam ſex tranſverſorum digitorum ſub genu ad commodiorem inceſſum, & faciliorem deligationem. 2. Omne ſphacelatum eſt auferendum, ne portio manens coinquinetur. 3. Melius eſt in oſſis medio facere abſciſſionem, quam in articulo, quoniam articulus difficilius obtegitur cute, niſi in articulis parvis. *Ubinam. Tres modi.*

646. In tota manu, & pede, & horum digitis ſimplici forcipe, vel cuneo cum malleo, abſcinditur uno ictu pars mortua. 2. In mammis, & articulis abſciſſio ſolo cultro abſolvitur. 3. In membris majoribus etiam ſerra utendum. *Præparatio.*

647. Si ergo conſtat, partem ſine amputatione ſervari non poſſe; ægri vi- *Poſitio ægri.*

vires valere ad ſuſtentandam operationem; omne corruptum auferri poſſe: tunc omnia inſtrumenta, & auxilia in patinis locanda, ut ſint parata, & dandum ægro cardiacum anonymum.

Ligatio femoris. 648. Si crus ſub genu ſit amputandum, æger locandus ſupra ſellam in medio cubiculi, vel conclavi, ut ad omnem partem ſit liber aditus, firmandus eſt a miniſtris ad dorſum, femur, & crus, quod mantili eſt obvolutum; ipſe operator ſtet inter crura ægri.

Ligatio cruris. 649. Dein ſupra genu ad femur, ſub poplite locandum ſplenium craſſum, & alterum ad internam partem genu, ut tendo muſculi ſemitendinoſi, ſemimembranoſi, gracilis, & ſartorii, ſub quo magna hæret arteria, ſit ab utroque latere bene compreſſus, hæc ſplenia firmanda alio tenuiore quod femur ambit, dein ſupra genu ad finem femoris locanda charta compacta denſa, quæ corrugari nequit. Hæc omnia cingat bis circumducta faſciola tenaciſſima, nodo extremis firmatis, quæ baculo, ſeu manubrio contorqueri poteſt, ut arteria, & nervus ſub dicto tendine hærens conſtringi poſſit; alii autem utuntur hujus loco artificiali Torculari; ſed ſi inſtrumento eo caremus, per faſciolam ita contortam ſatis valemus conſtringere arteriam, & nervum.

Sectio per Cultrum. 650. His ita locatis, trahenda cruris integumenta ſurſum, quantum commode fieri poteſt, tunc ſub genu ad digiti tranſverſi diſtantiam a loco incidendo vinciendum crus loramento quod fibula firmari poteſt, quo firmantur integumenta, & muſculi perſcindendi.

Deſecare ſerra. 651. Tenens dein Operator manu dextra cultrum falciformem acutum, bene temperatum, ſiniſtra manu ejus urgens dorſum, eum adigit forti ſectione, incipiente ab eminentia tibiæ, ita unica ſectione ad os uſque perſcindat in toto ambitu carnem. Dein mucronato ancipiti cultello inter duo oſſa cruris adacto, ita perſcindat reliquam hic hærentem carnem, ut nil niſi oſſa ſuperſint, dum eorum quoque perioſtea eadem ſectione ſeparata accurtando nulla relinquant oſſa. Hoc tempore per Torcular ſupra genu arteria, & nervus fortiter ſtringenda. Et ut magis retrotrahatur caro linteum biſectum ita locandum in facta inciſione, ut ejus tractione trahatur caro verſus genu, quo magis denudatur os.

Poſt abſciſſionem. 652. Ita nudata oſſa, & perioſteo quantum fieri potuit privata, nam omnia promte peragenda, accurate tranſverſim prope retractam carnem verſus genu ſerra bene temperata, tenſa, acuta, oleo illinita, ita ſunt deſecanda, ut fibula prius quam tibia perfecta ſit; interim miniſter tenens pedem ita tollere debet partem, ne ſerra inter ſecandum interſtringatur.

653. Poſt abſciſſionem ſolvatur loramentum ſub genu, & aliquantulum dimittatur torcular ſupra genu, ne fortiſſima conſtrictione tota pars pereat ſphacello correpta, & facienda dein deligatio: arteria enim traſverſim abſciſſa, accurtata, torculari compreſſa, & polypus in arteria concretus inhibet hæmorrhagiam. Alii ſuadent arteriam acu filo ceraceo munita intercipere, filumque ſupra ſplenium ita colligere, ut perfecte ſit clauſa; inſuper applicare ad arteriam abſciſſam nodulum ex vitriolo ſindone recepto confectum, & ovi albumine obductum, vel applicare fruſtum Crepitus lupi, vel alios pulveres ſtypticos, ſed ſi modica ſervetur preſſio ſupra arteriam per Torcular, cuncta hæc omitti poſſunt.

Deligatio. 654. Ad os ſerra diſſectum applicanda plumaceola ſpiritu vini Maſtichino madida: ad arteriam plumaceolæ albumine ovi madeſcentes cum pulvere *ſtyptico fortiſſimo*, ut his tota caro tegatur: hæc omnia tegenda emplaſtro aliquo tenaci, dein applicanda ſpleniola decuſſata duo, vel tria, quæ ſupra genu dimittunt ſua extrema: his peractis flectendum genu, & faſciis omnia deinceps firmanda. Sedulo obſervandum eſt Torcular, cujus moderata conſtrictione ſiſtitur hæmorrhagia, & conſervatur vita in parte ſub Torculari.

Non

Non eſt opus innovare ante triduum deligationem, niſi hæmorrhagia citiorem deligationem exigat. Poſt curationem non eſt inutile bis, aut ter ſecare venam, ad evitandos morbos ex abundantia naſcendos.

CAPUT VI.

De Aneuryſmate.

655. DUplex genus morborum Auctores Aneuryſmatis nomine complectuntur, Dilatationem aliquam facciformem, ſeu hernioſam arteriæ, per totum ambitum arteriæ, aut in uno tantum latere; vel arteriæ ruptionem effundentis ſanguinem in celluloſam tunicam, quam implet, & diſtendit ſanguis in tumorem. Prius vocant *Aneuryſma verum*; poſterius autem *ſpurium*. *Definitio.*

656. Aneuryſma verum 1. a parvo tumore incipit, ſenſim increſcens; 2. vix mutat cutis colorem; 3. attactui præbet pulſationem, niſi admodum magnus ſit tumor; 4. tumor eſt renitens, quaſi elaſticus, ſed continuata preſſione cedit, atque totus evaneſcere poteſt, niſi valde magnus; 5. tumor ad attactum formicationis ſenſum exhibet; 6. tumor eſt circumſcriptus, ovatus; 7. ſanguis plerumque fluidus. *Signa Aneuryſmatis veri.*

657. Spurium autem Aneuryſma 1. brevi tempore in magnum tumorem attollitur; 2. mutat cutis colorem in livorem; 3. nullam, vel exiguam pulſationem præbet; 4. tumor mollior, ſed non evaneſcens preſſione, potius latius diſpergens; 5. nullum ſenſum formicationis digitis præbet; 6. tumor admodum latus irregularis ſub cute diſperſus. 7. ſanguis plerumque coagulatus. *Spurii.*

658. Aneuryſma verum per arteriæ dilatationem formatur. 1. Si ſuſtentaculum arteriæ externum tollitur, per vulnus arteriam non attingens, abſceſſum, ulcus, evacuationem ſubitaneam in loco proximo. 2. Diſruptio nonnullarum fibrarum, in vulnere, contuſione, corroſione, abſceſſu, vel ulcere in tunica cellulari arteriæ, diſtenſione validiore, per convulſionem, conatum corporis validiorem, equitationem, ſaltum, vociferationem. 3. Impeditus reditus per venam iſtius partis compreſſam, ut in gravidis interdum, & tumoribus venam comprimentibus. 4. Nimia laxitas, ſeu atonia in fibris quibuſdam arteriæ. *Cauſæ veri.*

659. Iiſdem cauſis, ſed validioribus, aut continuatis tandem ſolvitur arteria, & effundit ſanguinem in adjacentem tunicam cellularem; unde poſt venæ ſectionem, arteriotomiam, vel poſt toleratum Aneuryſma verum, ſæpe formatur Aneuryſma ſpurium. *Spurii.*

660. Ut præſagium formetur in præſente Aneuryſmate, hæc ſunt perpendenda. *Prognoſis.*

1. Aneuryſma ſpurium periculoſius eſſe vero, cum arteria ſit aperta, & ſanguis cito propellatur per tunicam celluloſam facile dilatabilem, & ſeparabilem.

2. Aneuryſma verum, & ſpurium in arteria ſolitaria nullam medelam admittit, ſola amputatio membri ſupereſt.

3. Aneuryſma internum, ut latet, & difficilem curationem admittit, ita ſubito ſolet inferre mortem, ut & illud, quod in pulmonibus fit.

4. Imprudens apertio Aneuryſmatis fere ſemper mortem infert.

5. In non ſolitaria arteria prudenter tractatum ſanitatem promittit.

6. Ex Aneuryſmate vero tandem generari ſolet ſpurium lethale.

661. Si ex cauſis prægreſſis (658) & conjunctis ſignis (656) conſtat, adeſſe in parte externa, vel membro Aneuryſma verum, 1. artificiale eſt applicandum ſuſtentaculum per ſplenia, laminam, & faſcias, ut ſaccus dilatatus ad- *Curatio veri.*

ducatur, 2. applicandi ſunt ſimul *pulveres adſtringentes*, qui fibrarum facci accurationem promovent, 3. moderandus impetus per truncum arteriæ artificioſa, & moderata compreſſione ad truncum arteriæ ſupra Aneuryſma.

Operatio Chirurgica.

662. Si vero his auxiliis non obtemperet, & non ſit arteria ſolitaria, timorque ſit ruptionis, vel incrementi, in loco, ubi operatio poſſit inſtitui; 1. Torculari eſt comprimendus arteriæ hujus truncus tam arcte, ut pulſus in ea parte ſubjecta percipi non poſſit; 2. perſcindenda integumenta lata plaga ſecundum longitudinem, ut detegatur arteria; 3. illa tunc eſt intercipienda acu cum filo duplici: cavendum ne acus acutam aciem habeat, vel ſimul intercipiatur adjacens nervus: ligetur igitur, interpoſito ſpleniolo inter filum nodo colligendum, arteria ſupra Aneuryſma; dein truſo ſanguine verſus ramos, ligetur etiam ſub Aneuryſmate arteria, ut Aneuryſma inter has ligationes ſit intercepta: his peractis minuenda eſt torcularis preſſio, ut obſervetur num ſatis firma ſit facta ligatio, quæ ſi habetur, ita eſt torcularis preſſio minuenda, ut in parte redeat pulſus. 4. Dein labia plagæ ſunt adducenda, parſque munienda *Adſtringentibus*, & *Emplaſtris tenacibus*, ſpleniis, & faſciis aptis. Non ante tertium diem innovanda deligatio; ſi inter deligationis innovationem aliquid adhæreat partibus, id relinquendum, & filum ligationis tam diu relinquendum, donec ſponte ſecedat.

Curatio Spurii.

663. Aneuryſmatis Spurii ſine operatione Chirurgica non eſt tuta curatio, quare torculari arteria ſupra aperturam eſt comprimenda; locus ſectione eſt aperiendus; ſanguis concretus eſt eximendus; arteria detegenda paululum ſoluto torculari; detecta arteria acu cum filo eodem modo; ut in vero aneuryſmate eſt liganda, &, ut tutiores ſimus, alterum quoque filum eſt trajiciendum priore paulo altius, quod ſtringi quoque poteſt, ſi prius non ſufficit; ſoluto torculari tentandum, an ſatis conſtricta ſit arteria; ſi ſatis firmata ſit arteria, aliquo modo laxandum torcular, applicandus *nodulus* ex Vitriolo, vel Crepitu lupi, vel plumaceolo cum *pulvere*, vel *liquore ſtiptico* ad arteriam apertam: deinceps ut Aneuryſma verum deligandum.

Quæſtiones.

664. An ergo tuto celebrari poteſt arteriotomia?

Quoniam nullus eſt caſus, in quo non valeamus tantum boni præſtare in morbis per phlebotomiam quam arteriotomia interdum relinquit Aneuryſma, ab hujus operatione omnino abſtinendum.

665. An Aneuryſma aperiendum ut evacuetur ſanguis?

In Aneuryſmate vero non requiritur, quia ſanguis trudi poteſt per ramos arteriæ, poſtquam ſupra Aneuryſma arteria fuit ligata, vel dum arteria per torcular eſt compreſſa. In ſpurio deſideratur, quoniam ſine ſanguinis congrumati ablatione difficulter detegi poteſt arteria, & ſanguis hic ſtagnans corrumperetur.

666. An arteria tantum ſupra Aneuryſma ligandum?

Quoniam inſcii ſumus, num ille ramus deinceps faciat cum aliis anaſtomoſes, arteria carens valvula potuiſſet etiam hæmorrhagiam facere ex parte inferiore; hinc tutius erit, utramque partem ligare.

667. An pars media vinculis intercepta exſcindenda?

Si aneuryſma verum privatum fuit ſanguine in legitima operatione, pars intermedia convertetur in ligamentum, & inde nullum periculum hæmorrhagiæ eſt expectandum, ſed in ablatione non caret periculo.

668. An omnes tumores audacter aperiendi?

Hoc multos fefellit Medicos, & Chirurgos, qui loco tumoris purulenti aperuerunt Aneuryſma, quo æger ex hæmorrhagia periit: quare ſumma prudentia opus, antequam quivis tumor aperiatur.

669. Cur aneuryſma verum, & parvum facile evaneſcit compreſſione, ſed magnum, vel ſpurium difficulter?

Quamdiu parvum verum eſt aneuryſma, parva illa ſanguinis collecti copia

pia facile trudi poteſt per apertum inferiorem ramum ; ſed ſi majus fit aneuryſma , tanta copia brevi tempore duci nequit per inferiorem ramum arteriæ , & ſæpe orificium iſtud ſimul conſtrictum eſt : ſpurium ſi premitur , ſanguis urgebitur potius per tunicam cellularem in vicina , quam ut intret apertam iterum arteriam .

670. Cur ſpurium periculoſius , ac citius increſcit ?

Sanguis ex arteria aperta pulſus in tunicam cellularem vix cohærentem parvo temporis ſpatio magnum tumorem generare poteſt , & quoniam non facile eſt intercipere illam arteriam , tumor ille periculoſiſſimus .

LIBER IV.

CAPUT I.

De Venis.

671. VAſa ramoſa , vehentia liquorem circulatorium a ramis verſus truncum , dicuntur *Venæ* : hæ ducentes ſanguinem rubrum abſolute Venæ vocantur ; [& interdum *Venæ cruentæ* , ſed lympham pellucidam ducentes *Lymphaticæ* , ſeu *Vaſa Lymphatica* : talis humor , ſi reſorbeatur ex ambitu corporis , vel cavitatibus , mutat nomen horum in *Vaſa abſorbentia* : denique a chylo recepto ex inteſtinis appellantur *Vaſa Lactea* . *Definitio.*

672. Membranæ venarum tenuiores , & inde minus potentes , quam in arteriis , ex variis ſibi mutuis impoſitis , & quodam alio ordine quam arteriæ , componuntur . 1. Communis eſt ad conducenda vaſa pro nutritione , & motu venæ . 2. Celluloſa , flatu dilatabilis . 3. Muſcularis , ex fibris longitudinaribus confecta , quarum contractilitate abſciſſa vena accurtatur . 4. Vaſculoſa , multis arteriis , venis , & nervis conſpicua , in qua locant multi exiliſſimas glandulas , mucum venarum ſecernentes . 5. Intima , ſanguini contigua , fibris orbicularibus multo paucioribus confecta , quam muſcularis arteriæ , inde minus valens ad contentum propellendum ſanguinem , ſed contractilitate ſua venam ſanguine orbatam tandem integre claudunt . *Membranæ.*

673. Venarum capacitas eſt major , quam arteriarum ejuſdem partis ; ramorum eſt major , quam trunci ; venæ pulmonalis minor , quam arteriæ ejuſdem nominis : ergo ſanguinis velocitas major in arteriis , quam venis ; in trunco quam ramis ; in vena pulmonali , quam arteria pulmonali . *Capacitas.*

674. Omnes fere rami ſe in truncum inſerunt angulo acuto verſus ramos : Renales autem angulo recto ; multæ venæ cerebri in ſinum , & mammatiæ angulo obtuſo inſeruntur . *Origo ramorum.*

675. Venæ ex partibus variis ſanguinem ceteroſque recipiunt humores . 1. Ex arteriarum extremitatibus per manifeſtiſſimas anaſtomoſes . 2. Ex thalamis , ſeu corporibus cavernoſis partium genitalium . 3. Ex vaſis lymphaticis venoſis , & præcipue ex ductu thoracico , ut omnis lympha rediret in maſſam circulantem . 4. Ex vaſis abſorbentibus , tam ex corporis ambitu , quam ex ejus cavitatibus , quod manifeſte patet in inteſtinis ubi mirabiliter ordinata ſunt vaſcula in villis . 5. Forſan nervorum extremitates ſe quoque in venas exonerant , vel cruentas , vel lymphaticas , ut quidam ſpiritus , & ſuccus nervorum redeant . 6. Ex arteriæ portarum extremitatibus in hepate . 7. Ex finibus arteriæ pulmonalibus in pulmone . 8. Ex ſinubus cerebri , ſi non habeantur pro venis ipſis . *Principia.*

676. In tota vena cava , ejuſque ramis , & venis lymphaticis , inveniuntur pelliculæ tranſverſæ digitalis figuræ , unica , vel binæ , ad ingreſſum præprimis rami venæ in truncum , ita locatæ in cavitate venarum , ut admit- *Valvulæ*

tant humoris fluxum verſus truncum, ſed reditum intercipiant: copioſiores in venis inferioribus, quam ſuperioribus: in venis autem organorum, & vena portarum non inveniuntur: quæ valvula notabilis in vena cava ſupra diaphragma invenitur, ab inventore vocatur *Valvula Euſtachii*. Videntut hæ valvulæ exſtructæ, ut interciperent ſanguinis reditum, & promoverent fluxum in alterno motu muſculari.

Ubi exonerant venæ ſanguinem.

677. Omnis ſanguis a vena cava receptus, tam in trunco ſuperiore, quam inferiore, conducitur in ſinum venoſum, & dextram auriculam cordis, ubi hi trunci ita incedunt, ut directio fluxus ſit in ventriculum dextrum cordis. Itidem ſanguis ex pulmonibus binis ramis ex ſingulo lobo veniens conducitur in ſuccum venoſum, & auriculam ſiniſtram, atque ita in ventriculum cordis ſiniſtrum. Sanguis venæ portarum colligitur in ſinu, ante ingreſſum hepatis.

Venarum diſtributio.

678. In aſſequenda venarum diſtributione Anatomici duplicem ingrediuntur viam, vel ſequuntur ſanguinis curſum a ramis ad truncum, vel contra ſanguinis fluentis directionem ſequuntur diſtributionem a trunco ad ramos, quem ordinem utpote commodiorem in ſequentibus ſervabimus.

Vena cava.

679. Vena cava ex auricula, & ventriculo cordis dextro veniens, antequam in truncum ſuperiorem, & inferiorem ſecedit, incurvatione fere circulari, emittit *Venam Coronariam* cordis, dein truncus ſuperior, & inferior ad omnes partes corporis, exceptis organis chylopoieticis, quibus proſpiciunt rami venæ portarum mittit ramos.

Truncus ſuperior.

680. Ex trunco ſuperiore naſcuntur 1. *Vena Azygos*, ex qua *Intercoſtales*, & *Oeſophageæ*. 2. *Bronchialis*, quæ interdum ex azygo, vel intercoſtalibus provenit, hæc interdum non invenitur ab Anatomicis, etiamſi ſemper adeſſe debeat. 3. *Mediaſtina*. 4. *Diaphragmatica ſuperior*. 5. *Subclavia*.

Subclavia.

681. Ex *Subclavia* utriuſque lateris ſequentes oriuntur venæ. 1. *Jugularis externa*, quæ ad capitis externas partes mittit venas ſpeciali nomine donatas, ut *Frontalis*, *Temporalis* &c. ex loco, quem occupant. 2. *Jugularis interna* mittit venas ad Laryngem, Pharyngem, Linguam (ubi vocatur ſub lingua hærens *Ranina*) aliaſque partes adjacentes, & deſinit in Saccum venæ jugularis dictum ad baſin cranii, in quem ſe exonerant Cerebri Sinus. 3. *Vertebralis*, quæ adſcendens per proceſſus laterales vertebrarum colli, deſinit in ſinus laterales cerebri. 4. *Intercoſtalis ſuperior*, quæ inter duas, vel tres ſuperiores coſtas incedit. 5. *Mammaria*. 6. *Scapularis*. 7. *Muſcularis ſuperior*, & *inferior*. 8. *Axillaris*, hæc per brachium protendens diſpeſcitur in tres ramos, exterior *Cephalica* vocatur, quæ ulterius ad pollicem manus pergit; *Baſilica* vero eſt interior ramus, hæc vena in dextro brachio *Hepatica*, in ſiniſtro autem *Splenica* dicitur: ex concurſu harum binarum media nata vena in cubiti flexura vocatur *Mediana*: ex his denique vena ſupra dorſum manus ad minimum digitum tendens nomen *Salvatellæ* obtinuit.

Truncus inferior.

682. Ex trunco venæ cavæ inferioris ſequentes naſcuntur. 1. *Diaphragmatica*, ſeu *Phrenica inferior*. 2. *Hepatica*. 3. *Renalis*, cujus ſiniſtra dat *Seminalem* ſiniſtram. 4. *Atrabilaria* ad renales capſulas tendens, quæ interdum ex emulgente oritur. 5. *Adipoſa*, præprimis per renum adipem diſperſa. 6. *Seminalis* dextra. 7. *Sacra*, quæ ſæpe duplex. 8. *Iliaca*.

Iliaca vena.

683. Tandem truncus venæ cavæ inferior diſpeſcitur in duas ampliſſimas venas, *Iliacas* dictas, utrumque femur adeuntes ubi ſtatim dividuntur in *Iliacas internas*, & *externas*, quarum in uno pede ſolum perſequemur diſtributionem, quoniam in utroque pede ſibi ſimiles ſunt. Ex hac oritur. 1. *Hypogaſtrica*, quæ ulterius mittit venas ad veſicam, partes genitales, nates, muſculos adjacentes, & anum, ubi dicuntur *Hæmorroidales externæ*. 2. *Epigaſtrica*, *Pudenda*, & *Muſcularis*. 3. *Cruralis*, quæ deſcendit uſque in pedem, ejus ramus circa genu vocatur *Poplytea*, ad ſuram veniens *Suralis*, ſed ad mal-

malleolum internum decurrens *Saphæna* dicitur, & ad pollicem pedis veniens vocatur *Cephalica*.

684. De Vena Portarum hoc loco nunc eſſet agendum, ſed quoniam ejus curſus non facile intelligi poteſt, ſine prævia viſcerum ventris deſcriptione, tamdiu erit omittenda deſcriptio.

CAPUT II.

De Venæ Sectione.

685. PEr Venæ ſectionem, ſeu ſanguinis miſſionem intelligunt Medici, & Chirurgi artificialem ſanguinis evacuationem ex aliqua vena, quæ ſcalpello, ſeu phlebotomo ita artificioſe fuit aperta, ut ſanguis exeat. *Definitio.*

686. Ad hanc operationem, ſi morbus aliam venam non ſuadet, eligimus 1. venam majorem, 2. nudiſſimam, 3. ſubtus non habentem arteriam, vel nervum, vel tendinem, 4. quæ facile ligari poteſt. *Electio venæ.*

687. In promtu poſitis omnibus, quæ ad operationem, & deligationem requiruntur, membrum eſt ita ſtringendum vinculo ſupra faciendam ſectionem in vena, ut intercipiatur ſanguinis fluxus per arteriam, ſed reditus per venam inhibeatur, inde paulo laxius, vel ſtrictius ligandum membrum, donec vena ſub ligatura tumeat. In manu, & pede expedit partem demergere in aqua tepida, vel calida, ut cutis laxetur, & venæ magis tumeant; qualis intumeſcentia quoque promovetur agitatione muſculorum in eodem membro, & frictione ſupra venam ſurſum verſus. *Præparatio operationis.*

688. Supra ita præparatam venam tumentem ponat unius manus pollicem ſub loco incidendo, ut maneat vena in ſitu firmata, dum per ſcalpellum phlebotomum in altera manu inter indicem, & pollicem retentum faciat ſectionem venæ parallelam, vel aliquo modo obliquam, nunquam tranſverſam, duplo longiorem, quam eſt cuſpis ſcalpelli, tam profundam, ut ſuperius latus venæ perſcindat; nam in minori ſectionis profunditate non ſubſequetur ſanguis, & in profundiore latus venæ oppoſitum perſciſſum faciet Ecchymoſin, vel timor erit punctura arteriæ, nervi, vel tendinis. Si adſit cicatrix, locus paulo ſub cicatrice eligendus. Si ſanguis ex ſatis lata plaga non fluit, membrum movendum, adjuvandus fluxus frictione per venam, vinculum vel arctius, vel laxius contrahendum. *Operatio.*

689. Poſt ſufficientem evacuatum ſanguinem, pollice comprimat venam paullo infra aperturam; ſolvat vinculum injectum; abſtergat cum ſpongia madida ſanguinem, applicet ſpleniolum quadratum parvum, vel ſiccum, vel aceto, vel ſpiritu vini madidum; ſupra aperturam, huic imponat alterum majus quadratum; hæc liget faſcia tam arcte, ut valeat claudere aperturam, ſed non ſuffocare circulationem; dein flexum teneat membrum. *Deligatio.*

690. Veteres magis quam hodierni magnum diſcrimen poſuere, ex quanam vena eliceretur ſanguis, ſufficit enim, ut ex alterutro brachio, manu, & pede ducatur ſanguis, vel & interdum frontali, ſi tumeat, & ſi ſine cinctura colli aperiri poſſit. Neque juvat, num ex Baſilica, Hepatica, Splenica, Mediana, Salvatella brachii, vel manus educatur ſanguis, quum omnes hæ eodem trunco arteriæ accipiant ſanguinem, & refundant in eumdem truncum venæ, quod quoque ſentiendum eſt in venis pedum. Sed differentia poni poteſt, in quonam brachio, vel pede inſtituitur venæ ſectio, ut infra conſtabit. *Quales venæ aperiendæ.*

691. An ſine diſcrimine, in quovis morbo particulari, quævis vena aperienda?

Veteres magnum ſelectum facere in morbis particularibus quænam aperiebatur vena, ut non dubitarint Raninam, Temporalem, Jugularem, & penis,

nis, atque canthi oculi, imo in ipſo oculi bulio aperire venam, magnumque ſelectum fecerint, an mediana, baſilica, cephalica, vel quævis alia aperiretur, inque membris ſuperioribus, & inferioribus. Tota autem hæc doctrina, tamquam ſine ullo uſu, poſtea repudiata fuit. Bellinus autem perſpicacitate ingenii ex legibus hydraulicis hanc litem dirimere conatus eſt. Quid vero ſit ſentiendum, his paucis conſtare poteſt.

1. Sanguis arteriæ propellere tenetur ſanguinem in ſocia vena.

2. Sanguis ſociæ venæ remoratur fluxum per arteriam.

3. Sublato ſanguine in vena, liberius, & velocius fluet ſanguis per ſociam arteriam.

4. Major igitur ſanguinis copia fluet per eam arteriam, cujus ſocia vena eſt aperta.

5. Et minor copia fluet per reliquos ramos arteriarum, ab eodem trunco venientes, minueturque impetus in harum orificia, adeo ut, ſi nimis turgeant, permittant regurgitare ſanguinem ex ramis in truncum, ut tranſeat cum ſanguine, qui fertur per arteriam, cujus ſocia vena eſt aperta.

6. Quo ramus alterius arteriæ proprior arteriæ, cujus ſocia vena eſt aperta, eo magis minuitur preſſio ad ejus orificium, & omnium facillime in ea arteria fit regurgitatio, & depletio.

Concluſio. 692. Ex quibus dictis colligere poſſumus, in morbis particularibus ſi minuendus impetus ad aliquam partem, vel regurgitatio, aut depletio ſit facienda, venam proximam eſſe aperiendam, in membris ſuperioribus, aut inferioribus, in hoc vel illo latere; ſed in morbis trunci corporis nullam eſſe differentiam, quænam vena in brachio vel pede aperiatur, ſive accipiatur mediana, baſilica, vel cephalica, quam arteriæ, & venæ truncus ſit unicus, qui in brachium tendit. In morbo autem generali, uti febre inflammatoria, acuta, ardente, nullum ſtatuendum eſt diſcrimen, eligenda eſt vena commodiſſima ad aperiendum.

In quibus morbis aperienda vena. 693. Nimis longum foret, omnes recenſere morbos venæ ſectionem exigentes, & reſpuentes, quare præcipuos delibabimus.

1. In ſanguinis abundantia. 2. In morbis ab impetu majore ſanguinis. 3. In morbis poſt conſuetam ſanguinis evacuationem ſuppreſſam. 4. In morborum inflammatoriorum, acutorum, ardentium principio. 5. In animi perturbatione ſubito inducta. 6. In hæmorrhagiis ex locis periculoſis.

CAPUT III.

De Varice.

Definitio. 694. VEnæ quædam pars, a ſanguine intus contento, inſtar noduli tumens, plerumque in partibus inferioribus corporis, vocatur Varix.

Cauſæ. 695. Generatur Varix in venis, ut Aneuryſma (658) in arteriis, ſed frequentius, ex compreſſo trunco venæ, quoniam venarum latera laxiora; ut a ſcirrho, vel ſtruma glandulæ, venæ adjacentis; fœtu premente iliacas; accumulatione fæcum in inteſtino colo; ſtrictiore ligatura; hepatis obſtructione, liberum ſanguinis fluxum per venam cavam ſurſum impediente; diuturniore erecta corporis poſitura; conſueta ſanguinis evacuatione ſuppreſſa.

Effectus. 696. Varix nata, ut omnes morbi ex prolongatione fibrarum, ſenſim fit major: tandem ex improviſo rupta, ingentem, & non ſine periculo, fundit ſanguinis copiam, atque relinquit ulcus ſanatu difficile. Si parva ſit facile fertur, ſed magis increſcens, ſimul ob tenſionem fit dolens.

Curatio. 697. 1. Si nota ſit varicis cauſa, ea primo tollenda, ſi fieri poſſit: ſi autem tolli non poſſit, ulterius incrementum inhibendum apto ſuſtentaculo externo. 2. Nata Varix adducenda per ligaturam expulſivam, vel tibialia arti-

artificioſe pedibus appropriata, ex pelle canina confecta: membrum locandum in ſitu altiori, ut Varix minus urgeatur ab incumbente ſanguine; adjuvanda contractio fibrarum per applicata *adſtringentia*, & *roborantia*. 3. Si his autem non cedit atque redditur nimis magna, operatione Chirurgica eſt curanda, quæ fit intercipiendo truncum venæ ſub Varice acu curva, filo ceraceo munita, quod filum, interpoſito ſpleniolo, conſtringit venam, ex qua Varix ſanguinem accipit, tunc expreſſo ſanguine ex Varice manebit Varix depleta; ſi autem concretus eſt ſanguis, vel Varix preſſione non poteſt depleri, aperienda eſt, & eximendus ſanguis, dein ut ulcus curanda. Hac methodo etiam curatur Varix rupta.

698. An Varix urenda, ut vult Celſus, vel exſcindenda, ut Paulus?

Quoniam uterque modus eſt truculentus minuſque fidelis, quam præcedens, a veteribus duntaxat excogitatus propter ignorantiam circulationis, & melioris curationis, ab hodiernis non eſt imitandus.

CAPUT IV.

De Hæmorrhoidibus.

699. HÆmorrhoides pro varicis ſpecie haberi poſſunt, cum venæ tumentes circa anum Hæmorrhoides dicantur. Sed & 2. Dolor ad finem inteſtini recti, etiamſi nulla vena tumeat, vocatur etiam Hæmorrhoidum dolor. Atque 3. ex venis harum partium ſanguis profluens vocatur Hemorrhoidum fluxus. Multi 4. quoque omnia tubercula, condylomata, & fiſtulam ani, ſpeciem Hæmorrhoidum faciunt. Nos tantum tres priores ſpecies hoc loco delibabimus. *Definitio.*

700. *Cæcæ* dicuntur hæmorrhoides, quando venæ tumentes, vel externæ, vel internæ inſtar varicum nullum ſanguinem fundunt, vel parum, ſæpe autem materiem mucoſam, vel ichoroſam. *Species.*

2. *Apertæ* autem, ſi ex orificiis venarum nimis dilatatis, vel varicoſis ruptis, ſanguis profluat, quando etiam dicitur Hemorrhoidum fluxus.

3. *Externæ* dicuntur, quæ ſine ani dilatatione videri poſſunt, ſive ſanguinem fundant ſive non.

4. *Internæ* autem, quæ intus in inteſtino recto latent, ſola dilatatione in conſpectum venientes.

5. Hæmorrhoides dolentes interdum ſine ullo tumore obſervantur, dum mucus inteſtini recti acrior huic parti dolorem infert, quemadmodum obſervant, dolores rheumaticos, catarrhales, nephriticos, arthiricos, coxarum in Hæmorrhoides dolentes commutari.

6. Ex magnitudine varicum quoque aliam ſpeciem conſtituunt.

7. Ut, & ex figura tumentium venarum Verrucalis, uvea, mora ficus, ſeu mariſca.

8. Atque ex Indole Cancroſæ, ulceroſæ, dolentes, vel malignæ cenſentur.

701. Quoniam Dolor Hæmorrhoidum æque quam varicoſa intumeſcentia vocatur Hæmorrhoides, tria præprimis organa affecta circa anum inveniuntur. 1. Venæ Hæmorrhoidales in venam portarum ſe exonerantes. 2. Vena Hæmorrhoidalis venæ cavæ, ex Hypogaſtrica veniens, propago (683.) 3. Cryptæ lacunæ, ſeu glandulæ dictæ inteſtini recti mucum fundentes. *In quibus vaſis, & partibus.*

Cauſæ.

702. Quoniam Hæmorrhoidum nomine æque intelligunt ani dolorem, quam tumores varicoſos, cauſæ admodum diverſæ ſunt. 1. Venarum tumor, & ruptio ſanguinem fundens frequentior eſt juvenibus quam adultis, viris quam fœminis, locis calidioribus quam ſeptentrionalibus. Sæpe fit in fœminis gravidis, poſt lochiorum, & menſium ſuppreſſionem, & in vietis, hominibuſque

que melancholicis, poſt abuſum acrium purgantium, præcipue Aloes, & in iis, qui alvo conſtipata laborant. 2. Hæmorrhoidum autem dolor frequentiſſime provenit ex materia acri ad anum depoſita, inficiente mucum, & has cryptas.

Curatio in Cæcis. 703. Ut ſunt ſpecies variæ, ita quoque differunt curationes. Nam ſi habentur Hæmorrhoides cæcæ, tumentes, moleſta inde fit alvi egeſtio, & timor ruptionis, & inſequentis ulceris, ſeu fiſtulæ. Hæc tubercula varices eſſe, non vero condylomata, conſtat, quia livent, & omnis ſanguis exprimi poteſt, relicta quaſi veſicula vacua, quod in aliis tuberculis non obſervatur. Ad has tumentes venas applicanda *adſtringentia reſinoſa*, & ſi pro mineant, ſi fieri poſſit, in cavum ani intromittendæ. Si Hæmorrhoides magis intus latitant, parvum *ſuppoſitorium*, ex ſimilibus confectum, toties indendum ac alvus fuit exonerata. Interdum ita tument, ut his applicatis cum artificiali ſuſtentatione non auſcultent; monent tunc Chirurgi, tumorem varicoſum eſſe *ligandum*, ut prominens pars auferatur; alii ſuadent *abſciſſionem*; alii ſimplicem *pertuſionem*: veteres *uſtionem*: ſed cuncta hæc diſponunt ad fiſtulam ani producendam, quare non niſi urgente malo hæc operatio eſt facienda. Si ablatio fuit facta, locus apertus ad citam *Conſolidationem* eſt deducendus.

In Apertis. 704. Hæmorrhoides apertæ, nimis magnam copiam ſanguinis fundentes, claudendæ ſunt, ſi fiat ex ramis venæ cavæ; ſed ſi fiat ex ramis venæ portarum, una relinquenda aperta, quoniam in his parum valet ſuccenturiata venæ ſectio. Siſtitur manans ſanguis per *Adſtringentia leniora*, & ſi his non auſcultat per *fortiora*.

In dolentibus. 705. Dolent Hæmorrhoides ex cauſis variis, quæ quoque appropriata medicamenta exigunt. Nam 1. ſi ex concitata inflammatione dolent, applicanda ſunt *emollientia anodyna*, *& refrigerantia*, ſemperque procurandum, ut alvus maneat laxa per *antiphlogiſtica alvum laxantia*. 2. Si vero humor acris catarrhoſus huc confluens, id acre eſt eluendum parvo *Emolliente clyſmate*, & applicanda *pinguia anodyna*, quæ etiam in ano indi poſſunt, interim per fonticulos, veſicatoria, vel ſetacea tentanda derivatio ad alia loca, dum ſimul interna contra cognitam acrimoniam propinantur. 3. Si venæ nimis tumentes dolorem inferunt, venæ ſectio eſt inſtituenda, alvus ſervanda laxa *eccoproticis*, & ſi tunc applicatis adſtringentibus reſinoſis (703) non cedunt, una vel altera aperienda, vel hirudo applicanda quæ ſanguinem extrahit.

In exulceratis. 706. Si vero exulcerari incipiunt, ut minentur fiſtulam ani, bis de die, & quoties deponitur alvus, locus eſt *abſtergendus*, & ulcus ad citam *onſolidationem* deducendum.

In Verrucoſis. 707. Quæ admodum prominent inſtar condyli, vel verrucæ (700. n. 7.), pars prominens ligando eſt auferenda ſi fieri poſſit, aliter eſt abſcindenda, in quo caſu fortiſſimum *ſtypticum* eſt applicandum cum artificioſa deligatione; aut *Corrodente* medicamento verruca aut condyloma eſt conſumendum.

Quæſtiones. 708. Cur Hæmorrhoides fluentes curant Melancholiam, & Phrenitidem atrabilariam?

Melancholia hæc, & Phrenitis ab eadem cauſa generantur, ſunt ſolummodo vehementia differentes, ut Phrenitis hic denotet validum delirium. Cauſa utriuſque eſt materia atrabilaria ad cerebrum delata, & quoniam proventus hujus ſeu ſcaturigo eſt in vena portarum, hujus ſanguinis evacuatio, quæ optime fit per hæmorrhoidales venas, tollens materiem melancholicam, egregie minuit hujus materiæ effectus, nempe Melancholiam, & Phrenitidem.

709. Cur ex Hæmorrhoidibus ſuppreſſis ſæpe Melancholia, & hepatis obſtructio?

Sanguis lentus, & tenax venæ portarum, qui ſolebat per venas hæmorrhoi-

rhoidales evacuari, ſi retinetur, ad anguſtias arteriæ portarum hepatis delatus, hepar facile obſtruit: vel diutius retentus, liqueſcens in humorem atrabilarium, ſanguini venæ cavæ traditus, generat Melancholiam.

710. Cur melius in curatione unam ſervare apertam, quam omnes conſolidare Hæmorrhoides, & inſtituere ſuccenturiatam venæ ſectionem?

Sanguis Hæmorrhoidum frequentiſſime fluit ex ramis venæ portarum, ſi hoc fluxu homo liberatur ab aliquo morbo, eo ſuppreſſo, in morbum ex materia melancholica ſuppreſſa incidit, quæ evacuari nequit per venæ ſectionem, qua ex ſola vena cava evacuatur ſanguis, in quo ſanguine non hæret vitium.

711. In quo caſu hirudines applicandæ?

Hirudines ſolummodo applicantur, ut extrahant ſanguinem, uti fit per venæ ſectionem, ſed venæ ſectio, ſi fieri poteſt, ſemper eſt præferenda: ſi vero venæ ſectio fieri non poteſt, aut æger eam ſectionem non admittit, hirudo ad aliquam venam applicari poteſt, præcipue ad venas hæmorrhoidales tumentes, ſi inferant ſua intumeſcentia dolorem: aut quando ex venis hæmorrhoidalibus eliciendus eſt ſanguis, id commodius per hirudines quam ſectionem fieri poteſt.

712. Quales Hæmorrhoides curant pleuritidem, peripneumoniam, & furunculos?

Qui laboravit diu hæmorrhoidum fluxu, eo autem ſuppreſſo in hujuſmodi morbos incidit, tali in homine ſi provocatur hæmorrhoidum fluxus, vel applicantur hirudines ad venas hæmorrhoidales, ab iſtis morbis liberatur, evacuato ſanguine, qui continet materiem, hos morbos inferentem; in hoc caſu parum juvat venæ ſectio in vena cava, quoniam non educit illum ſanguinem infectum.

713. Cur ex copioſiore fluxu Hæmorrhoidum generatur Cachexia, & Hydrops?

Qui obſervaverunt, tantum boni adferri Hæmorrhoidum fluxu, exiſtimarunt, ex nimia hac evacuatione fieri poſſe aliquid mali, ſed experientia conſtat, homines inde fieri tandem Cachecticos, & Hydropicos, quoniam hac evacuatione tanta demitur ſanguinis quantitas, ut dein, ex æquilibrio deſtructo, humores, vel ſponte corrupti generent Cachexiam, vel liqueſcentes forment Hydropem.

714. An hirudines ſunt applicandæ, ſi Hemorrhoides non tument?

Si vena portarum abundantia ſanguinis laborat, tumere ſolent, unde raro ex uſu eſt, per hirudines extrahere ſanguinem, ſi non tument. Atque ſi non tument, difficile eſt detegere ramum in venam portarum deſinentem, quare applicatio hirudinum incertum exitum habet.

715. Qualis evacuatur ſanguis ex Hæmorrhoidibus?

Quoniam in vena portarum, ut alibi demonſtratum eſt, ſanguis nigrior, lentior, magiſque concretus hæret, ille evacuatus ex venis hæmorrhoidalibus, aliam indolem, & conſiſtentiam præbet, quam qui evacuatur ex venis venæ cavæ.

716. Cur Hæmorrhoides frequentes alvo adſtricta laborantibus?

Quoniam alvi excrementa dura, & compacta, comprimentia venas ſe in venam portarum exonerantes, faciunt, ut venæ circa anum ſe evacuare non potentes, & minus ſuſtentatæ, tumeant.

717. An omne album, quod in Hæmorrhoidibus ex ano evacuatur, eſt pus?

Hoc multi exiſtimarunt, ex ſimilitudine coloris, & conſiſtentiæ, unde ſuſpicati fuere, latitare ulcus, vel fiſtulam: ſed ſæpe exprimitur mucus naturalis copioſior ex inteſtino craſſo, quod ſedulo eſt ergo diſtinguendum.

718. An aloe Hæmorrhoides provocat, dum applicata conſolidat?

Si inhibetur conſolidatio per ſordes adhærentes, & minorem motum, in

ulceribus egregium eſt conſolidans Aloe: ſed eadem virtute ſtimulante, & calefaciente, ſi interne ſumatur, promovet Hæmorrhoidum intumeſcentiam, & dolorem.

CAPUT V.

De Oedemate.

Definitio. 719. ETiamſi Veteres per Oedema quodcunque tumoris genus intellexerint, hodie vero a Medicis, & Chirurgis recipitur pro ſpeciali tumore, & in quadam particulari parte, qui eſt albus, mollis, interdum paulo durior; laxus, vel quandoque rigidior; indolens ſine ſenſus privatione, niſi acrimonia, vel nimia tenſio dolorem inferat; gravis, frigidus, impreſſum veſtigium diu ſervans; ſenſim creſcens; permanens, vel abeuns, & redeuns.

Humor contentus. 720. Cuncta hæc phænomena probant, humorem viſcidum, ſeu pituitoſum eſſe collectum in ea parte, cujus partes ſolidæ ſunt laxiores, & minori motu vitali præditæ, atque illum humorem integre occluſum hærere, vel aliquomodo ſervare communem circulationem.

Pars affecta. 721. Duo genera præprimis vaſorum ab hoc abundanti humore occupantur. 1. Tunica celluloſa, ſed, quoniam cutis ipſa quoque tumet, & pallet, 2. vaſa arterioſa, & venoſa lymphatica hac pituita quoque turgent.

Cauſæ. 722. Oedematis cauſæ ad hæc generalia reduci poſſunt: 1. quæ reditum lymphæ intercipiunt, ut anguſtatio venæ, vel vaſorum Lymphaticorum. 2. nimia viſciditas humorum. 3. laxitas, ſeu atonia partis. 4. motus vitalis debilior. Quare frequentius in partibus inferioribus; pueris, ſenibus feminis; poſt longos morbos; febrem quartanam; chloroſim; menſium ſuppreſſionem; evacuationem copioſiorem; ſanguinis profluvium, vel miſſionem frequentiorem: podagram toleratam; ex abuſu ſpirituoſorum, vel aquoſorum, & refrigerantium; corporis nimia quiete; morbis pectoris, aliiſque morbis debilitatem inducentibus.

Differentia ab aliis tumoribus. 723. His propriis ſignis diſtinguitur a congeneribus tumoribus. Uti gravitate ab Empneumatoſi; colore ab Emphyſemate; indolentia, & pallore a Phlegmone; foveis relictis a Scirrho, & Struma.

Exitus. 724. Natum Oedema diu perſiſtere ſolet, feliciter diſcutitur: interdum diſcuſſo tenuiore abit in Indurationem: ſed pituita corrumpens commutatur in putrilaginem, ulcus ſordidum, ſphacelum: rarum eſt, ſi tranſit in ſuppurationem.

Cubatio. 725. In Curatione attendendum ad cauſas: nam ſi fiat 1. ab anguſtata vena, inventa cauſa eſt tollenda. 2. Nimia viſciditas eſt reſolvenda calore artificiali *ſtimulantibus*, *calefacientibus*, *frictionibus*. 3. Laxitas curanda *roborantibus*, *adſtringentibus*, & moderata ſuſtentatione partium. 4. Motus vitalis languidior adjuvandus altiori locatione partis, *ſtimulantibus*, *moventibus*, *roborantibus*. Atque in cauſis conjunctis, quod ſæpe fit, dicta auxilia ſunt conjungenda, in uſu horum diu continuandum, ne faciat recidivam.

Quæſtiones. 726. Cur gravidæ ſæpe tentantur pedum Oedemate?

Experientia conſtat, multas gravidas affici Oedemate, & Varicibus pedis, &, ſi hoc tempore, vel ſponte, vel poſt læſionem naſcuntur ulcera, hæc ſolent difficulter conſolidari, hoc non eſt mirandum, quia ſæpe fœtus comprimens venam cavam, impediens liberum ſanguinis reditum ex pedibus, facit, ut in vaſis lymphaticis, & tunica cellulari, quæ ſe exonerant in hanc venam aliquomodo compreſſam, colligatur lympha, faciens tumorem œdematoſum; atque ipſæ venæ inferiores ab impedito ſanguinis reditu diſtentæ Varices formant. Si in hujuſmodi dilatatis vaſis fiat ulcus, ob continuum

ef-

effluxum humoris difficulter ad conſolidationem deducitur. Ne igitur in hujuſmodi gravidis tumeant pedes, partes ſuſtentandæ, vel ligatura expulſiva, vel tibialibus artificioſis.

727. Cur pedes frequentius, quam aliæ partes Oedemate tument?

Nulla pars, ut docet praxis, ſæpius corripitur Oedemate, quam pes. 1. Quoniam humores per vaſa ſunt pellendi actione cordis, & arteriarum, &, quia pedes remotiſſimi ſunt a corde, hujus potentia in propulſione circa pedes maxime evanuit, ut permittat faciliorem ſtagnationem. 2. Omnes liquores, licet agantur in circulum, non tamen ſunt privati legibus gravitatis, quare, cæteris partibus, quum pedes ſint partes inferiores in pedibus præcipue colligi debent.

728. Cur ſpirituoſorum potatores circa finem vitæ plerumque tentantur Oedemate?

Abuſus ſpirituoſorum commune habet cum reliquorum abuſu, ut ſua abundantia obruat vires, & impediat coctionem humorum: ſed quoniam ſimul afficit cerebrum, & ſpiritus, ut conſtat ex temulentia, hujus frequentiore affectione tandem generatur debilitas: itaque naſcitur tandem corpus debile, & cruditatibus ſcatens. Adeoque corpus debilius non ſatis potens propellere humores, & liquores crudi inepti circulationi, facilius ſubſiſtentes, in tunica cellulari & lymphaticis Oedema inferunt.

729. Cur diſcuſſum Oedema vetuſtum ſæpe infert morbos?

Multi experti ſunt, diſcuſſo tumore œdematoſo, aliquem deinceps natum eſſe morbum, quare timent quemcumque œdematoſum tumorem, tam recentem, quam vetuſtum, diſcutere: ſed ſi recens ſit tumor, diſcutiendus humor adhuc bonus, nihil mali infert; ſi vero Oedema ſit vetuſtum, quum humor ſtagnando ſæpe ſit corruptus, ejus diſcuſſio non raro alia poteſt inferre mala.

LIBER V.

CAPUT I.

De Cerebro, & Nervis.

730. UT Oſſa, Arteriæ, & Venæ ſunt partes corporis generales, ita quoque Nervi, qui hoc loco, cum eorum morbis, ſunt pertractandi. Quare ordo exigit de iis jam agere: verum, quoniam vix intelligi poſſunt, ſine præmiſſa cerebri deſcriptione, has partes eodem hoc Capite delibabimus. *Definitio Cerebri.*

731. Per Cerebri nomen non ſemper unicam ſpecialem intelligunt partem; nam 1. plerumque intelligunt omnia contenta Cranii, quæ alias dicuntur *Encephalon*. 2. Alias hac voce Cerebrum, & Cerebellum cum Medulla oblongata complectuntur. 3. Vel duntaxat illam ſolam partem medulloſam extus corticalem, quæ anteriorem ſuperiorem, & lateralem partem cavitatis cranii adimplet, & poſteriore parte finitur Cerebello. Ut intricatum hoc organum multis partibus compoſitum ordine pertractetur, incipiendum erit ab ea parte, quæ primo in conſpectum venit ablato cranio.

732. Statim, ſublato cranio, invenitur quædam membrana firma, & denſa, duabus laminis conſtans, quarum exterior multis vaſis, & ligamentis adhæret cranio, ut patet præcipue, ſi, dimidia cranii parte ſola ſublata, intueamur adhæſionem ſub integra relicta parte. Hæc membrana cingit cerebrum, & cerebellum, & continuatur ſupra medullam ſpinalem, & exeuntes nervos: tenaciſſime adhæret baſi cranii. Extima lamella non cedit a cranio, *Dura mater.*

& eſt aſpera, multaſque arterias habet in ſua præprimis exteriore ſuperficie, quæ cranio foveas imprimunt: interna autem lamella arcte exteriori ubique adhæret, niſi ubi ſunt ſinus, nam receſſu hujus ab exteriore lamina formantur ſinus; interna ſuperficies admodum lævigata eſt: filamenta, quibus formatur, motu particulari donata ſunt. Interna lamina emittit plana membranoſa, quæ dicuntur Cerebri Septa. Arterias habet a carotidibus externis, internis, & vertebralibus, ad motum, nutritionem, & ſecretionem humorum, quæ multis anaſtomoſibus uniuntur. Pauciores habet venas, quam partes aliæ, quum ſinus cerebri loco venarum veniant. Nervi proveniunt ex pari quinto, octavo, & acceſſorio. Lymphatica viſum fugiunt. Quædam quoque in ea deteguntur glandulæ.

Sinus Cerebri. 733. In Cerebro, ſeu potius in Encephalo, ſpecialis ſtructura venarum invenitur, habens figuram priſmaticam, quæ venæ vocantur *Sinus*. Multi hujuſmodi Sinus inveniuntur qui ex loco, vel curſu nomen habent.

Sinus ſagittalis, ſeu *longitudinalis*, ſeu *falcis*, ille eſt, qui parvo principio incipit ab interiore ſuperficie oſſis frontis, inter criſtam galli, & dictum os, ſenſim magnitudine increſcens, arcuatim ſub oſſe frontis, & futura ſagittali poſterius tendit, ſupra dorſum ſepti falciformis, uſque in occiput, qui locus vocatur Torcular Herophili.

Ubi ſenſim latior factus ſinus ſagittalis terminatur, incipiunt duo *Sinus laterales*, recipientes illum allatum ſanguinem, eumque per inflexam viam, cujus fovea in cranio manifeſta eſt, conducunt in ſaccum jugularem utriuſque lateris.

Sinus quartus e regione glandulæ Pinealis incipit, ubi jungitur ſeptum ſagittale ſepto tranſverſali, inde ſurſum poſterius tendens deſinit plerumque in Torcular Herophili, vel ſinum lateralem raro in ſagittalem.

Ad crepidinem inferiorem falcis plerumque decurrit Sinus, qui a quibuſdam pro vena habetur, deſinens in ſinum quartum: hic vocatur *Sinus falcis inferior*.

Præter dictas annumerant Anatomici *Occipitales inferiores*, *Petroſos*, *Tranſverſales inferiores*, & *ſuperiores*, *Cavernoſos Orbitales* & *Circulares ſellæ*, qui ex variis partibus cerebri reducunt ſanguinem per arterias allatum.

Omnes fere venæ oppoſito curſu ſe exonerant in ſinus, ne nimis liber eſſet effluxus ſanguinis.

In ſinu ſagittali quædam inveniuntur chordæ tranſverſæ, quæ dicuntur *Chordæ Villiſii*. Ut retineant latera ſinus, & quaſi pectinent ſanguinem tranſfluentem.

Septa Cerebri. 734. A lamella interna Duræ matris dimittuntur expanſiones membranoſæ, ſe dimittentes inter partes cerebri, quæ vocantur Septa. Primum ex figura vocatur *falciforme*, ſepiens cerebrum in duas partes laterales; Alterum *Tranſverſale* dictum, diſtinguit Cerebrum a Cerebello. Tertium, *Septum poſterius*, vel *occipitale* nominatum, Cerebellum in duas partes laterales ſepit. Septum autem Lucidum, inter anteriores cerebri ventriculos, non eſt ejuſdem originis cum prioribus. Sed inter anteriores, & poſteriores cerebri lobos, quidam aliud ſeptum prioris ſobolis numerant.

Uſus duræ matris. 735. Duræ matris, & earum partium uſus eſt multiplex. (1) Cingere, & munire molle cerebrum, & cerebellum contra cranii duritiem. 2. præbere exeuntibus nervis capſulam firmam munientem, & involucrum medullæ ſpinali. 3. ſuis formatis ſeptis impedire, ne una pars encephali premat alteram. 4. ſinibus ſuis adductum per arterias ſanguinem reducere. 5. ſuo ſecreto ſucco internas partes humectare, & ſervare molles. 6. fibris ſuis motricibus, præter motum generalem vitalem, præbere partibus cerebri motum proprium ad ſecretionem ſpirituum.

Arachnoï- 736. Statim ſub dura matre tenuiſſima invenitur tunica, propterea Arachnoi-

chnoidea vocata, in qua nulla vaſcula huc uſque detecta, flatu elevabilis a ſubjecta, præprimis circa cerebri baſin, cingens totam molem encephali, atque medullam ſpinalem. Quidam hanc pro ſpeciali membrana habent; alii vero pro extima piæ matris habent, quum dura mater quoque ex duabus laminis componatur: denique a quibuſdam pro tunica cellulari habetur. Hoc autem certum eſt, ſulcos cerebri, & cerebelli per fibras harum membranarum colligi, eaſque ſuo interventu cerebri molem ſeparare a dura matre, ut libere moveri poſſit. *dea tunica.*

737. Quæ membrana nudo oculo conſpecta ſub dura matre conſpicitur, ita cingens cerebrum, ut appareat inſtar inteſtinorum convolutorum, & cerebellum inſtar cæpe tunicatæ perſciſſæ, generali nomine vocatur Pia mater: ſubtiliſſimi autem Anatomici hanc in tres laminas diſtinguunt, ut externa ſit Arachnoidea deſcripta; media Cellularis, in qua vaſa majora diſponuntur, ut in panniculo adipoſo ſub cute, antequam cutim adeunt; denique intima, recipiens vaſa perpendiculariter ex dictis majoribus provenientia, quæ impleta, & in aqua ſuſpenſa lanuginem exhibent conſpectui. Hæc membrana firmat, dirigit copioſiſſima illa vaſa, quibus ſcatet pia mater; Lymphatica vaſa, & nervi ob exilitatem in ea non ſunt detecta. *Pia mater.*

738. Maſſa totam Cerebri, & Cerebelli molem cingens, mollis, griſei coloris, ſub pia matre latens, vocatur Cerebri, & Cerebelli Cortex, qui in cerebro, quaſi inteſtinum eſſet, infractuoſe locatus eſt, ſed in Cerebello per ſegmenta ordinata, qui anfractus, & ſegmenta iterum non niſi laceratione nonnullarum fibrarum piæ matris, reſolvi poſſunt in minora majoribus ſimillima, quæ corticalis ſubſtantia non admodum craſſa, ſeu lata videtur congeries vaſorum, ex interna lamina piæ matris dimiſſa, quæ ſecundum Malpighianos congregatur in corpuſcula glanduloſa, ſed ſecundum Ruyſchianos manet plane vaſculoſa. Hoc autem conſtat, in corticali hac ſubſtantia confici ex allato ſanguine ſpiritus, atque iſtos tradi medullæ. *Cortex Cerebri, & Cerebelli.*

739. Ex omni parte Cerebri, & Cerebelli, ubi invenitur Corticalis deſcripta ſubſtantia, habetur quoque origo ſubſtantiæ albicantis, quæ ob ſimilitudinem coloris, & conſiſtentiæ cum medulla oſſium a veteribus dicta fuit *Medulla*. Hanc credunt fere omnes Anatomici conſtare canaliculis cavis, ex cortice provenientibus, quos ſæpe vocant fibras medullares, quamvis injectio Anatomica hos canaliculos implere non potuerit. Horum canaliculorum curſus fit per inflexam viam in cerebro, ut inde formentur ventriculi, & ſæpe etiam faſciculatim procedunt: ſed in Cerebello recta via tendunt in medullam oblongatam. Finis tandem horum canaliculorum eſt principium nervorum. Inter hos canaliculos quædam arteriæ majores decurrunt, ad vitam, & nutritionem in fibris his continuandam. *Medulla Cerebri, & Cerebelli.*

740. Dum ex utroque lobo cerebri medulla concurrit ſub ſepto falciformi, exhibet ad conſpectum, dimotis ad latera lobis cerebri, corpus aliquod albicans, quod ex colore vocarunt veteres Corpus calloſum, in quo Lanciſius fruſtra queſivit animæ ſedem, quum hic non habeatur nervorum origo, ſed quarumdam fibrarum medullarium congregatio. *Corpus Callo-ſum.*

741. Corpus oblongum, albicans, extus plane medullare, dura, & pia matre tectum, intus vero corticale, hærens ad medium baſis cerebri, in medullam ſpinalem continuatum, præbens originem omnibus nervis ex cranio provenientibus, vocatur ab Anatomicis *Medulla oblongata*. Ubi medius faſciculus medullæ Cerebelli jungitur medullæ oblongatæ, facit *protuberantiam annularem*, quam ſæpe vocant *Pontem Varolii*. Superior Cerebelli faſciculus, adeuns medullam oblongatam, format *Nates*, *Teſtes*, & *Valvulam magnam* cerebri. Sed ex tertio faſciculo Cerebelli medullam oblongatam adeunte, formantur in medullæ oblongatæ caudice eminentiæ intus corticales, quæ dicuntur *Corpora Olivaria*, & *Pyramidalia* ex figura. Ex poſteriore lo- *Medulla oblongata.*

bo

bo Cerebri fasciculus fibrarum medullarium anterius tendens, in utroque latere unus, format medullam oblongatam, qui fasciculi vocantur *Crura medullæ oblongatæ*. Qui vero fasciculi ex anteriore lobo Cerebri adeunt medullam oblongatam, extus medullares, intus corticales, vocantur *Thalami nervorum opticorum*. Et quoniam ex eodem lobo oblique accedunt fibræ medullares in medullam oblongatam desinentes, interspersо cortice, hę partes dicuntur *Corpora striata*.

Ventriculi Cerebri. 742. Cerebri *Ventriculi* numerantur quatuor. Duo priores, seu anteriores, seu laterales dicti, in meditullio cerebri hærentes, ad frontem magis a se invicem distantes, horizontali dissectione cerebri detegendi, oblongam habent figuram, interius teguntur tenuissima membrana, quę videtur pię matris propago.

Tertius ventriculus, duobus foraminibus, & rima donatus, est cavitas hærens subter prominentias, nates, & testes dictas; per primum foramen circa fornicis radices admittit liquorem ex ventriculis cerebri anterioribus: per secundum foramen liquorem circa annulares prominentias collectum: per rimam liquorem circa cerebellum collectum; qui collecti humores conducuntur ad infundibulum.

Quartus ventriculus. Ablato cerebro, & dissecto cerebello, inter hoc, & subjectam medullam oblongatam, est cavitas, Ventriculus quartus dictus, qui receptum in encephalo humorem conducit in spinalem medullam: in hoc ventriculo est rima, quæ ex figura vocatur *Calamus scriptorius*.

Vasa. 743. Cerebrum, seu Encephalon omnia genera vasorum habet, & speciale ex his est, quod vocatur *Sinus* (733) & *Plexus*, seu *Rete*. Nam *Arteriæ* nutritioni, & vitę servientes (732) partium in Encephalo, ut alibi in corpore, decurrunt per meninges, & medullam. Sed quæ ex *Carotidibus internis*, & *Vertebralibus* coeunt sub cerebri basi in *Circulum Vvillisii*, dein post infinitas factas anastomoses in cerebri, & cerebelli cortice perpendiculariter dimissis extremitatibus evanescunt. Sed inter cerebri lobum posteriorem, & subjectam medullam oblongatam hæret quidam vasorum plexus ex arteriis, & venis confectus, sæpe posterius inter cerebrum, & cerebellum visui se exhibens, anterius in duas alas veluti expansus, in ventriculis anterioribus se extendens, nominatus *Plexus Choroides*, qui per venam valvulis carentem sanguinem exonerat, vel in sinum quartum, vel in Torcular Herophyli. Alter autem plexus in animalibus, quæ prona vescuntur, major, in homine interdum non conspicuus, ad basin cranii hærens sub dura matre apud sellam Turcicam, vocatur *Rete mirabile*. Etiamsi multi negent Cerebro *Venas*, hodie tamen demonstrant Anatomici, istas æque quam arterias omnia puncta corticis attingere, & resorbere effusum rorem: hæ ut plurimum opposito cursu exonerant sanguinem in sinus. *Vasa* autem *lymphatica* detegere non potuere; analogia tamen dictitat ea adesse. *Nervus* ad partium encephali motum, & vitam continuandum ex colli medulla natus, ingreditur cranium, jungitur pari vago, & distribuitur per encephali contenta.

Cerebellum. 744. Ad posticam encephali partem hæret corpus globosum, cortice, & medulla constans, ut cerebrum, sed sulcis semilunaribus exterius ornatum, quod vocant *Cerebellum*: hoc a cerebro distinguitur per septum transversum, sed medullam suam medullæ oblongatæ confundit tribus distinctis fasciculis (741); fibræ medullares in hoc recta via tendunt.

Reliquæ Encephali partes. 745. Inter duos cerebri anteriores ventriculos (742) ab anteriori ad posteriorem partem distenta membrana tenuis observatur, sepiens hos ventriculos, confecta ex epitheliis ventriculorum, ut pleura format mediastinum, quæ vocatur *Septum lucidum*.

Ad cerebri basin supra sellam Turcicam invenitur productio medullaris, figuram infundibuli habens, unde vocatur *Infundibulum*; hæc productio medullaris,

pia

pia matre obvoluta, multiſque arteriis ornata, recipit per foramen ovale ex anterioribus rorem, quem conducit ad medullam ſpinalem; alii putant deſinere in glandulam pituitariam.

Pinealis glandula, eſt corpuſculum globuloſum, pinealis figuræ, molle, cinerei coloris, inſtar corticis cerebri, intus, & ad baſin medullare, tectum membrana tenuiſſima, piſi magnitudine, hærens ſub parte lata fornicis, ad finem ventriculi tertii, qui anus dicitur, ante prominentias, nates dictas.

Pituitaria glandula magnitudine fere fabæ, vel phaſeoli minoris, hæret, in ſuperiore parte excavata ſellæ, inter duplicaturam duræ matris, quæ hic ſuſpenſa hæret ab eminentiis ſellæ, relinquens aperturam, per quam infundibulum huic glandulæ annectitur; ſubſtantia eſt *ſingularis*, differens a cortice cerebri, & medulla, ſed alba, & tenax; emiſſario *viſibili* caret; videtur ut aliæ glandulæ ſecernere liquorem, minime vero imbibere, ut multi contendunt. Arteriæ veniunt a carotidibus, nervus a quinto pari, vena deſinit in proximum ſinum.

Spinalis medulla.

746. In theca vertebrarum a capite uſque ad finem oſſis ſacri continetur maſſa albicans, quæ eſt continuatio medullæ oblongatæ cerebri, craſſitiem circiter unius digiti habens; intus habet ſubſtantiam inſtar corticis cerebri; in anteriore, & poſteriore parte habet ſcrobem; quo cerebro eſt proprior, eo eſt mollior, ſed ſenſim verſus os ſacrum redditur durior, & fibroſa: quamobrem hæc pars vocatur *Cauda equina*. Tegitur tunicis multis. 1. a pia matre, arachnoidea, & dura matre venientibus. 2. Tunica celluloſa, ligamentoſa, & inſuper theca oſſea. In hac celluloſa continetur pinguedo. Arterias, & venas habet ab adjacentibus.

747. An Cerebri cortex glanduloſus, vel vaſculoſus.

Nemo negat hodie quin totus cortex conſtet vaſculis, & præbeat originem medullæ, ſeu fibris medullaribus, ſed diſputant, num extremitates arteriarum cum vel ſine folliculo glanduloſo deſinant in has fibrillas. Si examinentur omnia experimenta cum cerebro inſtituta, nil niſi aliquid veriſimile pro glanduloſa, & vaſculoſa ſubſtantia reſtat. Si autem ex veriſimilitudine ſit conjiciendum, major veriſimilitudo pro ſententia vaſculoſa, quam glanduloſa eſt, quod nimis longum foret hic adſtruere.

Nervorum origo & numerus.

748. Duplicem poſſumus ſtatuere nervorum originem. 1. ex medulla oblongata. 2. Ex ſpinali medulla; ſeu qui oriuntur ex Encephalo, & qui ex theca vertebrarum veniunt. Omnes nervi ex utroque loco provenientes ſunt continuationes medullæ; quare in ſpinali medulla invenitur cortex intus locatus, & medulla ad baſin cranii, ne exeuntes fibræ medulloſæ in fibras nervorum commutandæ, deberent perforare corticem. Origo fibrarum ex variis fit cerebri plagis, & ut ſubtiliſſimi notarunt Anatomici, ex latere oppoſito; hæ fibræ faſciculatim collectæ egredientes, capſula a meningibus mutuata, corpus nervi conſtituunt. Hi nervi in utroque latere æquali numero oriuntur, quare ſemper intelligimus nervorum par, ſi unum aſſignamus nervum.

Nervi Medullæ oblongatæ.

749. Primus nervus, qui ex medulla oblongata, ſeu tribus faſciculis medulloſis ex anteriore, & inferiore parte cerebri provenit, vocatur *Olfactorius*, veteribus non numeratus, intus habet cavitatem cerebri ventriculis communem, dimittit fibras nervoſas per os cribroſum in membranam pituitariam narium, ubi evaneſcit.

Opticus.

750. Secundum par nervorum, *Opticum* dictum, Veteribus primum, ex medulla Thalami nervorum opticorum venit, ad baſin cranii, hi nervi poſt unionem ſecedentes adeunt bulbum oculi, atque ſua medulla formant tunicam retinam.

Oculorum motorius.

751. Tertium par, ſed Veteribus ſecundum, ex poſtremis, & fere imis lateribus crurum medullæ oblongatæ provenit, poſt introitum in orbita formamat

mat ganglion ex quo emittuntur ſurculi nervoſi ad muſculos, & tunicas bulbi.

Patheticus. 752. Quartum par, ſed a Veteribus omiſſum, Patheticum dictum, triplici ſurculo infra teſtiformes protuberantias natum gracile admodum, intrat cum oculorum motorio foveam oſſeam, & terminatur in trochleari muſculo.

Guſtatorius. 753. Quintum par, Veteribus autem tertium, a lateribus proceſſus annularis oritur, partim fibris mollibus ſenſui deſtinatis, partim durioribus motui famulantibus; poſt originem in tres nervos ſuccedit; ſuperior vocatur *Ophthalmicus*, tendens in omnia integumenta circa oculum, & faciem. Alter ramus vocatur *Maxillaris ſuperior*, quoniam per foramen rotundum e cranio egreſſus in omnes partes hujus maxillæ diſtribuitur; unitur etiam pari ſexto ad formandum par intercoſtale; & cum ſeptimo ad faciendam chordam tympani. Tertius ramus *Maxillaris inferior* dicitur, egreditur foramen ovale cranii, adit omnes partes maxillæ inferioris, & præcipue linguam, cui præbet organum guſtatorium.

Abducens. 754. Abducens nervus par ſextum eſt, at Veteribus quartum, a margine inferiore proceſſus annularis circa corpora pyramidalia proveniens, egreditur cum nervis tertii, & quarti paris e cranio; ramulus unit us nervo quinti paris principium nervi intercoſtalis facit; reliquus nervus ten dit in muſculum abductorium oculi.

Auditorius. 755. Auditorius mollis, & durus, ſeptimum eſt par, ſed Veteribus quintum. Portio dura ab inferiore interiore annularis protuberantiæ parte oritur: mollis autem, quæ craſſior eſt, & foveam veluti impreſſam habet a portione dura, provenit circa ſcrobem, ſeu quartum ventriculum, ex medulla oblongata. Uniti nervi intrant foramen oſſis pretioſi; mollis tendit ad apicem cochleæ, & ad veſtibulum labyrinthi: durior autem pergit per inflexum dein canalem, ut ex cranio exeat per foramen inter proceſſum ſtyloidem, & mammillarem, ubi inſtar pedis anſerini expanditur.

Vagus. 756. Par nervorum octavum, olim ſextum, multis faſciculis fibrarum medulloſarum ex medulla oblongata ſub adjutorio, emergit: jungitur nervo acceſſorio: exit per foramen cranii, per quod exit ſinus lateralis cerebri. Statim poſt exitum, concurrentibus nervis ab intercoſtalibus, format in collo duo ganglia, quæ dicuntur *Corpora olivaria Falloppii*: dein ulterius per pectus, & ventrem pergens præbet omnibus his partibus nervos. Qui nervi ex plexibus in pectore proveniunt, & ſurſum ad fauces tendunt, dicuntur *Nervi recurrentes*.

Linguaſis. 757. Par nonum, olim ſeptimum, ex ea parte medullę oblongatæ multis fibris oritur, quæ diſtinguit corpora olivaria, & pyramidalia, per ſpeciale foramen cranii egreſſum, junctum pari vago, ſurculum notabilem mittit ad linguam, unde accepit nomen.

Par decimum. 758. Par decimum Vvilliſii, ex anteriore, & poſteriore parte medullę oblongatæ proveniens, exiens inter primam, & ſecundam colli vertebram, potius ad ſpinæ nervos eſt referendum, & *Cervicale* vocandum.

Spinalis medullæ nervi. 759. Omnes nervi ex ſpinali medulla provenientes magis diſtinctis fibris a medulla ſecedunt, quam qui a medulla oblongata proveniunt: hi nervi faſciculatim collecti tranſeunt per foramina vertebrarum, quare tot ſunt paria nervorum, quot ſunt vertebræ, & foramina in oſſe ſacro, ſi par decimum medullæ oblongatæ ſimul recenſeatur: nam *Nervus acceſſorius Vvilliſii* a tertio, vel quarto pari ex collo veniens, per magnum foramen cranii encephalon intrans, non auget numerum nervorum, ex ſpina provenientium. Quare ex Collo prodeunt octo paria; ex Dorſo duodecim paria, ex Lumbis quinque paria, & ex Oſſe ſacro totidem.

Nervorum fabrica. 760. Canaliculi medullares a medulla oblongata ex cranio, & ſpinali ex the-

theca vertebrarum faſciculatim exeuntes, atque in exitu vaginam ſeu capſulam accipientes, & ita ad omnes corporis partes tendentes, plerumque in itinere unionem facientes deſtinati ad ſenſum, & motum faciendum in corpore, dicuntur Nervi. Hi nervi quia conſtant 1. fibris medullaribus; 2. Capſulis has fibras cingentibus, & munientibus; 3. Liquore circulante in cavitatulis dictarum fibrillarum medullarium, qui vocatur ſpiritus; 4. Liquore inter fibras reperto, a ſolis capſulis coercito, qui vocari poteſt ſuccus nervorum. Et quoniam 5. nervi in itinere ſæpe conjunguntur, ubi faciunt quædam corpora olivaria, quæ dicuntur Ganglia, hæc ultimo loco ſunt examinanda.

Fibrarum medullo-ſarum origo.

761. Fibræ medullares Cerebri, & Cerebelli diſtinctis originibus ab harum partium cortice provenientes, in medulla oblongata collectæ, inde faſciculatim exeuntes formant nervos, quæ fibræ licet collectæ, non tamen ita confunduntur, ut non manerent diſtincti canaliculi ab origine; donec deſinunt in organa, ubi operantur, ut patet 1. ex earum diſtincta origine, & progreſſu, dum adhuc ſolitariæ: 2. ex vaſis arterioſis intercurrentibus; 3. uſu definito ſentiendi, & movendi.

Canaliculos apertos eſſe.

762. Has fibras intus cavas eſſe, & tranſmittere liquorem, quamvis viſibiles non præbeant cavitates, ex his conjicimus. 1. quia totus cortex vaſculoſus impenditur medullæ. 2. Ex analogia cum aliis organis ſecretoriis. 3. Ex copia magna, & indole ſanguinis delati ad encephalon. 4. Ex ſanguinis difficiliori reditu per venas cerebri. 5. Ex canaliculorum horum incremento dum totum creſcit corpus.

Numerus.

763. Quantus ſit medulloſarum fibrarum numerus, facile conjicitur; 1. magna mole cerebri, & cerebelli; 2. numero vaſorum arterioſorum, in tomentum abeuntium; 3. punctis diſtinctis quibus ſentimus, & partibus diverſis, quæ ſolitariæ moveri poſſunt.

Finis.

764. Varius eſt harum fibrarum finis; 1. in organis ſenſuum inſtar pulpæ; 2. in organo tactus cum arteriis, & venis papillas formant; 3. in muſculis attingentes fibræ evaneſcere videntur, adeo ut determinari nequeat, num fibræ muſculares ex iis formentur, num vero has ſolummodo adeant; 4. multis in locis inſtar membranæ expanduntur, & ita deſinunt, aut oculo amplius aſſequi non poſſumus.

Tunicæ.

765. Fibræ medullares, quæ hucuſque fuere pulpoſæ, ex encephalo, vel theca vertebrarum exeuntes, capſula, ſeu involucro ſatis duro muniuntur, ne lædi, vel comprimi potuiſſent in itinere, ſed ad organa venientes, iſtud iterum involucrum deponunt, quod a dura, & pia matre erat acquiſitum.

Spirituum quantitas.

766. Spirituum per cavitatulas fibrillarum fluentium quantitatem magnam eſſe facile colligitur; 1. tota medulloſa cerebri, & cerebelli moles in has fibras nervoſas abit. 2. Nervi nodoſi, laxi, diverſimode currentes tamen prompte operantur. 3. ablato cerebro, vel cerebello, eorum nervorum ex his partibus venientium actio omnis ceſſat. 4. Omnis actio nervorum ceſſat ſi ligentur. 5. Si concipiantur canaliculi nervoſi pro emunctoriis aliorum organorum ſecretorium. His ſi addantur quæ ſuperius (763) pro magno numero fibrillarum adduximus, facile conſtat, quotidie ingentem copiam ſpirituum ſecerni, & ferri per nervos ad organa.

Æqualis confectio.

767. Hos ſpiritus æquabili fluxu ferri per cava fibrillarum, ex ſequentibus conſtare poteſt. 1. Sanguinis inæqualis propulſio ex corde obtunditur canalibus duris cranii, per quos ire debet. 2. ſi quædam adhuc reſtaret, deſtrueretur frequenti ſanguinis concurſu in anaſtomoſibus. 3. Continuari non poteſt arteriarum pulſatio in encephalo, quum arteriæ amittant ſolitam pulſantem tunicam. 4. Totum encephalon a cranio duro, & firmo munitum eſt. 5. Nulla hic mutatio ab actione muſculari, & vario incremento pinguedinis. 6. fluxus fit per canales anguſtiſſimos.

Tardus fluxus. 768. Hunc autem fluxum tardum esse, sequentia adstruunt, 1. Amisit sanguis fere omnem impetum a corde susceptum. 2. Tunicæ arteriarum in cerebro sanguinem propellentes multo tenuiores quam alibi in corpore. 3. Multo frequentior concursus sanguinis per directiones oppositas in encephalo quam in aliis partibus corporis. 4. Fluxus fit per exilissimos canales, quorum latera remorantur liquoris transitum.

Tenuitas. 769. Spiritus tenuissimos esse, sequentia comprobant. 1. Arteriæ encephali ita impleri possunt, ut tomentum referant, sed materia injecta non ingreditur canaliculos nervosos. 2. Ipsi canaliculi sunt tamen exiles, ut seorsim videri nequeant, per quorum tamen cavitates hi spiritus fluere debent. 3. Nervus transverse abscissus, microscopio conspectus, nullas cavitates visui exhibet. 4. Nervus ligatus propter accumulationem spirituum supra ligaturam non tumet. 5. Spiritus ipsi omnem visum fugiunt. 6. Fluunt per nervos Insectorum, quorum corpora non microscopio videri possunt. Horum tamen spirituum fluxu absolvuntur omnes motus, & sensus in corporibus viventibus.

Succus nervorum. 770. Qui liquor in capsulis nervorum hæret, soboles videtur istius succi, qui inter meninges, & in ventriculis cerebri secernitur, ex arteriarum extremitatibus, quæ distribuuntur per cellulosam tunicam nervi, & hoc fit præcipue in gangliis, qui humor ad nutritionem, & vitam fibrarum nervosarum est destinatus, ut alibi in corpore in interstitiis membranarum. Hujus succi nervosi vitia, quum hæreat in eodem nervo, sed inter fibrillas, utplurimum præpostere adscribuntur spiritibus. Hic quoque extillans gelatinosus ex nervo sauciato a multis pro spiritibus fuit habitus.

Exitus humorum. 771. Humores spiritus vocati cavitatulis recepti feruntur omnes ad fines horum canaliculorum, ubi absoluto munere redire debent pro maxima parte, ut novam præbeant materiem spiritibus. Qui tendunt ad musculos, inde referri videntur per continuata vasa lymphatica. Tendentes ad organa sensuum, ut in bulbum oculi, & labyrinthum auris, videntur primo præbere liquorem pellucidum, & dein absorberi, ut redeant cum lympha. Adeuntes glandulas, permisceri videntur vel lymphæ glandulas transeunti, vel succo a glandulis secreto. Ad papillas delati effundi videntur, ut ibi functo munere deinceps resorbeantur; sed tali modo ad cutim delati sub perspirationis insensibilis forma evanescunt. Hoc etiam sentiendum est de altero succo sola capsula nervi coercito, nisi quod hi humores ubique, & præcipue in gangliis nervorum, secernantur ex extremis arteriarum, etiam ubique ab absorbentibus venosis recipiantur, ut reddantur lymphæ, vel sanguini circulanti.

Ganglia. 772. In omnibus nervis, qui extra encephalon tendentes per corpus disperguntur, ubi inter se junguntur, vel surculos nervosos emittunt, inveniuntur corpuscula; plerumque ovalis figuræ, duriuscula, carnei coloris, quasi trunco nervi circumcreta, exterius veluti capsula tecta, habentia in medio veluti nucleum, qui digitorum compressione, & agitatione aliquomodo moveri potest: hæc corpuscula Anatomici vocant *Ganglia*, & quando ex tali ganglio multi disperguntur nervi, ut quasi rete faciant, eam expansionem vocant *Plexum*: interdum vero idem utraque nomina designant.

Ganglion adeuntes nervi. 773. Non solum canaliculi nervosi istius nervi, cui circumpositum est ganglion, meditullium fibrarum parellele currentium, formant, sed alii adeuntes a lateribus nervi suos canaliculos medullosos huic jungunt, ut constituant meditullium ganglii medullosum, & fibrosum, distinctis, minime confusis fibris constans. Quidam de canaliculis his adeuntibus non conjunguntur meditullio, sed in latera, seu capsulam ganglii evanescunt, ut præbeant capsulis motum vitalem.

Exeuntes nervi. 774. Simili modo ac intrarunt nervi ganglion, ita quoque exeunt per a-

xin,

xin, & ad latera ſæpe multis & diverſis ſurculis nervoſis, qui mutuant capſulam a ganglio: quidam canaliculi medullares exeuntes in latera capſulæ nervi evaneſcunt, ad eumdem uſum, ut priores in capſulam ganglii. Omnes hi nervi prope ganglion craſſiores ſunt, quam ſi aliquantulum a ganglio receſſerunt.

Capſula ganglii.

775. Externum ganglii involucrum ſatis firmum, & durum eſt, exterio-ri involucro nervorum commune, & continuatum, ſed craſſius, & coloris carnei magis, conſtans fibris albicantibus, & rubentibus admodum intricato curſu reptantibus, uti in dura matre. Huic ſubjacet quædam celluloſa, quæ permittit nucleum ganglii in exteriore capſula aliquomodo moveri. Dein ſequitur alia canaliculis nervoſis tenaciſſime adhærens, ut pia mater cortici cerebri; hæc non ſolum cingit canaliculos, ſed & ſe immiſcet canaliculis nervoſis, ut ita uniti conſtituant faſciculum colligatum; & cohærentem. Inter hanc & exteriorem invenitur liquor gelatinoſus, & roridus, uti ſub dura matre, qui humor in cellulis tunicæ celluloſæ colligitur, & ſuccus nervorum vocari poteſt.

Melitullium.

776. Conſtat ergo ganglii meditullium ex canaliculis medulloſis nervorum involucro, quod videtur piæ matris propago, inter ſe nexis.

Vaſa.

777. Arteriæ, & venæ, atque lymphatica hæc ganglia adeunt a partibus adjacentibus provenientia, quæ cruenta in majoribus gangliis viſui patent, & ganglio præbent rubrum colorem, hæc vaſa inde ulterius per capſulas adeuntium, & exeuntium nervorum diſtribuuntur, ſenſim vero graciliora facta.

778. Qui nervi gangliis donati, & qui iis carent?

Omnes nervi qui extra encephalon feruntur gangliis donantur, immo nervus tertii paris oculus motorius dictus, priuſquam muſculos, & bulbum oculi adit, format ganglion, ſed in olfactorio, optico, & auditorio non invenitur ganglion.

779. An ſpiritus nervorum ſpiritibus plantarum, vel fermentatis, comparandi, quia his refocillamur?

Spiritus plantarum ab his multum diſtant, cum unicuique plantæ ſunt ſpeciales; non omnia animalia iis utuntur; atque nervis applicati dolorem movent. Atque ſpiritus fermentati non fiunt ſine prævia fermentatione; non omnia aſſumpta fermentationi apta; nulla arte ex cerebro, vel nervo colligi poſſunt; applicati dolorem movent, & nervos contrahendo in callum convertunt.

780. An ſenſus propagatur motu tremulo nervi ab organo ſentiente ad ſenſorium?

Multa huic ſententiæ obſtant. Fibræ ſunt pulpoſæ, ſibi mutuo contiguæ; laxæ; inflexam viam currentes; tenſæ manere nequeunt in varia flexura membrorum; partibus mollibus cinctæ; tranſeuntes per ganglia; quæ omnia, & plura alia in nervis detegenda ſuffocarent concitatum motum tremulum.

781. An ſenſus perceptio a fluxu ſpirituum ab organo ſentiente verſus ſenſorium?

Ita non attendenti videtur, quum actio prima ſenſus fiat in organo, & dein feratur ad ſenſorium: ſed obſtat naturalis ſpirituum ſecretio in encephalo, & inde delatio per nervum ad organum ſenſus: obſtat etiam ſpiritus non generari in organis, & ferri ad cerebrum, ſed contrario modo. Verum ſi per canaliculum plenum æqualis habetur fluxus, quamprimum ejus tranſitus turbatur, ſtatim etiam ad principium influens generatur mutatio, quæ a mente percepta ſentiri dicitur. Quare non opus ut fluant ſpiritus ad cerebrum, ad ſenſus actionem propagandam.

782. An ſenſus per ſuccum nervoſum? 770.

Hic ſuccus, quia continetur in communi capſula, quia in itinere, & gangliis ſecernitur, quia non communicat cum principiis nervorum, diſtinctum ſenſum præſtare nequit. Sed requiritur liquor canaliculis diſtinctis fluens, quales ſunt ſpiritus nervorum.

783. An nervus tranſverſe abſciſſus nullum ſtillans liquorem probat nullos fluere ſpiritus per canaliculos?

Omnes liquores fluentes per canaliculos capillares continuos ceſſant fluere abrupto canaliculo, ut patet ab abſciſſis pedunculis fructuum; quare ex hoc experimento pro abſentia ſpirituum fluentium nihil concludi poteſt.

784. An nervus ligatus ſupra ligaturam non tumens inſtar arteriarum probat nullos perfluere ſpiritus?

In canalibus firmis, vel involucro firmo munitis per ligaturam injectam, nulla fit ſupra ligaturam intumeſcentia, ut patet in truncis plantarum; ita etiam in nervis. Sed quod venæ, & arteriæ tumeant, provenit inde, quum latera patiantur diſtendi ab interno implente liquore, quod in nervis non obtinet.

785. An intumeſcentia nervi ligati in junioribus animalibus comprobat ſpirituum transfluxum?

Quum in ſuperiore experimento conſtet in adultis nullam fieri intumeſcentiam ſupra ligaturam, ſed eam fieri in junioribus, id eſt laxitati dilatabili involucrorum adſcribendum. Sed quoniam per nervum non ſolum fluunt ſpiritus, ſed etiam per interſtitia fibrillarum ſuccus nervorum, & per vaſcula capſulæ ſanguis, vel inde derivata lympha, incerta remanet probatio pro ſpiritibus fluentibus.

786. An liquor ſtillans ex ſauciato nervo, vel tendine eſt ſpiritus?

Quoniam æque ſtillat ex pertuſa capſula tendinis, quam nervi, humorque eſt gelatinoſus qualis in articulis etiam invenitur, veriſimilius erit credere ex nervis ſtillantem eſſe ſuccum nervoſum; & ex tendinibus liquorem eſſe, qui tendines oblinit, ne terantur ad latera vaginæ, in qua tranſit tendo.

787. Cur cerebrum propugnaculo oſſeo munitum?

Ne cauſis externis cerebrum molle eſſet expoſitum; ut haberet æqualem influxum, & effluxum humorum, quod fieri debet in vaſo firmo, & pleno; ne actione muſculari in ſua ſede turbaretur.

788. Per quas vias tranſſudat cera arteriis carotidibus injecta in ſinus cerebri?

Quoniam per ramum arteriæ carotidis, qui diſtribuitur per duram matrem via eſt patentior, quam qui rami in cerebri ſubſtantiam ſe immergunt per has arterias deſinentes in ſuas venas, quæ deſinunt in ſinus cerebri, ſatis facile tranſmitti poteſt cera injecta.

789. Num totum corpus conſtat fibris nervoſis?

Totum corpus gaudere nervis, ſenſu, & motu adſtruitur, ſed inde non conſtat ex ſolis conſtare, obſtat enim mollitudo nervi, qui munimento eget, atque inveniuntur multæ fibræ omni ſenſu carentes. Quare ſatius ſtatuere totum corpus conſtare ſtamine quodam firmo, quo nervi, & reliqua vaſa firmantur, ordine ſervantur, & muniuntur, ex quo ſtamine etiam excreſcere videntur Epidermis, epithelium, ungues, & pili.

790. Cur nervi molles in origine, & fine, at in itinere duri?

In hoc loco intelliguntur canaliculi medulloſi nervorum, qui in medulla cerebri, in fundo oculi, & labyrintho auris ſunt molles. Quibus conſtat ipſos canaliculos præprimis ad ſenſum deſtinatos per ſe molles eſſe. Sed qui ad motum deſtinati ſunt, paulo duriores inveniuntur, ſed duritiem eam quam in nervis per corpus diſperſis detegimus, a capſula nervorum dura habent.

791. An in omnibus extremitatibus arteriarum, ut in cerebro ſecernuntur ſpiritus?

Si lymphæ ſecretio habeatur pro ſpirituum ſecretione, ex arteriarum extremis fieret ubique ſecretio; ſed ſi veram intelligamus ſpirituum ſecretionem, ea fit in encephalo, & forſan in medulla ſpinali; ſed non in omnibus arteriarum extremis. 1. Quoniam ad ſpecialem ſecretionem ſpecialis requiritur actio, & organum. 2. Quia ab eo loco deberent oriri nervi.

792. An nutritius humor fertur per nervos, quia nervo deſtructo perit nutritio ejus partis?

Idem quoque eſſet ſtatuendum de arteriis, nam iis ligatis perit nutritio quoque partis: inde ſentiendum ad nutritionem non ſolum ſufficere allationem materiæ, ſed & motum, qui efficitur per nervum, requiri.

793. An conſtrictione fibrarum nervoſarum motus muſculorum?

Hoc ſtatuere velle, has habet difficultates. 1. Fibræ ſunt molles. 2. Recta via non tendunt. 3. Nimium in itinere paterentur attritum. 4. Aſſignanda iterum eſſet cauſa fibram trahens.

794. An ſpiritus ſunt de eſſentia lucis; quia tam promte operantur; oculi in ſanis ſunt pellucidi; & ſcintillantes in delirantibus?

Adducta argumenta nihil adſtruunt pro eſſentia lucis in ſpiritibus. Nam prompta operatio non demonſtrat celerrimum materiæ tranſitum ab organo ſentiente ad ſenſorium, cum in canali pleno cum æquabili fluxu, ſtatim in principio influxus habeatur mutatio, quamprimum ad finem ſiſtitur transfluxus pelluciditas oculorum non dependet a luce in ſanis, ſed a purirate humorum, & corneæ, & quia cornea pellucida admodum eſt tenſa. Scintillantes videntur delirantibus, quando retina oculi valide agitatur.

795. An ſpiritus ex Nitro aereo, quod inſpirando recipitur a pulmonibus, miſcetur ſanguini, & fertur ad cerebrum?

Hoc adſtruunt multis argumentis, quæ paucis verbis deſtrui poſſunt. 1. Quia in majore muſculorum motu, profundior, & frequentior reſpiratio fit ad recipiendum nitro-aereum. Verum in exercitiis celerior circulatio per pulmones; & major copia ſanguinis requiſita ad cerebrum, ut ex eo ſecernantur ſpiritus, concitatiorem reſpirationem exigit. 2. Quia muſculorum motus eſt peragendus efferveſcentia inter nitro-aereum, & ſalino-ſulphureum ſanguinis. Neque ea principia in ſanguine ſunt detecta, neque per efferveſcentiam peragitur motus muſcularis. 3. Quia ſunt particulæ mobiliſſimæ, & admodum elaſticæ. Quaſi omne mobiliſſimum, & elaſticum faceret motum muſcularem, quod contrarium patet in alcohole, neque nitru aerei natura eſt cognita, quum hucuſque a nemine potuit pertractari. 4. Quia volatilia, nullum veſtigium relinquentia. Hoc etiam verum in alcohole, & camphora, quæ propterea non faciunt ſpiritus; quod nitrum aereum nullum veſtigium relinquat, facile concipitur, quoniam eſt mera hypotheſis in rerum natura non exiſtens. 5. Quia omnia animalia moriuntur in vacuo ex defectu nitro-aerei. Verum eſt animalia non ſolum in vacuo perire, ſed etiam in aere renovato; ſed hoc fieri defectu nitro-aerei, hucuſque experimentis non eſt firmatum. 5. Quoniam pulmonis affectiones debilitant. Probat quidem hoc experimentum præcipuum eſſe præparationis organum, cujus affectione homo debilitatur, ſed nihil adſtruit pro receptione nitro-aerei. 7. Quia tam cito afficimur ab aere infecto. Imo aer ſpiritu acido vago infectus ſubito extinguit hominem, atque exhalans ſpiritus nitri; quare talis infectio eſt contraria hypotheſi: & quis demonſtravit in aere peſtilentiali nitro-aereum deficere? 8. Denique contendunt cerebrum albicans, ſanguine rubro privatum, aptiſſimum eſſe ad recipiendum nitro-aereum. Sed illi neſciunt totum corticem ſcatere arteriis, & quaſdam arterias ferri etiam per medullam; atque albedinem tantum probare vaſcula illa liquore pellucido plena eſſe, & præterea nihil.

796. An ſpiritus aliquid æthereum, libere vagans ſuis globulis rotundis

per

per nervos, ſed a voluntate in motum concitatum, motum muſcularem faciens?

Satius foret fateri ignorantiam, quam hujuſmodi dare rationem, quoniam ſupponunt æthereum omnia penetrare, quod ergo a nervis coerceri nequit: atque ſupponunt modo aliquid intermedium inter mentem, & organum movens, quod intellectu eſt difficilius quam eſt ſtatuere ſpiritus fluentes per nervos.

797. Cur nervi ſiccati amittunt actionem ſenſus & motus?

Quoniam in exſiccatis nervis non fluunt ſpiritus, quibus adſcripſimus actionem ſentiendi, & movendi.

798. An ungues, & pili non ex nervis generantur, quia ſenſu carent?

Nervi ſpiritibus privati, quia non ſentiunt, ſi abirent in ungues, & pilos, has tamen partes non ſentientes potuiſſent formare: ſed inde quoque inferri non poteſt, has partes ex nervis naſci. Sedula Anatomicorum obſervatio docuit, pillos, ungues, & epidermidem generari ex generali ſtamine ſolido, quod etiam firmamentum nervis præbet.

799. Cur nervi circa ganglia craſſiores, & coloratiores?

Capſulæ nervorum vaſa circulatoria non ſolum accipiunt a dura matre, ſed etiam in diſperſione per corpus, præcipue eorum ganglia ab ambientibus partibus arterias, & venas accipiunt, quorum vaſorum acceſſu non ſolum ganglion redditur craſſius, & rubicundius, ſed quoniam inde cruenta vaſa diſtribuuntur per intrantium, & exeuntium nervorum capſulas, in hoc loco capſulæ fiunt craſſiores, & coloratiores, quam in locis remotioribus, ubi accepta vaſa ſenſim magis magiſque gracileſcunt.

800. Cur nervi remotiores ab origine gangliis donati?

Quia recepta vaſa circulatoria in capſulis nervorum ſenſim ramificando fiunt graciliora, & tandem ad majorem diſtantiam evaneſcerent, vel inutilia fierent præ nimia tenuitate; & quia ſpiritus per longiores canaliculos fluentes egent motore: inde ganglia his data, quæ nova recipiunt circulatoria vaſa, & ſua actione adjuvant fluxum ſpirituum per nervos.

801. Cur nervorum involucra in itinere accipiunt noſtra vaſa?

Nervorum fibræ medullares externe irrorandæ erant ſucco laudabili nutritio, ſi ergo illum ſuccum tantum in ſolo principio capſularum a meningibus provenientium recipere potuiſſent, via nimis longa foret, antequam hic ſuccus ad fines nervorum veniret: propterea in itinere datæ ſunt venæ adeuntes, quæ hunc ſuccum abſoluto munere reſorbent: & datæ ſunt arteriæ novum ſuppeditantes.

802. An motu oſcillatorio tunicarum promoventur motus ſpirituum per canaliculos medulloſos nervi?

Multæ ſunt rationes confirmantes. 1. Impreſſus motus per urgentem ſanguinem in encephalo ſufficere non videtur ad ducendos ſpiritus per exiliſſimos canaliculos medullares ad longam diſtantiam. 2. Omnis circulatio continuatur conſtrictione alterna tunicarum. 3. Capſulæ conſtant omnibus partibus, quæ ad motum vitalem requiruntur. 4. Laxitas ſolidorum etiam inducit movendi impotentiam. 5. Stimulus ad quamcumque capſulam nervi motum ſpirituum auget.

803. An fibrarum medulloſarum in ganglio collectio probat earum confuſionem?

Poſſunt multi canaliculi in faſciculo colligi ſine cavitatularum communicatione; hoc fieri in gangliis ſatis conſtat ex ſenſu, & motu diſtincto a nervis, qui ganglia tranſierunt.

804. Cur hyſtericis, & hypochondriacis ſæpe ganglia majora & hydatidibus obſeſſa?

Quoniam cauſa irritans eorum corpora, ut inde fiant ſpaſmodicæ contra-

ctiones, præprimis latitat in ſucco nervoſo, qui copioſius in gangliis, & dura matre quam aliis in partibus nervorum ſecernitur, & inde hic magis quam alibi hærens, involucra gangliorum laxata tumere facit, & in vaſculis lymphaticis aut tunica cellulari hydatides format.

805. An ganglia in Cerebri, vel Duræ matris ſubſidium veniunt?

Quoniam Cerebri munus eſt ſecernere ſpiritus, iſtoſque infundere medullaribus fibris; ſed Duræ matris ſecernere humorem nutritium inter ſe, & piam matrem deponendum, atque ſuis fibris motricibus motu ſpeciali vitali donatis, contenta placide agitare, & liquores propellere. Gangliorum ergo munus, quum reſpondeat uſui Duræ matris, minime vero functioni cerebri, in auxilium Duræ matris venit.

806. An ganglia in ſomno otiantur, in vigilia vero prompte ſua munera exſequuntur?

Quum actio gangliorum non ſit voluntaria ſed conſtans, uti omnis motus vitalis, qui & in ſomno, & vigilia eſt perpetuus, nulla eſt ratio ſuadens credere ganglia in ſomno otiari.

807. Cur ex tumore, vel contuſione ganglii paralyſis partium infernarum?

Omnes nervi ad motum deſtinati, antequam ad organum veniunt, tranſeunt per aliquod ganglion; hoc ſi contundatur, vel tumeat, illæ fibræ medulloſæ nervi per ganglion tranſeuntes ita comprimuntur, ut ex denegato tranſitu ſpirituum pars inferior ex hoc ganglio nervos habens, reddatur paralytica.

808. An motus voluntarius a gangliis?

Hoc nonnulli ſtatuunt ſine ulla ſpecie veri, quia actio mentis non habetur in gangliis, & quia nervi ſenſus, & motus animalis, & vitalis tranſeunt per idem ganglion, ergo omnes muſculi ex eodem ganglio venientes ſimul contraherentur, ut interdum fit in convulſione ab irritato ganglio.

809. An motus vitalis, & animalis languidior, & ſenſus hebetior fieri nequit ſine ſpirituum defectu, per ſolam laxitatem capſulæ nervi?

Ad motum, & ſenſum non requiritur ſola ſpirituum præſentia, ſed etiam æqualis fluxus, qui laxitate diminutus eodem modo motum languidiorem, & ſenſum hebetiorem facit, ut fit ex ſpirituum defectu.

810. Cur morbi nervorum præcipue circa ganglia?

Præcipui morbi nervorum latitant, vel in ſtructura capſularum, vel in ſucco nervoſo. Quoniam utraque hæc maxime valent circa ganglia, morbi quoque in his partibus præ ceteris obſervantur. Atque concurſus multiplex nervorum circa plexum hanc frequentiam malorum auget.

811. An non poſſunt convulſiones fieri motu inordinato fibrarum in capſulis?

Quoniam æquabili motu vitali capſularum propelluntur ſpiritus, ſi ille itaque motus ſit validior, tanto impetu truduntur ſpiritus ad muſculos motus animalis, ut illi interdum fortius quam ex voluntate agitentur. Inde ex inflammatione vel punctura irritante capſulam nervi, non raro diræ concitantur convulſiones.

CAPUT II.

De Dolore.

812. QUum duæ ſint nervorum functiones ſentire, & movere, ſed quia motus non intelligi poteſt niſi præcedat cognitio fabricæ muſculorum, ſolius ergo ſenſus morbos hic proponemus: quia vero tribus modis vitari poteſt, ut eſt inſenſilitas, ſenſus alienus, & major, qui Dolor vocatur,

tur, ex his tantum ſelegi Doloris deſcriptionem, quum ſæpe a Chirurgis debeat pertractari, ægroſque maxime inſtiget ad quærendum auxilium, ſed reliquæ duæ ſpecies raro Chirurgi exigunt opem.

Definitio. 813. Quoties in organo ſentiente ingratus, & fugiendus vehemens ſenſus concitatur; quem non ſolum homines, ſed & cuncta animalia conantur evitare, illa ingrata perceptio vocatur Dolor. Quaſi ille nobis eſſet datus tanquam monitor, qui indicaret Organum, vel partem corporis viventem in periculo interitus verſari.

Cauſæ. 814. Cauſarum duo ſunt genera: unum quod tam manifeſte operatur, ut nemo dubitare poſſit: alterum quod magis obſcurum eſt, ut egeat progreſſa cognitione. Utraque genera agunt vel in partes firmas, vel fluentes, vel actiones, aut in plures ſimul.

Manifeſtæ. 815. Nemo negare poteſt, quin in compreſſione per pondus quodcumque, ligatione, & valida extenſione, nervorum canaliculus anguſtetur, ſive complanetur, ſive circulariter contrahatur, ſive extenſione gracileſcat. Unde cognitio doloris in fractura, & luxatione, ſatis conſtat. Cognita hæc cauſa niſi tollatur, fruſtra tentamus levamen adferre dolori; ſed ea ſublata ſtatim non ceſſat dolor, ſed ſenſim miteſcit, niſi hæ cauſæ aliquam deſtructionem fecerint, vel nimis diu duraverint: quare monemur, quum fieri poſſit, tollere cognitam cauſam.

Minus manifeſtæ. 816. Proxime his accedunt, quæ æque videntur manifeſtæ quam priores, ſed ex quibus tamen tam plane demonſtrari non poteſt, canaliculum nervoſum anguſtari. Quemadmodum in *Combuſtione*, qua fibræ primo corrugantur, & dein rumpuntur. In *vulnere*, quo contractio automatica fibrarum paucioribus fibris ſuſtentatur; qui dolor intenditur accedente labiorum inflammatione, cujus intumeſcentia, & aucta contractione fibræ nervoſæ magis tenduntur. In validiore *Exſiccatione*, non ſolum accurtantur, ſed, & ita anguſtantur canaliculorum cavitates, ut non maneat liber ſpirituum tranſfluxus. *Acria* autem applicata, ſi conſiderantur tanquam partes acutæ prementes, facilem intellectum ſuggerent, uti omnia acria mechanica; ſed in ceteris acribus potius videtur, inſtigato motu vitali iſtius partis diſtenſionem, & compreſſionem faciente, dolor generari. Ut leniatur ambuſtionis dolor, applicanda ſunt laxantia, humectantia, & pinguia mollia. In vulneribus præter vulneraria applicata, & in vulneribus nervorum balſamica, ita adducenda ſunt labia dehiſcentia, ut minus valeant formare tractionem, partibus integris relictis. Exſiccationis dolor exigit humectans, atque in partibus externis multum juvat tectam ſervare partem, ut aer exſiccans accedere non poſſit. Sed acria mechanica ſunt tollenda, & læſio facta ut vulnus tractanda; ſi vero acria non ſunt mechanica, conducit abluendo id primo tollere, & dein pingue, & mucilaginoſum applicare, quod id acre in ſe recipit. Omnia hæc medicamina in propriis iſtis morbis inveniri poſſunt.

Abſconditæ. 817. Magis latentes cauſæ infinitæ ſunt dolores inferentes; patiuntur tamen utcunque ad has ſpecies referri. 1. Quæ extendendo partem dolorem inferunt, ut omnis impletio validior; impetus humorum ad aliquam partem major; impeditus tranſitus in circulante humore: qua extenſione latera fibræ nervoſæ tenſæ anguſtantur, vel quatenus factus tumor adjacentia comprimat. 2. Quæ conſtrictionem validiorem faciunt: uti ſpaſmi, quibus pars media tenſa, & indureſcens anguſtatur; vel ſi fibra ſpaſmo conſtricta aliquam partem ambiens, eam valide premit. 3. Omnes humores acres, ſive ingeſti, ſive in corpore nati, ut & excreſcentiæ acutæ duræ, ut acria externa, frequentiſſimam præbent cauſam doloris, & exigunt verſatiſſimum in arte medica, qui valeret omnes has ſpecies cum appropriata curatione rimari. Et quia de his omnibus ſatis egimus in *comp.* T. 17. non erit opus plura his addere.

818.

818. Quoniam Dolor eſt ſenſus vehementior, & moleſtus, ſolus Nervus ſenſibus dicatus doloris ſenſum præbet. Qui autem putant, ſolos nervos tactui deſtinatos adferre dolorem, non obſervarunt oculos a majore luce, aures a vehementiori ſono quoque dolere, qui dolor ab iiſdem cauſis in tactus organo non fuiſſet concitatus. Forſan ille ſenſus moleſtus, qui percipitur in homine nimis diu eſuriente, vel ſitiente, ad hanc ſpeciem quoque conferri poteſt. *Nervus dolens.*

819. Qui vero nervi ad motum animalem omnium muſculorum voluntariorum dicati ſunt, ab iiſdem cauſis amittunt potentiam movendi, ſed nullam præbent doloris ideam. Ita etiam nervi motus vitalis generalis cordis, & arteriarum, non inferunt dolorem, ſed virium debilitatem. Ambigere autem videntur nervi, qui præbent ſpiritus pro motu pulmonis, & organorum chylificationis; nam ab affectione harum partium quædam ſpecies doloris generatur, quam vocamus *Anxietatem*, quæ in membris externis, quamvis præſens ſit in iis organum ſenſus, & motus vitalis, non obſervatur. *Nervi doloris immunes.*

820. Omnes cauſæ Dolorem facientes probant, ſpirituum liberum fluxum per nervum ſentientem impeditum, ſive fiat arctando, ſive comprimendo, ſive extendendo ut fiat anguſtior, eſſe cauſam proximam doloris: ſed ſi ſpiritus non transfluunt, propter deficientem cauſam pellentem; generatur ſtupor, & inſenſilitas: ſi integre ſubſiſtit ſpirituum fluxus, Dolor mutatur etiam in ſenſilitatem. *Cauſa proxima.*

821. Duobus modis levamen adfertur Dolori. 1. Per auxilia, quæ tollunt doloris cauſam, quæ multiplicia ſunt, ex natura cauſæ petenda: hæc ſemper conducunt. 2. Quæ ſenſum doloris exſtinguunt, inde *Narcotica* dicta. Hæc fere in omnibus doloribus adferunt levamen, ſed non ſemper fidele: nam in principio inflammationis morbum augent, verum maturitatis tempore cum diluentibus data proſunt. Doloris podagrici metaſtaſin ſolent facere, vel protrahere morbum: quare non niſi in dolore intolerabili exhibenda, vel applicanda. Qui Dolorem Iſchiaticum, vel Rheumaticum, narcoticis compeſcit, eum ad aliquot annos firmare docuit experientia. Sed dolor ex mobilitate partium natus optime Narcoticis obtemperat, quod in hac ſpecie doloris colici ſæpe experimur. *Anodyna.*

822. Cur punctura nervi ſenſim majorem dolorem excitat?

Multæ hic ſunt concurrentes cauſæ. 1. Punctura effuſionem humorum fecit, qui ſenſim majore copia collecti in nervi capſula, canaliculos comprimendo dolorem inferunt. 2. Capſula ab irritamento irritata inflammatur, ſic craſſeſcens contentos etiam urget canaliculos. 3. Effuſus humor alienus tangens nudos ibi canaliculos, præprimis ſi hic ſtagnans humor acrimoniam acquirit.

823. An partes firmæ nervi læſi dolorem inferunt?

Quidam putant fibram tenſam ruptioni imminentem inferre dolorem, ſed quoniam demonſtravimus ſenſum deferri per ſpiritus, non vero per fibras, harum mutata diſpoſitio, niſi quatenus inducit impeditum ſpirituum transfluxum, dolorem generare nequit.

824. Cur læſa viſcera interna majorem anxietatem, quam dolorem, inferunt?

Quum in viſceribus internis pauci ſint nervi ſenſui dicati, eorum affectio minus dolere poteſt, ſed quoniam habent præter motum generalem vitalem, etiam motum particularem ſuæ functionis privatæ, hæc actio læſa anxietatem infert.

825. An dolor *Solutio continui?*

Quoniam in partibus firmis ſtatuitur continuum, & in liquidis contiguum, atque demonſtravimus ſenſum deferri per ſpiritus liquidos, in ſolutione continui locari non poteſt doloris cauſa: quod autem ante ruptionem factam

coneitetur dolor, fit, quoniam eo tempore ſimul inhibetur in ea parte ſpirituum transfluxus.

826. Cur adſtringentia frigida ſæpe compeſcunt dolores?

Hæc applicata ſi ſiſtant omnem ſpirituum fluxum, infideli lenimine compeſcunt dolorem tollendo ſenſum, nam redeunte motu huic parti, magis quam antea ſolet ſævire.

827. Quis dolor lenitur venæ ſectione?

Omnes fere dolores per venæ ſectionem miteſcunt, quia ſanguinis evacuatio minuit actionem: ſed ſi dolor fiat, vel a majore impletione vaſorum per ſanguinem, vel per majorem impetum, conducit ſanguinis detractione lenire dolorem; ſed ſi dolor fiat per acrimoniam minori corporis actione natam, lenitur venæ ſectione, ſed cum detrimento ægri, quia vires minutæ anſam præbent generationi ejuſdem acrimoniæ.

828. In quo caſu miſcent purgantibus anodina?

Si alvus ſit ducenda, uti in Colico dolore, & timor eſt per purgantis actionem magis intendi dolorem.

CAPUT III.

De naſo, & Olfactu.

829. ABſoluta ſtructura, & functione nervorum generali, ordo dictitat, particularia ſenſuum organa pertractare: ſed quoniam in his, præter mirabilem nervi locationem, ſpecialis eſt organi fabrica, hæc ſemper præmittenda erit. Quare primo exhibebo naſi fabricam, & quomodo nervus in eo organo eſt locatus; dein ſpecialis naſo ſenſus, qui vocatur Olfactus, eſt rimandus, ut ex his facile harum partium, & functionis intelligantur morbi.

Definitio. 830. Media maxime prominens faciei pars, figuræ fere pyramidalis, quæ conſtat tribus planis lateribus, quorum unum adhæret faciei: baſis habet duo foramina, quæ dicuntur *Nares*, ſed tota vocatur *Naſus*, Græc. *Rhis*, & *Myctер*.

Partium nomina. 831. Pars naſi a facie maxime diſtans vocatur *Dorſum*; & eminentia, quæ in ea interdum magis prominet, *Spina*, ſeu *Rhachis*; pars naſi ſuperior intra oculos *Colatorium*, ſeu *Radix*; ima & maxime eminens pars *Globulus*; margines vero inferiores a facie ad dictum globulum protenſæ, & mobiles, *Alæ*, ſeu *pinnæ*; quæ pars hujus pyramidis, ſeu naſi in duas partes laterales diſtinguit, ut fiant duæ cavitates, vocatur *Septum*, *Columna*, & *Diaphragma naſi*.

Cartilagines. 832. Pars anterior Septi mobilis formatur cartilagine, ſine pari; alæ autem in utroque latere duabus admodum flexibilibus cartilaginibus conficiuntur, quæ interdum ex pluribus ſegmentis compoſitæ ſunt.

Oſſa naſi. 833. Naſus concurſu variorum oſſium configuratur. Oſſa naſi formant radicem; maxillaria autem latera radicis; lachrymalia initium radicis naſi; ſpongioſa interna cava narium implent; Cribroſum ſepti ſuperiorem partem format; os frontis ſuperiorem partem initii radicis naſi ponit; ex ſphænoidis proceſſu formatur interna inferior ſepti pars; os palati radicem naſi uſque ad orbitas ſuſtentat; vomer maximam partem ſepti præbet.

Integumenta. 834. Naſus externe communibus tegitur velamentis. 1. Epidermide. 2. Cute, quæ tenuior, & tenacior, firmiter adhærens partibus ſubjectis. 3. Celluloſa tunica, minori copia pinguedinis impleta quam in reliqua facie. Integumenta ad margines narium uniuntur membranæ internæ, vel in eam abeunt.

Muſculi. 835. Tribus paribus muſculorum præprimis movetur naſus. 1. *Depreſſor alæ*.

alæ naſi ; ab aliis *Myrtiformis* dictus , ab exteriore parte maxillæ ſuperioris ad radices dentium inciſoriorum , uſque ad caninum dentem ; incipiens , tendit ad ſeptum narium , & partem foraminis narium , quæ labro ſuperiori eſt continua , quas partes verſus maxillam trahit : ſeu naſum deprimit . 2. *Compreſſor naris* ab exteriore parte radicis alæ natus , curvo ductu procedens , & inſtar membranæ expanſus alas narium , dorſo naſi infigitur , ut comprimat alas verſus ſeptum naſi . 3. *Levator labii ſuperioris alæque naſi* , qui ab aliis vocatur *pyramidalis* , oritur a naſali proceſſu oſſis maxillaris ſuperioris , deſcendens bipartitus , deſinit unus faſciculus in alam naſi , alter in marginem labii ſuperioris , quas partes ſurſum tollit , & cutim corrugat .

836. Cavitates in oſſibus cranii , & maxillæ ſuperioris , intus membrana mucum ſecernente obductæ , vocantur etiam *Sinus* . Tales inveniuntur duo plerumque in oſſe frontis ſub parte eminente ſuperciliorum , inter lamellas oſſeas hic a ſe invicem ſecedentes , qui dicuntur *Sinus frontales* ; ſi ſepimentum ad radices narium deficit eſt una continua cavitas : hi ſinus duabus aperturis confectum mucum in cava narium deponunt . 2. In utroque oſſe maxillari ſuperiori ampliſſimus eſt ſinus , fere ab oculi orbita ad radices dentium extenſus ; qui ſinus , *Antra Higmori* dicti , ſatis amplis aperturis in cava narium patent . 3. In oſſe ſphænoide ſub proceſſu , quem vocant ſellam Turcicam , ſinus hæret ſinu frontali utplurimum major , qui vocatur *Sinus Ephippii* : hic multis foraminibus etiam in cava narium ſe exonerat . Præter humores hos ex ſinibus profluentes , ipſa oſſa ſpongioſa pituitaria membrana tecta , & os Ethmoides multum pituitæ naribus præbent : dein ex ſacco , ſeu ductu lachrymali tenuis quoque huc confluit humor , qui irrigat . *Sinus .*

837. Cava narium , & ſtatim dicti ſinus obteguntur intus membrana molli ſatis craſſa , & tenaci , quæ *Pituitaria* ſeu *Schneideriana* ab inventore , vocatur ; in qua ordine diſponuntur fibræ medullares nervi olfactorii , formantes papillas , ut in cute , ſed minores ; hæc videtur verſus cava narium tegi tenui epithelio ; externe vero ei adhæret celluloſa , per quam multa vaſa cruenta decurrunt : arteriæ veniunt ab Carotidibus ; venæ exonerant in jugulares multum muci abſorpti cum ſanguine . *Nervus* quinti paris huic præbet ſurculum , ex cujus irritatione videtur ſternutamentum concitari . Multas habet hæc tunica cryptas mucum ſecernentes , ne partes hæ continuo aeris tranſitu exareſcerent , & ut maneat nervus Olfactorius humidus . *Pituitaria membrana .*

838. Præter membranam hanc , alia eſt , quæ , ut alibi tegit oſſa narium , & cartilagines , quæ inde vocatur *Perioſteum* , & *Perichondrium* . *Perioſteum & perichondrium .*

839. Ex ſingulis cryptis membranæ pituitariæ enaſcuntur *Pili* , qui *Vibriſſæ* dicuntur , exiguæ admodum ante pubertatem , ſed dein ſæpe ita increſcentes ut extra nares promineant : videntur natæ Vibriſſæ , ne pulveres , vel animalcula cum aere attracta intrarent pulmones . *Vibriſſæ .*

840. Nervus Olfactoribus (749) a medulla oblongata anterius tendens in fovea relicta in ea parte cerebri , inferius expanſa dura matre molliter ſuſtultus , ad os Etmoidis , cujus foramina intrat , & implet , dein tranſiens diſtribuitur in membranam pituitariam , ut conſtituat Olfactus organum . *Nervus Olfactorius .*

841. An mucus fertur per foramina oſſis Ethmoidis ex cerebro in nares ?

Affectionem membranæ pituitariæ in ſinubus frontalibus , & Ephippii quoniam judicarunt in cerebro ſentiri , anſam dedit judicandi expurgationem per nares fieri ex cerebro : omnino autem negari nequit quin aliquid cum nervo Olfactorio delatum , etiam ex encephalo per nares expurgari poſſit . *Quæſtiones .*

842. An mucus oris fertur per foramen palati pone dentes inciſorios ?

Hoc foramen in ſceleto eſt apertum , ſed in viventibus nulla invenitur apertura communicans inter cava narium , & cavitatem oris : ſed ex palato molli , radice linguæ , & tonſillis hic mucus provenit .

843. An ſinus maxillares ad levitatem; perfectiorem olfactum; vel muci ſecretionem?

Omnia oſſa ſunt medulla plena, quæ ſuppeditanda erat articulis obliniendis, ſed quoniam hic non habetur articuli motus, non requirebatur medulla, ſed ad formandam faciem oſſea firma requirebatur expanſio; ne itaque nimis magna eſſet moles oſſea, intus fabricatæ ſunt hæ cavitates, quæ membrana pituitaria intus tectæ potuiſſent ſimul ſuggerere mucum ad præveniendam excreſcentiam partium, quas lambit in reſpiratione aer.

844. An mucus ſecernitur ex arteriarum extremitatibus, vel glandulis, vel cryptis?

Triplici modo ſecernuntur humores qui evacuantur; ros exhalans ex extremitatibus; liquor tenuis alicui uſui deſtinatus per glandulas ductu excretorio donatas; liquor vero obliniens, & tenax confunditur in folliculis, vel cryptis, qui dein inſpiſſatus emittitur. Quare muci ſecretio ad hanc tertiam ſpeciem referri debet.

845. Ubi nervi nudiſſimi?

In narium cavitate: nam tenuiſſimo epithelio tantum tecti ſunt, & a particulis odoriferis exiliſſimis affici poſſunt.

846. Cur facilior hæmorrhagia ex naribus, quam aliis partibus?

Quoniam vaſa hic nudiſſima, minus ſuſtentata, humida, laxa, arteriæ apertiſſimæ mucum ſuppeditantes.

847. Cur irritationi narium conſentiunt organa ſternutatoria, & lachrymæ copioſius funduntur?

Duplex genus nervorum conceditur huic membranæ, unus qui vitæ hujus membranæ eſt deſtinatus, communis nervis ad organa reſpiratoria, & lachrymoſa tendentibus, hujus igitur irritatione reliquæ partes in conſenſum trahuntur. Scopus hujus communicationis eſt, ut aer vi pulſus excutiat irritans, & ut confluentes lachrymæ hoc abluant.

848. Unde tantus muci proventus in coryza?

Quoniam late eſt extenſa membrana, non ſolum per cava narium, verum etiam per omnes ſinus, cujus ſecretio ſi augetur, uti fit in Gravedine, magnam muci copiam, vel craſſioris, vel tenuioris præbere valet.

De Odoratu.

Olfactus definitio. 849. Dum aer, intrans nares, ibidem quendam ſenſum excitat, qualis nullibi in reliquo corpore excitari poteſt, hic ſenſus ab omnibus vocatur *Olfactus*, & *odoratus*.

Odoris definitio. 850. Quæ vero effluvia ex quodam corpore exhalantia aeri miſta intrantia nares, ibidem olfactus ſenſum excitant, vocantur odor, & odoriferum.

Quando non percipitur. 851. Etiamſi aer effluviis odoriferis ſcateat, ſi 1. nares ſunt clauſæ, 2. aer efflatur, ſed non attrahitur per nares, 3. aer intrat per os, vel tracheam apertam, nulla perceptio fit odoris.

In quibus minor. 852. A variis cauſis minor fit perceptio odoris. 1. In jam jam evigilantibus. 2. in iis, qui abutuntur errhinis. 3. In coryza laborantibus. 4. Idem odor frequens oblatus. 5. Odor debilior poſt validiorem oblatus. 6. Nares muco plenæ. 7. Cicatrix in membrana pituitaria relicta. 8. Nervus olfactorius in encephalo compreſſus.

Ubi organum olfactus. 853. Ex dictis experimentis, & obſervationibus concludendum eſt, in ſola cavitate narium locatum eſſe organum, quod a certo genere effluviorum, cum aere allatorum, commotum in nobis odoratum faciat.

Modus excitandi olfactus. 854. Aer, effluviis, vel particulis odoriferis ſtipatus, intrans externa foramina narium, applicatur ad omnes parietes internos membrana tectos, in qua ordinate ſunt locatæ fibræ nervoſæ nervi Olfactorii, quæ ab applica-

tis

tis his particulis agitatæ Olfactum excitant: reliquus aer pergit per poſteriora foramina narium, & laryngem ad pulmones, minime autem ad cerebrum ut quidam crediderunt.

855. Animalibus, quibus oſſa ſpongioſa ſunt majora, nares longiores, ut inde ſit membrana pituitaria latior, perfectior eſt olfactus, quum organum olfactus ſit majus. 2. Reciproca aeris attractio, & emiſſio perfectiorem olfactum facit, cum plures particulæ odoræ huic organo applicentur, quare in ſimplici inſpiratione non omnes particulæ odoræ applicantur. *Olfactus perfectior*

856. 1. Particulæ odoręs cum aere transferuntur ad magnam diſtantiam, in quo differunt a ſono, & luce. 2. Summa eſt harum particularum parvitas, quum nullo alio ſenſu detegi queant quædam odora, diu odorem ſpirantia ſine vix ulla amiſſione ponderis. 3. Intenditur odor calore, admiſtu ſalis volatilis. 4. Ex inodoris fiunt odora attritu, ut ſuccinum, ferrum ad ferrum, lapis ad lapidem &c. 5. Multi odores miſti ſimplicem ſæpe odorem exhibent. 6. Odor gratus copioſior ſæpe ingratus fit. 7. Quædam plantæ poſt ſiccationem, vel aſſervationem cum ſale marino, copioſiorem odorem deſtillando præbent, ut Roſa. 8. Uſtio, vel putrefactio, ex inodoris fœtorem producit, ut in partibus animalium. 9. Sulphur inodorum cum oleo coctum ſpirat fœtorem. 10. Sal Ammoniacum cum calce viva, vel ſale alcalino miſtum penetrantiſſimum odorem ſpirat. 11. Camphora oleo vitrioli miſta amittit odorem. 12. Alcali volatile admiſtu ſpiritus acidi amittit odorem. 13. Spiritus acidus nitri cum alchole aromaticum odorem producit. 14. Variæ plantæ in eodem ſolo natæ ſuos tamen proprios odores conficiunt. *Odoris natura.*

857. Acida Odorem, & ſaporem ſimilem exhibent. 2. Sal maris, Gemmæ, Ammoniacum, Nitrum ſapidiſſimum ſed inodorum. 3. Aquę deſtillatæ odoriferæ, & fere inſipidæ. 4. Moſchus, Benzoin, Balſamus Peruvianus gratum odorem, ſed ingratum ſaporem præbent. *Odoris, & ſaporis differentia.*

858. Omnia elementa Chemica, terra, aqua, oleum, ſal, ſpeciali odore privari poſſunt, cum amiſſione virtutis, ſed ſal, & oleum volatile odore privari nequit niſi ſimul invertatur natura horum: Eſt igitur odor ſpecificus pars ſpecialis, quam quintam eſſentiam vocant, in ceteris tangibilibus elementis hærens, & præcipue in parte oleoſa. Quare accurata depuratione medicamentorum ſæpe omnem ſpecificam virtutem ſimul aufert. *Elementum Odoriferum.*

859. An odores aerem incraſſant, & ita ſuffocant?

Nullo conſtat experimento, num aer ab odore reddatur craſſior, vel tenuior, ſed conſtat magis compactum aerem, ut demonſtrat Barometrum, modo non nimis in quodam vaſe compreſſus ſit, liberiorem Reſpirationem facere. Quod autem quidam odores ſuffocationem inducant, hoc fit ex mutata qualitate aeris, quæ in aere præſens requiritur, ut maneat vita: ſed non eſt opus, ut id mutans odorem habeat, ut patet in aere per acidum vagum imprægnato. *Quæſtiones.*

860. An effluvia Odorifera ſunt ignea, ſulphurea, vel ſalino-ſulphurea, quia comburi poſſunt?

Quoniam quinta eſſentia Odorem ſpargens utplurimum continetur in oleo, quod flammam alit, exiſtimarunt particulas odoriferas flammam alere. Et quoniam obſervarunt per ſales volatiles exaltari Odores, excogitarunt ſalino-ſulphureum.

861. Cur Horti, & Prata a pluvia poſt longam ſiccitatem, & in aurora largiorem odorem ſpirant?

Siccitas continuata ita inſpiſſat oleoſum retinaculum, ut odoriferum exhalare non poſſit; atque aer ſiccior cito diſſipat acceptum odorem; ſed ſi decidit pluvia, & in Aurora dum aer eſt humidus rore prægnans, particulæ odoriferæ in aere natitantes a nobis inſpirantur; & retinaculum odoris ſolutum plures particulas dimittit.

862. An animalia ſolo olfactu ſalubritatem, & inſalubritatem alimentorum dignoſcere valent?

Nos non valere hanc diſcere in omnibus differentiam palam eſt, & non eſt veriſimile animalia hoc præſtare poſſe, quamvis olfactu polleant: particulæ enim nutrientes, & odoriferæ non ſunt eædem: quædam venenata, & inſalubria omni odore carent: ſæpe eadem hæc ab animalibus avide devorantur.

863. Quid Olfactus cum Guſtu commune habet?

Particulæ ſapidæ ſalinæ volatiles, & oleoſæ in utriuſque organis ſimilem exhibent ſenſum; ſed particulæ odoriferæ ex quinta eſſentia vegetantium, raro ſimilem ſaporem, & odorem exhibent. Id quoque commune habent, quod utraque organa nudum attactum particularum exigant ad nervos.

864. An parvitas particularum odoriferarum non poteſt afficere guſtus organum, & magnitudo ſapidorum non poteſt attingere olfactorium?

Non conſtat experimentis, quænam particulę ex his ſunt majores, aut minores. Sed diverſitas locata eſt in qualitate ſpecifica, quod particulæ odoriferæ aeri miſcibilia ſint, ſed ſapidæ potius uniantur aquoſis: quæ vero particulæ utriuſque ſocietatem admittunt, ſapidæ ſunt, & odoriferæ.

865. Quid in plantis, animalibus, & foſſilibus odorem præbet?

Prędipuum eſt quinta eſſentia, ſed, & ſales, & olea volatilia quoque odorem præbent.

866. An animalia non omnes odores percipiunt uti homines, ſed quoſdam?

Hæc conjectura originem habuit ex non detecto indicio in animalibus varii odoris percepti: ſed ex ſimilitudine organi, & prævalente olfactu judicandum eſt, animalia omnes quoque odores percipere.

867. Cur quædam animalia prævalent olfactu?

Quo ſenſus organum majus, & perfectius natum, eo magis prævalet: hanc majorem perfectionem in naribus canum venaticorum detegunt Anatomici: atque ex indiciis certis experimur canes quædam detegere olfactu, quæ a nobis percipi non poſſunt. Forſan his penetrantior olfactus eſt conceſſus, ut magis valeant ad quærendum victum.

868. An pulveres ſternutatorii non deſtruunt organum olfactus?

Abuſus pulveris Nicotianæ, prava conſuetudine inductus, hoc ſatis probat: nervus enim olfactorius nudus toties irritatus, & leniter corroſus tandem ad olfaciendum redditur inutilis: imo nervus ſæpe validius affectus, tandem a levioribus agitatus, vix præbet indicium.

869. An reſpiratio non requiritur ad olfactum, quia primarius ejus uſus eſt refocillare pulmones, & cor?

Qui pro regula generali adſtruunt unamquamque partem unicum munus prędſtare, hoc effutiunt; ſed quoniam unica actione ſæpe multa munera abſolvuntur, hæc perverſa ſententia ſponte cadit.

870. An proceſſus mammillares, vel ventriculi cerebri ſunt olfactus organum?

Si per proceſſus mammillares cerebri intelligant nervum olfactorium, uſque in membrana pituitaria protenſum, hi proceſſus conſtituerent olfactus organum, ſed ventriculi cerebri, quoniam odores non penetrant in cavum encephali, nequeunt eſſe olfactus organum.

871. Quomodo Odorata vires refocillare poſſunt ſi non intrant?

Si vires ſunt debiles ex languidiore motu, odorata acria ſuo blando ſtimulo exagitantia nervum olfactorium, motum eum languidiorem exagitant.

872. Cur odores in omnibus non eumdem effectum ſortiuntur?

Si quis ex acrimonia acida laborans fuit debilitatus, odore aceti non refocillabitur: qui per putredinem in debilitatem incidit, eodem recuperabit vires, ſed

ſed a ſale alcalino non juvabitur, qui tamen in præcedentibus magnum adfert ſolamen. Dein Idioſyncraſia, & Temperies varia exigit.

873. Cur validiſſima odorifera plerumque ſimul ſternutatoria?

Lenia odorifera non ſentiuntur a nervo quinti paris in naribus, ſed acriora, quæ valent quoque hunc irritare nervum, ſternutamentum excitant.

874. Cur ſternutatione in evigilantibus redit olfaciendi potentia?

Quibus in ſomno prægreſſo multum muci, obtegentis internam narium membranam, collectum, ut odora attingere nequeant hanc membranam, his ſternutatione ſuperveniente, qua extruditur ille obtegens mucus, redit olfactus.

875. Unde odoris, vel fœtoris perceptio ſine effluviis his in aere?

Quibus hominibus in internis narium, vel ſinibus hæret putridum ulcus, hoc corruptum olfactorio nervo applicatum, talem fœtorem præbet.

CAPUT IV.

De Morbis Naſi, & Olfactus.

876. QUum naſus, 1. conſtet partibus communibus, integumentis ſcilicet, oſſibus, cartilaginibus, & vaſis, ergo generales harum partium morbi in eo fieri poſſunt. 2. Habet etiam partes ſpeciales, nempe Pituitariam membranam, & Nervum Olfactorium, unde novum genus morborum formatur. 3. Denique ſecernit multum muci, tranſmittit aerem pro reſpiratione, & exercet Olfactum, unde iterum aliud genus morborum. Sed quoniam nimis copioſum foret, omnes iſtos recenſere morbos: ex multis præcipuos delibabimus, & qui a Chirurgis tractari ſolent. *Diviſio.*

877. Tribus modis vitiatur *Olfactus* 1. Minuitur. 2. Extinguitur. 3. Depravatur: nam olfactus major non cenſetur inter morbos. Diminutionis, & Extinctionis, ſolo gradu differentes, ad ſequentes titulos referri poſſunt. 1. Quæ cauſæ nervum Olfactorium hebetant (852), quibus addi poteſt coalitus, vel impletio narium a quocumque tumore. 2. Deſtructio organi olfactus in fractura (359) præprimis officulorum ſpongioſorum: 3. Nervi olfactorii compreſſio, aut deſtructio in encephalo. *Olfactus morbi.*

878. Ex naſi morbis ſequentes ſunt præcipui 1. Sarcoma. 2. Polypus. 3. Carcinoma. 4. Ozæna. Reliqui autem morbi, ut *Coryza*, *Catarrhus*, *Gutta roſacea*, *pruritus*, *hæmorrhagia*, *ſtillicidium*, *ſternutatio*, *fractura*, *contuſio*, *vulnus* &c. vel ſunt traditi, vel tradendi, vel ad Chirurgiam non pertinent. *Naſi morbi.*

879. Tuberculum rubicundum, ad attactum valde dolens, facile fundens ſanguinem, tenui mucoſa pellicula tectum, habens figuram fere papillæ mammæ mulieris, lata baſi adhærens cartilaginibus narium, *Sarcoma*, vel *Carnoſa caruncula narium* dicta, exigit lenem conſumptionem per medicamenta *adſtringentia leniter corrodentia*, aliquoties de die applicata: ſi autem his lenioribus non cedit, paulo *fortiora* adhibenda. Cave tamen ne nimis irrites, ob olfactorium, & nervum quinti paris in naribus hærentem. *Sarcoma.*

880. Tumor a pedunculo pendulus hærens, in cavo narium, ut interdum inſtar ſacci externe ex naribus pendeat, vel interne per poſteriora foramina narium, ut in faucibus conſpici poſſit, ſuſpenſus ab officulo aliquo in cavo narium, vocatur *Polypus*. Tumor hic plerumque mollis, indolens, laxus, inſtar muci concreti, vel carnis mortuæ: interdum vaſa cruenta in eo conſpiciuntur. Quandoque vero hæc benigna indoles commutatur in malignitatem, & fit tumor carcinodes admodum dolens, & periculoſus, majorem minoremve duritiem habens. *Polypus.*

881. Polypus ſæpe naſcitur poſt contuſionem, & fracturam narium, ab evul- *Cauſæ.*

evulſione vibriſſarum, ſcalptura frequentiore, abuſu ptarmicorum, Catarrho, & coryza diu perſeverante.

Quid ſit. 882. Ex quibus cauſis, & traditis ſignis ſatis conſtare videtur, membranam pituitariam ſecedere ab oſſiculo aliquo in cavo narium plerumque carioſo, ut faciat ſaccum propendentem, vel unicum, vel plures, prout hæc membrana ex una, vel pluribus foveis oſſiculorum detruſa ſit, qui ſacculi tument humore, in lamella celluloſa hujus membranæ collecto.

Cautelæ. 883. In prognoſi, & curatione ſequentes regulę ſunt obſervandę. 1. Hic hęrere membranam multum muci ſecernentem. 2. Adeſſe nervum olfactorium, & quinti paris, cujus irritatione fit ſternutatio. 3. Multa eſſe vaſa cruenta, quæ aperta non facile poſſunt comprimi. 4. Oſſicula ſpongioſa intus hærentia admodum eſſe inæqualia, & friabilia. 5. Partes omnes patere aeri. *6.* In naſum confluere mucum in ſinibus confectum.

Curatio. 884. Si Polypus nullam malignitatem adjunctam habet, (nam in polypo maligno vetatur omnis operatio Chirurgica) is eſt auferendus, quod variis modis peragi ſolet. 1. Secando, vel inſtrumento apto ſecante, vel volſella: verum quia operatio fit in loco abſcondito, multæ partes admodum ſentientes, & vaſis cruentis ſcatentes, circumpoſitæ ſunt, ſectio ſine periculo inſtitui nequit. 2. Urendo, ut Veteres: verum vix fieri poteſt ſine uſtione adjacentium. 3. Extrahendo: Quia vero evulſione ſimul nimis magna pars membranæ pituitariæ extrahi poteſt, vel oſſiculum ſpongioſum, hæc operatio non caret periculo. 4. Optima ergo methodus eſt aliquoties tangere polypum medicamento *adſtringente*, *& leniter corrodente*, ſimulque talia applicare plumaceolis; ſi vero non cedit lenioribus, *fortiora* adhibenda, ut polypus accurtetur, & conſumetur; cavendum vero ne conſtent medicamentis ſternutationem excitantibus, & ut tangant partem ſanam. Quidam ſuadent prius pertundendum tumorem, ut contentus humor effluat, antequam dicta auxilia applicantur, quæ medendi methodus quoque in quibuſdam felicem curationem attulit, 4. ſi dictis non cedit, & pedunculus non nimis alte in naribus hæret, ligatura artificioſe injecta, pedunculus polypi eſt conſtringendus per filum tenax, quæ operatio hoc modo inſtituenda: filum per acum ex plumbo admodum flexili confectam trajectum, immittendum ita nari, ut acus hujus mucro, ab altera parte pedunculi polypi prehendi poſſit forcipe ſubtili; & iterum extrahi incurvando acum plumbeam: ita filum per acum trajectum ambit polypi pedunculum. Dein utræque extremitates fili collectæ ita ſunt contorquendæ, ut pedunculus polypi a filo interceptus conſtringatur: illa contorſio ſenſim magis conſtringenda, quod per nodum injectum hic fieri non poteſt, donec livor, & nigredo polypi doceat eum eſſe ſuffocatum; relinquendum filum contortum, donec ſponte prolabitur polypus, & dein filum. Ad locum ſeparationis applicari poteſt mel Roſarum cum pauxillo Unguenti Ægyptiaci, donec pars ea ſit conſolidata.

Quæſtiones. 885. Cur operatio Chirurgica non facienda, ſi polypus ſit lividus, niger, & admodum dolens?

Quoniam polypus talis eſt factus carcinodes, adjacentes partes coinquinans, qui agitatus magis furit, & totus tolli nequit.

886. Quæ convenientia inter polypum, & Procidentiam vaginæ?

In utriſque fit prolongatio membranæ cavitatem aliquam cingentis; utraque ſunt loca humida; ſed in polypo ſæpius adeſt os carioſum, quare frequentius redditur malignus.

887. An Polypi tentanda abraſio ope fili nodis inſtructi per nares & fauces dimiſſi?

Raſio hæc fieri poteſt, ſed potius perſcinderet palatum molle, & reliquam membranam narium, quam ut perſcinderet pediculum polypi.

Carcinoma. 888. Si Sarcoma, polypus, vel naſi ulcus, cancroſa ſunt facta, aut ſi ſta-

tim

tim generetur Carcinoma, dolens, malignum, ad quævis medicamenta auctum, ſolis medicamentis *mollibus anodynis* placandum, ne magis furiat, & prorepat, cum corrodentibus tolli non poſſit, unde obtinuit nomen *noli me tangere*.

889. In latiſſima membrana pituitaria per cava narium, & omnes ſinus diſtributa interdum generantur ulcera, quæ ſemper difficilia ſunt curatu, quoniam 1. pus facile ſubſiſtens in ſinibus corrumpitur. 2. Locus difficulter purgari poteſt. 3. Præcipua pars ulceris opportuna medicamenta vetat, 4. magnus humorum ibidem eſt confluxus. 5. Ulcus ſemper aeri aperto eſt exponendum, 6 adjacent oſſicula tenerrima. Si tale ulcus ſimul inficit oſſa, quod hic frequentius fit quam alibi, fœdiſſimum ſpirat odorem, unde tunc vocatur *Ozæna*. *Ulcus ſeu Ozæna.*

890. Generatur utrumque genus ulceris poſt contuſionem, vel fracturam narium; ex abuſu ptarmicorum; evulſione vibriſſarum: in Scorbuto vetuſto; & frequentiſſime ex Lue Venerea, a Catarrho diuturniore; poſt ſarcoma, vel Polypum, & fere ſemper poſt Carcinoma. *Cauſæ.*

891. Si ulcus ſit recens, nullum adhuc fœtorem ſpirans, ſine mala latente cauſa interna, curandum applicatione, & ablutione per lene *adſtringens*, *conſolidans*, *abſtergens*, *antiſepticum*. *Curatio.*

892. Si autem per oſſis cariem nata ſit Ozæna, iiſdem utendum, & quæ magis contra oſſis cariem experta ſunt, ſed ſemper *mitibus antiſepticis*. Interna autem remedia ex Cariei (211) deſcriptione peti poſſunt. Suadent quidam evellere dentem molarem, & pertundere in fovea facta maxillam uſque in antrum Higmorianum ſi hic latitat cauſa, ut educatur humor corruptus: ſed raro hic latet cauſa, & non facile hac methodo curatur.

893. Si ulcus narium, vel Ozæna naſcitur a cauſis generalibus internis, Lue Venerea, ſcorbuto, vel catharro, iiſdem externis curandum ulcus, ſed interna ex propriis iſtius morbi cauſis peti debent.

CAPUT V.

De Guſtu, & Ore.

894. ETiamſi ex origine nervorum hoc loco eſſet tradendus viſus, & oculus, ob magnam autem convenientiam inter Guſtum, & Olfactum, hunc ſenſum, & ejus organum præmittendum eſſe judicavi. *Guſtus definitio.*

895. Dum in cavo oris, præprimis in apice linguæ, exerceatur particularis ſenſus a rebus linguæ applicatis, qualis nullibi in corpore reliquo obſervari poteſt, hic ſenſus vocatur *Guſtus*, & *Sapor*. Qui excitatur ſi linguæ ſanæ puræ aliquod ſapidum humidum, vel quod inter applicandum humectatur, & apprimatur, ut ad nervi guſtatorii papillas pervenire poſſit.

896. Os non ſolum ad deguſtandum natum, ſed, & manducationis, & loquelæ promtiſſimum organum, ex variis componitur partibus, quæ plerumque ſpecialibus titulis ab Anatomicis pertractantur. Quales ſunt *Labia*, *Dentes*, *Gingivæ*, *Palatum*, *Lingua*, *Maxilla utraque*, & humores *ſalivoſi*, & *mucoſi*. Tonſilla autem, & uvula ſolent ad fauces referri. *Oris partes.*

897. Carnoſa margo oris, exterius communibus integumentis tecta, interne epithelio toti ori communi, quod partem etiam rubicundam exterius ore clauſo tamen viſibilem tegit, tectum, vocatur *labium*, ſeu *labrum*, quod in ſuperius, & inferius diſtinguunt, & partem rubram eorum vocant *Prolabia*. Multis, & variis componuntur labia *Muſculis*, ut ad quemcumque motum ſint apta. In ſua ſubſtantia multas habent *glandulas* liquorem ſalivoſum eructantes. Utrumque habet *frenulum* in medio, quo nectitur gingivis inter anteriores dentes inciſorios. *Labia.*

Dentis. 898. Corpora duriſſima in noſtro corpore proxime accedentia ad naturam oſſium, ſed duriora, in utroque margine propriis ſuis foveolis inhærentia, utplurimum poſt nativitatem nata; & ſæpe deinceps renovanda dicuntur *Dentes*, qui ſuis radicibus in foveis maxillarum hærentes, accipiunt arteriam venam, & nervum, ut creſcant, & nutriantur; ſupra foveas aliquo ſpatio etiam teguntur gingivis: ubi gingivas tecti, ibi oſſeam habent naturam, ſed extra gingivas eminens pars lapidea vocatur. Intus cavitatem habent membrana tectam.

Gingivæ. 899. Teguntur dentes uſque ad partem eminentem, atque margines maxillarum ſubſtantia quadam carnoſa ſingulari, ligamentoſa, tenaci, quæ vocatur *Gingivæ*, quæ etiam conducunt vaſa ad dentes nutriendos, & eorum portionem oſſeam muniunt ad aeris attactum.

Palatum. 900. Superior convexa oris pars *Palatum* dictum, anterius firmatum oſſe, ſed poſterius mobile, unde Palatum mobile dictum, valens claudere poſteriora foramina narium, & iterum fauces, pro neceſſitate, componitur membrana mucoſis cryptis, & multis glandulis ſalivoſis inſtructa.

Lingua. 901 In oris cavitate hæret corpus carnoſum, mobile admodum, planum, exterius guſtus organo donatum, anterius liberum, poſterius nexum, quod vocatur *Lingua*, manducationi, deglutitioni, guſtui, & loquelæ inſerviens organum.

Maxillæ. 902. Maxilla ſuperior immobilis, ſed inferior fortiſſimis muſculis attollenda, in ſuis marginibus dentis inſtructæ, cingunt oris ambitum. Inferior maxilla mirabili artificio, cum interpoſita lamina cartilaginea, articulatur.

Oris humor. 903. Triplex genus humoris continuo in os confluit: *Mucoſus* ex cryptis linguæ, & palati; *Roridus* ex extremitatibus vaſorum; *Salivoſus*, ex variis glandulis, extra oris cavitatem locatis, per ductus in os delatus, ut os intus molliter obtegatur, humectetur, & ut inſerviat confectioni alimentorum.

CAPUT VI.

De Guſtu, & Oris Morbis.

Saporis morbi. 904. SI cum alimentis aſſumendis in ore, vel, & ſine iis, alienus percipitur in ore ſapor, is indicat, vel ſalivam eſſe infectam, vel alium morboſum humorem confluere in os. 1. Si ſapor ſit *Amarus*, vel bilis eſt corrupta, vel pinguedo eſt rancida facta, qui ſapor ergo declarat inverſam eſſe ventriculi coctionem. 2. *Salſus* ſapor ex abundantia ſalis marini, & ſæpe ſalis ammoniacalis noſtri corporis oritur, qui poſt morbos putridos natus ſalutem portendit, ſed in chronicis catarrhoſis diuturnitatem: 3. *Urinoſus* in morbis putridis fere ſemper. 4. *Acidus* talem ſpeciem acrimoniæ in corpore prædominantis exhibet. 4. *Dulcis* plerumque ſi ſanguinis ſputum inſtat. Quando vero omnia, quæ aſſumuntur, videntur *Inſipida*, vel lingua eſt obducta ſorditate, aut pellicula, vel ſaponacitas ſalivæ deficit.

Oris morbi. 905. Præter morbos generales, qui etiam varias partes aggrediuntur, Os ſibi quoque particulares habet morbos. Hi vel ſunt 1. Omnibus partibus oris communes, vel (20) Quibuſdam partibus proprii.

Aphthæ. 906. Materia mucoſa, tenax, vel inſtar ſtigmatum, vel pelliculæ integræ, coloris interdum varii, linguam, palatum, imo gingivas quandoque, & labia obſidens, inſtar ſorditatis, vel ſuperficiarii ulcuſculi ſordidi, vocatur a Medicis *Aphthæ*. In graviori malo fauces, œſophagus, ventriculus, & inteſtina ab hac materia obteguntur.

Cauſæ. 907. In infantibus, infirmis, & chronicis morbis oriuntur aphthæ ex mu-

co,

co, vel pituita corrupta per virium defectum; quando per lambitiva, & colluſiones *abſtergentes antiſepticis* ſunt auferendæ. 2. In morbis putridis frequentiſſime obſervantur, diu perſiſtunt, & ſæpe recidivant. Exigunt tunc *abſtergentia*, *antiſeptica*, *refrigerantia*. 3. Si autem in morbis acutis a lentore quaſi concreto formantur, ſimilia exigunt ſed magis *humectantia*.

908. Oſcula oris materia aphthoſa obſeſſa impediuntur exhalare, & reſorbere, unde omnia aſſumta videntur inſipida; difficilior deglutitio; ſiccitas oris; faſtidium; aggravatio ab aſſumtis, ſæpe lienteria. Diutius hærentes collectos ſub cruſta humores ad corruptelam diſponunt, ſic vaſcula dilatant, & corrodunt, ut fiant ulcera, ptyaliſmus. Quo color magis ad nigredinem vergit, & quo denſiores inſtar lardi, eo pejores: ut & illæ, quæ frequentiſſime redeunt. *Effectus.*

909. Si ſeparari incipiunt aphthæ, partim nuditas inducit difficilem deglutitionem, aut ſingultum, quæ mala prævenienda *mucilaginoſis*. Quod ſi alvus maneat adſtricta non deponens *cruſtas* aphthoſas, leni *purgante* inteſtina ſunt depuranda. Si ſalivatio remanet, *roborantibus* collutionibus oſcula dilatata ſunt arctanda. Si autem febris intermittens, vel perſeverantes, vel ſæpe recidivantes fecit aphthas, *febrifugo* prius febris ſubigenda. *Curatio poſt aphtharum receſſum.*

910. Oris ulcera id ſpeciale habent, quod ob humiditatem, & facile contrahendas ſorditates exigant medicamenta *abſtergentia adſtringentia*. *Oris ulcus.*

911. Oris fœtor ſi fiat ſine ulcere, & qui non fiat ex ventriculo, vel pulmone fœtorem ſpirante, facile curatur collutione frequente cum *antiſepticis*, *abſtergentibus*. *Fœtor.*

912. Frequentiſſime in morbis acutis, & interdum in aliis vix toleranda eſt oris ſiccitas, quæ ſpecialia exigit *Humectantia*, nam etiamſi copioſius bibant potiones, vix deglutito potu os iterum eſt ſiccum. *Siccitas.*

913. In ore quædam partes ſpeciales, etiam ſpeciales patiuntur morbos. 1. Gingivæ corroduntur, exulcerantur, & laxiores fiunt; qui morbi ſpecialia *antiſeptica* exigunt, in forma collutionis, pulveris, vel lavamenti. 2. Interdum ex gingivis excreſcit ſarcoma ſeu fungoſa, & carnoſa excreſcentia, quæ *Epulis* vocatur, quæ *antiſeptico adſtringente*, & leniter *corrodente* eſt ſupprimenda. Aut 3. naſcitur in gingivis tuberculum inflammatorium, quod dicitur *Parulis*: quod ad citam maturitatem eſt ducendum, & dein purgandum, atque conſolidandum. *Gingivarum morbi.*

914. Dentes in morbis 1. Muco tenaci obtecti, quod notat febris vehementiam, Collutione depurandi. 2. Si vero *nigreſcunt* dentes, amiſeruntque ſolitum nitorem, *Dentifriciis* ſunt depurandi 3. Calculi materies dentibus accreſcens, ne depellat gingivas, tollatque nitorem dentium, eſt quotidie auferenda, & dentes *Dentifriciis* puri ſervandi. 4. Numero autem abundantes, vel ſeriem turbantes, ſunt evellendi dentes, niſi radicum incurvatio evulſionem inhibeat. 5. Dens corruptus ſi commode fieri poteſt eſt evellendus, ne maxillam inficiat. 6. Vacillans etiam in pueris, dum renovantur dentes, eſt auferendus, ne novi dentis regularem ordinem turbet, ſed in adultis, ſi dens ſit ſanus, relinquendus. 7. Dentes *dolentes* ex catarrho non ſunt evellendi, ſed dolor mitigandus applicato *Topico anodyno*, *Veſicatorio*, quod elicit catarrhoſum: ſed ſi dens excavatus dolet, evulſio præſens eſt auxilium; hoc ſi fieri nequit, vel prohibeatur, compeſcendus eſt dolor *Narcotico* indito, vel uſtione in cavitate dentis, ut membrana interna privetur ſenſu. *Dentium morbi.*

915. Sub apice linguæ ad exitum ductus ſalivalis interdum naſcitur tumor, vel benignus, vel malignus, qui vocatur, *Ranula*. Hic ſi ſit folliculoſus eſt eximendus, ſed ſi malignus ſit, ambientia inficiens relinquendus. *Ranula.*

916. Labia frequentiſſime contrahunt *fiſſuras*, quæ in principio *Linimento molli* facile curantur. Glandulæ in labiis induratæ *globulos* faciunt, qui nimis increſcentes, ut tumores folliculoſi, eximendi. Sed labiorum ſubſtantia *Labiorum morbi.*

indurata, & ulceroſa dein facta facit *Cheilocacen ;* & quia labia tunc non ſunt obſequioſa, præprimis in eorum angulis *Labroſulcium* faciunt curatu difficile. Labia ex nativitate concreta ſectione ſunt ſeparanda : ſed labia leporina ſpeciali Chirurgica operatione unienda.

Quæſtiones.

917. An Apthæ infantum, & adultorum poſt morbos acutos eodem modo curandæ?

Quum in infantibus naſcantur aphthæ plerumque ex acido glutinoſo, quod exigit abſtergens alcalinum, & aphthæ acutorum in adultis ex glutinoſo putrefacto, quod abſtergente aceſcente eſt ſolvendum, per ſe patet, in his diverſam eſſe curationem.

918. Cur Aphthæ ſalivoſæ interdum curantur cortice Peruviano, interdum vero non auſcultant?

Quoniam febris intermittens interdum ptyaliſmum ſymptomaticum excitat, tunc cortice exſtincta febre, ceſſat ſalivatio : ſed ſi ptyaliſmus fiat ex colliquatione putrida, per corticis uſum non temperatur.

919. Cur Aphtharum regeneratio mala?

Si ſecedere incipiunt Aphthæ, ſignum eſt in morbis putridis minui putredinem : ſed ſi regerantur: indicium eſt renovari putredinem, qua renovata humores tandem ita ſecedunt a naturali indole, ut tandem omnino inepti fiant ad vitam ſuſtentandam.

920. Cur Aphtharum color niger peſſimus?

Ipſe color nihil facit, ſed quia Aphthæ nigræ ex putredine naſcuntur, & color niger ſummum putredinis gradum declarat, color ille malum indicium præbet.

921. Cur circa finem acutorum poſt copioſiores evacuationes frequentiſſime generantur Apthæ?

Dum per evacuationes copioſiores temperatur vigor morborum acutorum, talis morbus mitiora faciens ſymptomata non ſubegit, & expulſit morbi materiem, ſed permittit virium debilitas, materiem commutari in putrilaginem, quæ tunc aphthas producit.

922. An os aphthis obſeſſum frigida, vel tepida colluendum?

Ægri avidiſſime petunt frigidam collutionem, quoniam os eorum admodum calet, ſed frigus hoc ita inſpiſſat humores, contrahit vaſcula relaxata, ut deinceps aphthæ multo difficilius ſeparentur ; quare contra voluntatem ægri os liquore tepido eſt colluendum.

923. An materia chyloſa in primis viis contenta aphthas generat?

Quidam ex materia chyloſa deduxerunt aphthas ob ſimilitudinem coloris : ſed, quoniam utplurimum formantur aphthæ dum nihil chyloſi eſt in corpore, fruſtra in hac quæritur aphtharum materia.

924. Cur Lienteria, & ſingultus in aphthis periculoſum?

Plerunque Lienteria generatur, ſi aphthæ obſideant oſcula lacteorum, ut chylus, & reliqui humores abſorberi non poſſint. Atque ſingultus, ſi ſub cruſta aphthoſa generatur acre œſophagum ſtimulans. Quia utræque cauſæ ſunt malæ, & non tollitur morbus, inde periculum augent.

925. Cur Delirium, Anxietas, & Jactatio, in aphthis, malum?

Hæc ſigna declarant, materiem corruptam, quæ in ore format aphthas, etiam ferri ad partes interiores principes, ubi dicta phænomena inferunt, & quoniam ibi evacuari non poteſt, plerumque mortem infert.

926. Quando purgans exhibendum in aphthis?

Quidam non dubitant in omni tempore aphtharum propinare purgans, ſed, quia purgans non valet auferre aphthas, & ſimul inducit debilitatem, atque derivationem ad interiora, non caret periculo, dare purgans : ſed, quando aphthæ ſunt ſeparatæ, & collectæ dein in inteſtinis, ne ſtagnando corruptelam inferant, conducit tunc leni purgante hanc materiem avacuare.

927.

927. An Cheilocace, & Labroſulcium non ſunt morbi diſtincti?

Etiamſi hi morbi eodem titulo a multis pertractentur, quoniam ſæpe conjuncti inveniuntur, a ſe invicem tamen diſcrepant: nam Cheilocace eſt ſpecies tumoris, & Labroſulcium ſpecies fiſſuræ.

928. Cur dentes gingivis privati corrumpuntur, & cadunt?

Dentes non ſolum nutriuntur vaſis, per eorum radices ingredientibus, ſed etiam vaſis gingivarum, quibus abruptis, ut ceteræ partes, communi circulatione privati moriuntur, & tandem emortui a reliquis ſeparantur, & ita excidunt.

929. An Lithodontos permittendus, vel auferendus?

Si dentes vacillantes in adultis concreto calculo utcunque adhuc cohæreant, melius erit, relinquere calculoſam materiem, quam eam ſimul cum dentibus vacillantibus auferre: ſed præſtantius erit hanc non permittere, depurando dentes, concretionem.

930. Cur ſtupefacientia cavo dentis indita, vel uſtio, non ſemper curant Odontalgiam.

Si Omnis Odontalgia fieret ab acri humore hærente in dentis cavo, ſatis certo hæc auxilia curarent Odontalgiam; ſed quoniam ſæpe etiam generatur ab acrimonia per nervos ad dentes delata, hæc auxilia levare non poſſunt dolorem.

931. Cur ſtomachus ſæpe laborat in oris fœtore?

Interdum oris naſcitur fœtor, ſi contenta ventriculi corrumpuntur: & viciſſim ſi humoris corruptio in ore ſit fœtoris cauſa, is deglutitus ventriculum in conſenſum trahit.

CAPUT VII.

De Aure, & Auditu.

932. UT in præcedentibus, ita etiam in hoc ſenſu, primo eſt agendum de Organo quod Auditum exercet, priuſquam Auditus intelligi poteſt.

933. Tota auris, ſeu organum auditus, ſatis commode in has tres partes dividi poteſt. 1. *Auricula*, quæ complectitur partem extra caput eminentem, cum ejus meatu, quouſque aer ambiens partes auris tangit. 2. *Tympanum*, media cavitas auris, quæ recondit oſſicula auditus. 3. *Labyrinthus*, ſeu tota cavitas, per quam diſtributus jacet nervus Auditorius. *Auris diviſio.*

934. Auricula tota diſtinguitur in partem externam, planam, fere ſemicircularem, extra reliquum caput hærentem: quæ proprie vocatur *Auricula*; & in canalem, intrantem caput, qui vocatur *Meatus auditorius*. *Auricula.*

935. Pars ſuperior auriculæ alata vocatur *Pinna*; inferior autem mollis *Lobulus*: Eminentia marginem pinnæ ambiens *Helix*, ſeu *Capreolus*; altera autem meatui proprior *Anthelix*. Eminentia acuminata ante meatum auditorium verſus faciem, plerumque pilis exaſperata, vocatur *Hircus*, ſeu *Tragus*; altera autem poſterior, huic eminentiæ veluti oppoſita, dicitur *Antitragus*. *Auriculæ Eminentiæ.*

936. Auriculæ cavitas inter Helicem, & Anthelicem dicitur *Scapha*; ſed inter partem bifurcatam depreſſa vocatur *Cavitas innominata*: cavitas autem prope introitum meatus auditorii vocatur *Concha externa*. *Cavitates.*

937. Mirabili ſtructura eminentiarum, & cavitatum determinantur radii ſonori magis verſus meatum auditorium. *Uſus.*

938. Tota auricula externe tegitur epidermide, cute tenui, & exigua tunica celluloſa, in quibus hærent multæ exiguæ glandulæ, & cryptæ, lentum, & olentem humorem ſecernentes, una ex his major hæret circa tragum verſus faciem. *Integumenta.*

939.

Cartilago. 939. Omnes hæ eminentiæ, & cavitates in ſitu, & figura ſervantur cartilagine quadam flexili, ut eo facilius reflecterentur radii ſonori.

Vaſa. 940. Arteriæ veniunt a carotide externa; venæ ſe exonerant in jugularem externam; nervi proveniunt a nervo acouſtico duro, & a nervo vertebrarum colli, qui intra primam, & ſecundam vertebram emergit; Lymphatica viſui non patent.

Ligamenta. 941. Auriculæ pars poſterior per ligamentum valide firmatur ad os petroſum.

Muſculi. 942. Auriculam externam vario modo tendi ad percipiendum ſonum, ut ciliare ligamentum in oculo ad viſum, veriſimile eſt, ſed paucis hominibus hi muſculi obtemperant voluntati, ut fieri videmus in animalibus. Huic motui Anatomici ſequentes tribuunt muſculos; *Attollentem auriculam*; *Anteriorem auriculæ*; *Retrahentem auriculam*, *Tragicum*; *antitragicum*; *Majorem helicis*; *Minorem helicis*; & *Tranſverſum auriculæ*: horum quidam a multis ob exilitatem non notantur.

Meatus auditorius. 943. Altera pars auriculæ, uſque ad membranam tympani, caput intrans, vocatur *Meatus Auditorius* (934), qui eſt canalis cylindrico-ellipticus tranſverſe intrans caput, in principio cartilagineus, dein oſſeus, a concha externa incipiens, primo aliquomodo ſurſum, poſtea deorſum, deinceps parum adſcendens, ſed ad finem deſcendendo finitur per membranam tympani, quæ oblique finem ita claudit, ut ad ſuperiorem, & anteriorem partem faciat angulum obtuſum, ſed acutum in parte oppoſita.

Integumenta. 944. Auris externa integumenta ingredientia obtegunt hunc meatum: epidermis abit in epithelium; tunica celluloſa in fibras reticulatas, in quarum aeris multæ ſunt *Glandulæ* flaveſcentem, & amarum humorem ſecernentes, qui vocatur *Cerumen*; atque alium Humorem Mucoſum lenteſcentem. Interna membranæ hujus ſuperficies exiguis *Pilis* eſt ornata.

Membranæ particularis in fœtu. 945. Meatus auditorii interna ſuperficies, & membrana tympani in ea parte qua ad meatum reſpicit, obtegitur quadam pellicula in fœtu, ne a liquore, in quo natat fœtus, afficeretur hæc pars: poſt nativitatem autem exareſcens cum cerumine, & aurium ſordibus evacuatur; quare in recens natis nullus in principio auditus. Multis autem animalibus aures ante nativitatem concretæ ſunt.

Membranæ tympani. 946. Finis meatus auditorii clauditur membrana obliqua ad directionem meatus (943); exterius concava; in ambitu, ubi ſuſtentatur ab annulo cartilagineo in os commutando figuram ellipticam deſcribit: conſtat duplici membrana, a meatu Auditorio, & tympano juncta, cum interpoſita celluloſa, per quam tranſeunt nervi, & vaſa cruenta, a quibuſdam pro expanſione nervi habita; raro foramine eſt pervia tranſmittente aerem, fumum, vel liquorem, quod foramen vocant *Rivinianum*.

Tympanum. 947. Sub membrana hac altera detegitur cavitas (933. n. 2.), quam *Tympanum*, vel *Concham internam* vocant, figuræ irregularis, & communicans cum ſinuoſitatibus in proceſſu maſtoideo, obtegitur ſpeciali, & ſubtiliſſima membrana vaſculi ſcatente, humorem roridum ſecernentibus.

Chorda Tympani. 948. In cavitate hac, ſub convexa membranæ tympani facie, huic membranæ parallelæ, inter malleum, & incudem, decurrit chorda nervoſa, ex pari quinto, & ſeptimo cerebri proveniens, ita locata, ut motu horum oſſiculorum commoveatur. Hanc vocant *Chordam tympani*.

Vaſa tympani. 949. Tympanum arterias habet a carotide, quæ per ſpeciale foramen tympanum intrat: venas, quæ in unum truncum coalitæ exonerant ſanguinem in diverticulum venæ jugularis: nervos a portione dura nervi auditorii, cujus ramus per aquæ ductum Fallopii huc fertur.

Tuba Euſtachiana. 950. Inter tympani cavitatem, & fauces eſt communis canalis, quem vocant *Tubam Euſtachianam*, ab utraque parte amplior, in medio anguſtior, in-

incipiens ex tympano prope membranam tympani, & desinens in fauces pone tonsillas: pars autem respiciens ossea, reliqua cartilaginea; intus membrana tympano, & faucibus communi tegitur. Præbet liberum transitum aeri, & liquori, inter tympanum, & fauces, nisi extremitas in faucibus deglutiendo claudatur.

951. Ad partem superiorem tympani quidam describunt foraminula irregularia, & numero incerta, quæ transmitterent humorem ex encephalo in cavum tympani, & vicissim. *Foramina singularia.*

952. In cavo tympani versus occiput situ verticali ad membranam tympani detegitur *foramen rotundum*, quod est latum orificium unius schalæ cochleæ, intus transversa clauditur membrana. *Foramen rotundum.*

953. Alterum in parte superiore tympani *foramen* est *Ovale*, membrana etiam tectum, cui insistit stapes, cujus ope moveri potest, claudens viam inter vestibulum labyrinthi, & cavum tympani. *Foramen ovale.*

954. In tympano tria numerantur officula, suo periosteo vasculo tecta, ut *Malleus*, cujus manubrium adhæret membranæ tympani, & articulatus per ginglymum cum *Incude*, quod insistit ossi petroso, & altero crure articulatur cum capite *Stapedis* per Arthrodiam: hoc os sua basi insistit membranæ foraminis ovalis, ut motu membranæ tympani, intervenientibus his officulis membrana foraminis ovalis commoveri possit. Præterea alia minutissima officula inveniuntur, Sesamoidea dicenda, ad hunc motum facilitandum, quæ vocantur *Orbiculare*, *Ovatum*, *Lenticulare*, & *Triangulare* ex figura. *Officula auditus.*

955. Officula hæc suis propriis moventur musculis, ut possent pro auditus necessitate moveri, membrana tympani, & foraminis ovalis tendi, & relaxari; numerantur quatuor, *Externus mallei*, *Laxator Tympani*, *Tensor Tympani*, & *Stapedius*. *Musculi interni.*

956. Ultimum sed & præcipuum organi auditus regnum (933. n. 3.) vocatur *Labyrintus*, qui intus cavus in se recipit totum nervum auditorium mollem, hærens in exsculpta cavitate ossis petrosi, sed habet circumnatam crustam propriam, qua distinguitur ab eo osse: intus humore rorido, qui in fœtu rubellus est, madescit. Distinguitur in tres partes; media vocatur *Vestibulum*; una extremitas *Cochlea*, altera *Canales semicirculares*. *Labyrinthus.*

957. Media Labyrinthi cavitas, irregularis figuræ, vocatur *Vestibulum*; ad partem suam inferiorem habet foramen ovale membrana tectum; quinque aperturas pro canalibus tribus semicircularibus; & totidem sed minores pro introitu nervi acoustici; atque unam pro altera scala cochleæ. *Vestibulum Labyrinthi.*

958. Ad partem vestibuli exteriorem inveniuntur tres canales semicirculares, quorum minimus duabus aperturis ellipticis in vestibulum hiat; sed medius, & maximus, coalitu duarum extremitatum in unam communem aperturam, tribus tantum aperturis hiant in vestibulum. *Canales semicirculares.*

959. In opposito vestibuli latere, versus interiora capitis, vestibulo adhæret *Cochlea*, quæ componitur duobus canalibus semicircularibus conicis, duos cum dimidio gyrum facientibus. Duo canales simul sumpti circulares fere sunt, sed per medium septum distinguuntur in duos canales semicirculares. Ampliſſimi sunt versus vestibulum, sed ab altera parte desinunt in mucronem, ut conus cochleæ in modum inflexus. Cavitates hæ vocantur *Scalæ*. Quarum una sua latissima basi hiat in vestibulum; altera vero in cavum tympani, ubi format foramen rotundum (952) membrana tectum. *Cochlea.*

960. Inter duas scalas cochleæ septum est, seu lamina triangularis figuræ, & spiraliter cum cochlea inflexa, *Lamina Spiralis* dicta, cujus pars modiolo proxima est ossea, vel cartilaginea: altera, & exterior pars membranosa, non consistens cum parte duriore in eodem plano, ut fibræ nervi auditorii transverse supra hanc laminam tensæ, quæ dicuntur *Chordæ sonoræ* *Lamina spiralis.*

seu

ſeu *Zonæ*, non tangantur a parte membranoſa laminæ ſpiralis, ſed tamquam per hemocleon, uti in chordis muſicis ſupra marginem portionis duræ hujus laminæ ſuſpenſæ teneantur.

Nervus auditorius.

961. *Nervus Auditorius durus*, & *mollis*, a medulla prolongata provenientes (754), intrant foramen oſſi petroſo inſculptum, quod dicitur perperam *Aquæ ductus Fallopii*. Hoc foramen terminatur in canalem triplicem exitum habentem. Primus eſt in apicem Cochleæ, cui multi ſurculi portionis mollis ingrediuntur, ut nervus hic diſtribuatur per utramque Scalam Cochleæ, quæ hic admodum friabilis, & multis foraminulis pertuſa. Altera pars hujus canalis conducit nervum acouſticum mollem ad veſtibulum labyrinthi, quod intrat, & præbet nervoſam pulpam, qua tota interna labyrinthi ſuperficies obtegitur. Tertius autem exitus hujus canalis eſt pro tranſitu portionis duræ nervi auditorii; hic canalis flexuram facit, dimiſſo auditorio molli, & deſinit in duos alios canales, quorum unus deſinit iterum in cavum encephali, alter autem deſinit ad baſin cranii inter maſtoidem, & ſtyloidem proceſſum. Nervus hic auditorius durus exiens in modum pedis anſerini expanditur, & ad adjacentes partes diſtribuitur, ſed nullæ fibræ ingrediuntur labyrinthum, ut hic nervus non ſit auditus organum.

Sonus.

962. Ut organum deſcriptum ſenſum auditus excitet, naturaliter eſt movendum per aerem tremulum, qui tremor concitatus eſt a corpore ſonoro. Corpora elaſtica concuſſa, vel aer per rimulam actus, vel vehementer agitatus, hunc motum tremulum in aere producunt, qui cito propagatur æquali velocitate cum vento ſecundo quam adverſo, ſed tunc citius exſtinguitur. Tremor ille alia quoque corpora elaſtica contremiſcere facit, præprimis ſi ſint in harmonia, vel in octavo. Tonus autem profundior magis commovet tonum altiorem, quam viciſſim.

Auditus.

963. Sonus ille in aere concitatus, variis Eminentiis (935) & cavitatibus (936) auriculæ in meatum Auditorium (943) determinatus, commovet membranam tympani (946), a cujus altera parte in tympano eſt ſimilis aer, qui commotus agitat membranam foraminis rotundi (952), ut nervus acouſticus in ſcala cochleæ hac (859) commoveatur, quo fit confuſus auditus: tum vero oſſicula auditus (954) ſuis muſculis (955) ita moderantur, ut etiam minima membranæ tympani commotio propagetur per hæc oſſicula ad membranam foraminis ovalis (953) in veſtibulo labyrinthi, unde tunc totus nervus auditorius, per veſtibulum (957) Canales ſemicirculares (958) & alteram ſcalam Cochleæ (959) diſtributus, hunc tremorem percipiat, & nos audire faciat.

964. Cur ablata auricula hebetior auditus?

Quo plures radii ſonori diriguntur in meatum auditorium, ut moveant membranam tympani, eo vividior auditus, quia vero auricula externa multos radios dirigit in meatum, ut patet per tubam acouſticam, vel manum cavam determinantem hos radios, inde ablata Auricula determinante, multi præterlabuntur radii meatum auditorium, ut fiat obſcurior auditus.

Quæſtiones.

965. Unde tanta ſordium copia in meatu auditorio?

Cerumen non ſolum, ſed & reliquus mucoſus in meatu auditorio ſecretus humor, totus non eſt volatilis, ſed exſiccatum ſpiſſamentum ſordium nomine venit, quæ non raro totum meatum implent.

966. Cur meatus auditorius acuto ſenſu donatus, & pilis ornatus?

Ne

Ne meatus auditorius permitteret in ſe ſorditates, vel aliena corpora tranſitum radiorum ſonorum impedientia, ſenſus hic & exigui pili tanquam monitores hic locati fuere, ut liberaretur meatus ab alienis.

967. An pulſatione mallei ad membranam tympani concitatur auditus?

Hæc ſententia ex ſtructuræ ignorantia nata fuit, quoniam malleus adhæret ita membranæ tympani, ut inde nulla expectari poſſit pulſatio.

968. An tympani membrana ſolummodo nata, ut arceat introitum ſordium, & aeris frigidi?

Verus ille eſt uſus hujus membranæ, ſed non ſolus; quoniam hujus adminiculo, & intervenientibus officulis exercetur auditus perfectus. (963)

969. Cur infans recens natus auditu caret?

Organum auditus, non aſſuetum percipere ſonum in fœtu, ſi ſtatim afficeretur, intolerabilem auditum faceret, uti experiuntur, quibus ablata ſurditate meatus reſtituitur audiendi potentia. Inde in meatu auditorio aliquamdiu requiritur poſt nativitatem membrana adſcititia (945), atque oppletur labyrinthus liquore rubello. (956)

970. An fruſtra moliuntur preſſione aeris ad baſin cranii, vel ſternutatione, ſi liquor ex encephalo ſit extrudendus?

Sic elevatur cerebri baſis, impleturque encephalum, ut, ſi liquor alicubi hæreat, is extrudatur per quamcumque aperturam, & ſæpe per aures, ut docet obſervatio practica. (951)

971. Qua via ſanguis, ſanies, pus, ex encephalo feruntur ad fauces, & evacuantur?

In capitis contuſione, aliiſque morbis ſæpe experimur morboſos humores reddi excreatu, nulla mihi videtur patula, niſi per foramina ſingularia (951) in tympanum, & inde per tubam Euſtachianam (950) in fauces.

972. Qua via ducitur fumus ore hauſtus, & per aurem emiſſus?

Non omnibus contingit hoc facere experimentum, quibuſdam vero facile, quibus in membrana tympani eſt hiatus Rivinianus (946) nam fumus tranſmiſſus ex faucibus per Tubam Euſtachianam (950) in cavum tympani, inde duci tunc poteſt per aperturam Rivinianam membranæ tympani in meatum auditorium ut exeat.

973. An aer innatus ſupponendus in cavo tympani?

Qui hoc poſuerunt, neſciverunt cavum tympani per Tubam Euſtachianam aerem communem habere cum aere faucium.

974. An Lamina ſpiralis (960) præcipuum auditus organum?

Multa huic ſententiæ obſtant. 1. Corpora triangularia ex harmonia non contremiſcunt. 2. Corpora elaſtica inter partes molles locata non contremiſcunt. 3. Lamina ſpiralis nimis diſtat a foramine ovali, cui conciliatur præcipua contremiſcentia. 4. Corpora contremiſcentia aliis membranis juncta, ut eſt hæc lamina, amittunt tremorem.

975. An Chordæ, vel Zonæ ſonoræ (960) auditus organum?

Veriſimile videtur, quod hæ chordæ, diverſæ longitudinis, & craſſitudinis ſupra laminam ſpinalem in Cochlea tenſæ, a ſono contremiſcant, forſan inde perceptio Toni varii; ſed quia nervus acouſticus non ſolum hic, ſed & per totum labyrinthum eſt diſperſus, non videntur hæ chordæ ſolæ conſtituere auditus organum.

976. An ſonus fertur per foramen Rotundum (952) vel Ovale (953) ad nervum acouſticum?

Utraque foramina ſpeciali membrana ſunt clauſa; ſed foramen rotundum a ſolo aere tympani moveri poteſt, & communicare poteſt nervo in una ſcala cochleæ: foramen autem ovale præterea commoveri etiam poteſt intervenientibus officulis, & communicat cum toto labyrintho.

977. An contremiſcentia Chordæ tympani (948) audire facit?

Quum chorda hæc non habeat nervum ex auditorio molli, cui audiendi potentia eſt data, vix credi poteſt hanc chordam eſſe auditus organum.

978. Cur ſonitus aurium ſæpe in deglutitione?

Quum muſculus Levator palati mollis, ſeu, ut alii vocant; Salpingoſtaphylinus, in deglutitione movetur, hujus origo quia eſt ex Tuba Euſtachiana, ſatis demonſtrat aerem in ea tuba, vel tympano moveri poſſe, ut ita fiat aurium ſonitus.

CAPUT VIII.

De Morbis Aurium, & Auditus.

Diviſio generalis. 979. QUoniam Auris eſt organum, & Auditus eſt functio, duo genera morborum hic concurrunt, quorum quidam referendi ſunt ad aurem ipſam, alii vero ad Auditum. Sæpe iidem ſunt, ſed vario reſpectu pertractantur.

Aurium morbi. 980. Aures itidem afficiuntur duobus generibus morborum: 1. Qui ſimiles quoque ſunt in aliis partibus, ſed ex ſtructura, & uſu partis diverſam exigunt curationem: 2. qui auribus proprii ſunt. Ex his delibabimus iſtos, qui a Chirurgis tractari ſolent.

Aliena in meatu auditorio. 981. Aliena in meatu auditorio illapſa, vel in eo genita, ſive viventia ſint, ſive corpuſcula mortua, ſi oculo patent, forcipe, vel alio inſtrumento auriculari apto eximenda: cavendum ne multum lædatur meatus ob exquiſitum ſenſum, & ne protrudatur. Si propter parvitatem eximi nequeunt, auri immittitur bacillus, vel ſtilus linteo carpto obvolutus, quod recipit parum terebinthinæ, cui intricati pulviſculi, vel inſecta adhærentia, eximuntur. Si vero oculis non patent, molli, & tepida *Injectione* auris aliquoties eluenda; ita etiam eluitur ſimul acris humor, ſi intus hæreat. Adjuvatur forti preſſione aeris naribus clauſis, vel & ſternutatione.

Evacuatio per aurem. 982. Poſt parotides, capitis contuſionem, ſuppurationem, dolorem, ſoporem, ſyncopen, vertiginem, in morbis catarrhoſis, ardentibus, febribus continuis, per Aures interdum cum ſummo levamine evacuatur pus, ichor, & alii humores pro morbi materia. Semper autem timorem ſurditatis inferunt, & ſæpe corrodendo magnum inferunt dolorem. Naturale eſt infantibus, & pueris ut aures humorem fundant.

Curatio. 983. Quoniam ſalubris eſt ſæpe talis evacuatio, ea non eſt cohibenda. Si vero humor effluens ſit acrior, meatus auditorius aliquoties eſt eluendus *Lavamento molli*, & auris tegenda *Cataplaſmate molli anodyno*. Si vero materia ſit tenacior, & fœtens, lavamentum magis adſtergens, & antiſepticum adhibendum.

Otalgia. 984. Auris dolor ob ſenſilitatem meatus auditorii, & quia cerebro proxime adjacet, non caret periculo: intolerabilis fere eſt, & non raro ad inſaniam deducit. Quum ex variis naſcatur cauſis, curatio ad iſtas eſt dirigenda. 1. Si ſit *Humor acris catharroſus* dolorem inferens, Auris eluenda *Lavamento molli*, & munienda *fotu anodyno*, dum per *veſicatoria* ſcapulis applicata, vel, & *purgans* datum, materia aliunde derivetur. 2. *Inflammatio* inducit dolorem intolerabilem, qui interdum ſeptimo die necat, niſi præveniatur hemorrhagia, vel puris evacuatione, ſtatim applicanda *fomenta laxantia antiphlogiſtica*, vena ſecanda, & alvus ducenda *purgante antiphlogiſtico*, & in ſummo urgente dolore applicanda *Anodyna*. 3. *Eryſipelas* autem inferens dolorem magis *refrigerantia*, & *adſtringentia* topica exigit: quibus *Narcotica* admiſceri poſſunt ſi dolor urget. 4. Dolor ex *Ulcere* intus latente tollendus *Abſtergentibus conſolidantibus* 5. Dolor relictus poſt eductionem rerum alienarum, vel privatione ſmegmatis, aut ceruminis applicatione, & injectione *oleoſi mollis* lenitur.

985.

985. Si in morbis acutis, phthiſi, maraſmo, & ſumma debilitate fiant aures frigidæ, pellucidæ, inverſæ, pallidæ, denotantes jam incipere ſubſiſtere circulationem, utplurimum mors oſtia pulſat. *Aurium obſervatio in morbis.*

De Morbis Auditus.

986. Auditus, ut aliæ functiones, 1. minuitur ſeu aboletur; 2. augetur, ſeu fit intolerabilis; 3. & depravatur.

987. Si homo percipere nequit ſonum, qui ab hominibus ſanis percipi poteſt, ſed tamen ſonum validiorem, talis dicitur laborare *gravi Auditu*, *Baryecoia*, ſeu *Hypocophoſi*. Qui vero ne quidem validiorem ſonum percipere poſſunt, dicuntur *Surditate*, ſeu *Cophoſi* laborare. Interdum vero gravior auditus etiam dicitur Surditas. *Auditus minor, & abolitus.*

988. Quum perfecte audiat homo ſi ſonus in aere concitatus tremorem communicet membranæ tympani, & ſucceſſive propaget ad feneſtram ovalem, ut commoveatur auditorius nervus in Labyrintho; minus autem perfecte ſi commoveat nervum in altera ſcala cochleæ, quæ tegitur membrana feneſtræ rotundæ; igitur omnes cauſæ, quæ minuunt copiam radiorum ſonororum, vel impediunt pro parte, vel integre eorum communicationem cum nervo acouſtico, gravioris auditus, & ſurditatis cauſæ ſunt, quæ commodiſſime ſecundum recenſitas partes enumerari poſſunt. *Horum cauſæ.*

989. Auricula externa (934) ablata, tumens in Trago, vel Cochlea externa, aut coaleſcens, parit gravem auditum minuendo ingreſſum radiorum ſonororum: qui tuba acouſtica, diſcuſſione tumoris, vel artificiali facta ſectione eſt reſtituendus. *Vitio Auriculæ.*

990. Si vero meatus auditorius (943) non tranſmittit radios ſonoros ad membranam tympani, alia fit ſpecies ſurditatis. 1. ſi obturetur meatus a cerumine collecto concreto, ſanguine effuſo, & concreto, pure, ſorditate, rebus alienis immiſſis, ea omnia, ſi fieri poſſit, prudenter extrahenda, converſa aure ad radios ſolares, & dilatata forcipe expanſili: ſi vero obturans nimis profunde hæreat, quod ſæpe fit ex cerumine concreto, injiciendus eſt *liquor mollis abſtergens*, commovenda interim auris, & ſæpe repetenda tepida injectio, donec cerumen concretum exeat: qua ſimplici operatione Agyrtæ arcanum jactantes in liquore injecto, ſibi magnam conciliarunt famam. 2. Anguſtior autem factus tumente membrana materia catarrhoſa faciens graviorem auditum, applicatione *diſcutientis*, vel ſimilibus conchæ inditis, reſtituitur auditus. Tumores autem inflammatorii folliculoſi, aliaque in meatu auditorio nata tubercula ſuis appropriatis tollenda, ut concilietur liber tranſitus ſoni ad Tympanum. Si aliena tranſverſe ſit nata membrana, hæc oculis patens pertundenda, atque per turundam apertura ſenſim dilatanda. *Vitio meatus auditorii.*

991. Si vero Tympani membrana (946) calloſa, vel *rigida* ſit facta, incurabilem promittit hypochophoſin. *Rupta* vero, vel ex corroſione, vel ſono validiſſimo, vel vulnere, non ſolum deſtruit officulorum communicationem, verum etiam permittit tympanum impleri cerumine, unde incurabilis perfecta generatur Cophoſis. Si autem *tumidior*, & *immobilior* ſit facta membrana tympani cum pruritu, & calore circa interiora auris, roſionem indicantibus, auris eſt eluenda *molli*, & *leni adſtringente injectione*. *Tumens* autem, & *laxior* membrana graviorem auditum faciens, roboranda *diſcutientibus*; quibus etiam prævenitur ſurditas per intervalla recurrens a materia catarrhoſa. Si his autem non cedat, veſicatoria proximis partibus applicari debent, ut derivetur humor. *Vitio membranæ tympani.*

992. In Tympano (947) multæ poſſunt latitare cauſæ ſurditatem, vel gravem auditum inferentes. Tota enim intus cavitas epithelio tegitur, quod *A Morbis Tympani.*

ſimili modo, ut membrana tympani, & meatus auditorii, tumere poteſt, iiſdem ſignis detegendum, & auxiliis curandum. Poſſunt etiam *Membranæ foraminis ovalis*, & *rotundi* lacerari, & occalleſcere præbentes incurabilem ſurditatem. Sed ſi cavitas ſit plena humoribus, illi per *Tubam Euſtachianam* ſunt exonerandi; ſæpe hic colliguntur, quia tuba illa in faucibus a tumore eſt compreſſa, vel anguſtata: quando illi tumores plerumque pituitoſi *gargariſmatibus*, & *fomentis* ſunt diſcutiendi.

Officulorum. 993. Officula (954) autem luxata, fracta, carie conſumta, intercipientia propagationem tremoris ſonori a membrana tympani ad foramen ovale, incurabilem ſurditatem inferunt.

Muſculorum. 994. Muſculos (955) paraliticos factos, non potentes moderari officula, facile concipimus inferre gravem auditum, ſed ſignis vix valemus eruere, niſi ex analogia paralyſis muſculorum adjacentium viſibilium: quando linimenta, fomenta, & epithemata ex *antyparaliticis* auribus, & temporibus ſunt applicanda.

Labyrinthi. 995. Labyrinthum liquoribus plenum, ut nervus acouſticus in eo locatus tremore agitari non poſſit, perfectam inferre ſurditatem, quæ facit non percipi ſonum corporis elaſtici concuſſi dentibus prehenſi, facile concipitur, ſed difficillime curatur.

Nervi auditorii. 996. Sed nervus auditorius pituita oppreſſus, vel alio incumbente liquore, vel inconſtantem ſurditatem inferre poteſt: qui tollitur *diſcuſſo*, vel evacuato illo humore comprimente.

Oxyecoia. 997 Valens autem audiendi facultas non meretur inter morbos recenſeri: ſed ſi inferat dolorem, & moleſtiam (986, N. 2.) quando dicitur *Oxyecoja*, ad morbos pertinet: obſervatur in multis ægris periculoſe decumbentibus, qui omnium ſenſuum modica affectione nimis commoventur: & in iis, quibus ſubito reſtitutus fuit auditus. Evitatio ſoni, & ſimplex aurium obturatio, ad curandum ſufficiunt.

Paracuſis. 998. Auditus vitiati (986, N. 3.) variæ ſunt ſpecies, quæ omnes ad *Paracuſin* referri poſſunt, ut Echo, Suſurrus, Tinnitus, Bombus, Sonitus, quæ omnes ab internis cauſis natæ vix exigunt Chirurgi auxilium, niſi Cerumen meatum auditorium implens hæc mala inferat, cujus curatio tradita eſt. (981)

Quæſtiones. 999. Cur ſurdus natus etiam manet mutus?

Exiſtimarunt nonnulli communem eſſe nervum ad auditum, & loquelam pertinentem, ex cujus obſtructione hæ binæ actiones abolerentur. Sed nervus auditorius mollis nullum dat ſucculum linguæ. Surdi nati ſonum tamen edere poſſunt, ſed inconditum, non vero loqui, niſi arte didicerint. Qui poſtquam loqui potuere fiunt ſurdi, retinent tamen loquendi potentiam. Quare non fit ex nervorum conſenſu: ſed quoniam addiſcimus ex auditu imitari vocem, & ſermonem, qui ſurdus itaque eſt natus, & numquam audivit ſonum, vel ſermonem; hanc actionem imitari nequit.

1000. Cur ſurdi percipiunt ſonum corporis elaſtici dentibus prehenſi?

Si via ſit intercluſa inter aerem ſonorum, & nervum auditorium, in Labyrintho nulla poteſt ope aeris adferri ſoni perceptio: ſed dum partes firmæ tremorem etiam transferunt, hi homines tremorem per continuata oſſa in nervo auditorio percipiunt, modo ille valeat, eo enim diſtructo, ne quidem hac methodo ſonum percipiunt.

1001. Cur in aere nebuloſo gravior auditus?

Duplex hujus phænomeni eſt ratio; aer enim nebuloſus minus transfert radios ſonoros; & laxando organum auditus, iſtud ad percipiendum ſonum ineptius facit.

1002. An ſonitus aurium ab inordinato motu aeris innati in tympano?

Quoniam nullus eſt aer innatus in tympano, utpote aperturam habens per tu-

tubam Euſtachianam, ejus motus inordinatus hujus ſuſurri cauſſa eſſe nequit. Sed ſæpe aures tinniunt ſi meatus eſt obturatus; vel arteriæ in organo auditus ſe validius movent; vel ſi muſculi oſſiculorum inordinate moventur.

1003. An aurium ſonitus in hyſtericis a flatibus?

Aerem aliquo in loco occluſum nullum inſitum habere motum, ut flatum concitare poſſet, iteratis, & firmis experimentis eſt evictum; quare quoque in hoc loco ſonitum edere non poteſt ille aer, niſi a partibus ambientibus agitetur. Sed quoniam Hyſtericæ fibrarum motu inordinato laborant, hic motus, ſi in organo auditus fiat, inſolitum ſonum concitat.

1004. An ex rupta membrana tympani ſurditas, quia aer frigidus ingreditur tympanum?

Quoniam per tubam Euſtachianam naturaliter aer frigidus in tympano venire poteſt, facile concipitur tympani membranæ rupturam propterea non inferre ſurditatem, ſed ea diſrupta ſimul deſtruitur nexus oſſiculorum, & colligitur etiam cerumen in tympano, quarum cauſa una ſufficit ad inducendam ſurditatem.

1005. An ablata membrana tympani remanere poteſt auditus?

Quidam Auctores contendunt, ſe abſtuliſſe membranam tympani, & remanſiſſe audiendi potentiam, in eadem aure. Credo equidem eos detexiſſe, & abſtuliſſe aliquam membranam, ſed potius pelliculam ex muco concretam, remanente auditu: verum quia videri nequit, num ipſa membrana ſit ſublata, & quia ejus ablatione recenſita mala oriuntur, credere non poſſum, veram membranam tympani eſſe ablatam, ſed deceptos fuiſſe Auctores conſpectu hujus pelliculæ concretæ.

1006. Cur fœtus meatum auditorium particulari membrana habet tectum.

Quamdiu fœtus eſt in utero, ejus meatus auditorius ſenſilis, & membrana tympani non potuiſſent ferre liquoris applicationem qui cingit fœtum: atque in lucem prodiens ſtatim non potuiſſet ferre ſonum: cuncta hæc præveniuntur hac membrana claudente meatum auditorium. Quare multa animalia in lucem prodeunt auribus clauſis.

1007. Unde tam validus dolor in Otalgia?

Otalgia ab inflammatione tumere facit membranam meatus auditorii, quę copioſiſſimis nervis eſt inſtructa, valide expanſa, oſſe ſuffulta, & cerebro proxime adjacens, quæ cauſæ accedentes incrementum doloris faciunt.

1008. Unde ſæpe in angina ſurditas?

Ad perfectum auditum requiritur ut tuba Euſtachiana ſit aperta, partim ut communicatio maneat aeris, partim ut liquor ex cavo tympani exonerari poſſit. Si illa clauditur in faucibus per tumorem, ut ſæpe fit in angina, hæc requiſita tolluntur, & ita infertur ſurditas.

1009. Unde exploſionis validæ perceptio ſi in ſurdis ſponte redeat auditus?

Quibus meatus auditorius cerumine concreto obturatus fuit, eo ſenſim magis ſiccato, & contracto, tandem ab uno latere abrumpitur, quæ ſeparatio cum fiat in meatu auditorio, ſonum exploſionis aſſimilat.

CAPUT IX.

De Oculo, & Viſu.

1010. QUartus ſenſus particularis, & quidem omnium ſubtiliſſimus, præſtantiſſimus, vocatur Viſus: quo ſine attactu dignoſcimus corporum figuras, & colores, modo radiis lucidis illuminentur, qualis perceptio nullo alio organo in nobis concitari poteſt. *Viſus quid ſit.*

1011.

Diviſio. 1011. Hæc actio ut intelligatur, & ut cognoſcantur morbi hanc functionem, vel & ejus organum afficientes; 1. Brevis tradenda eſt Lucis proprietas, quæ viſum excitat. 2. Organum ipſum, quod oculum vocamus, Anatomice eſt contemplandum. 3. Denique demonſtrandum quali modo lucis radii in hoc oculo viſum excitant.

De Luce.

Lucis propagatio. 1012. A puncto quovis lucem diſpergente vix menſurabili velocitate diſperguntur lucis radii ſine colore, ſecundum lineam rectam per medium homogeneum pellucidum.

Separatio in colores. 1013. Hi autem radii tranſeuntes per medium non æque denſum, vel ſecundum corpus opacum, quod omnes radios non æqualiter inflectit, vel infringit, ſeparantur radii in ſeptem colores, qui conſpiciuntur in iride, non omnes æquale ſpatium occupantes, & quidam ex his coloratis radiis magis, alii minus infringuntur.

Propagatio inſtar radiorum ſphæræ. 1014. A punto radiante diſperguntur lucis radii æquali copia, tanquam radii a centro ſpheræ ad circumferentiam: ſi portio concipiatur circumferentiæ illuminata, illi tunc radii deſcribunt conum, vel piramidem, cujus baſis eſt circumferentiæ ſphæræ pars, & mucro ſphæræ centrum.

Tranſeuntes per rimulam. 1015. Radii lucis tranſeuntes per rimulam infringuntur, facientes maculam illuminatam coloratam dictis coloribus conſtantem, majorem quam eſt rimulæ amplitudo, quo rimula eſt anguſtior, eo magis infringuntur radii ad proprium latus, in anguſtiſſima rimula medii radii tandem ſuffocantur.

Reflexio a corpore polito. 1016. Radii incidentes in ſuperficiem politam æqualem eodem angulo reflectuntur, cum quo inciderunt, ſine productione coloris: nihil refert quamcumque habet ſuperficies figuram, vel cum quovis angulo incidunt. Unde cognoſcitur reflexio ſupra ſpecula reflectentia convexa, & concava.

A Corpore aſpero. 1017. Si autem corporis ſuperficies admodum ſit inæqualis, nondum vero frangens radios in colores: quæ omnes reddit radios, præbet colorem album; quæ radios ſuffocat, nigrum colorem exhibet. Unde intelligitur, cur parietes albi illuminant magis, & terra nigra plus calet, & facilius accenditur a radiis ſolaribus.

A corpore Colorato. 1018. Radii autem incidentes in corpus quod quoſdam radios reflectit, alios vero ſuffocat; vel tranſeuntes per corpus pellucidum, quoſdam tantum radios tranſmittens, talia corpora dicuntur colorata, etiamſi color non ſit in corpore, ſed in lucis radiis.

Refractio. 1019. Præter radios perpendiculares, omnes radii ex medio leviori denſius intrantes infringuntur verſus perpendiculum: & quo obliquius incidunt, eo major infractio, niſi angulus non ſuperet xv. gradus, quando non intrant. Ex denſiori autem in levius contra.

In ſuperficie convexa. 1020. Radii paralleli, corporis pellucidi ſuperficiem convexam intrantes, fiunt Convergentes. Radii divergentes a puncto radiante venientes, in ſimilem ſuperficiem incidentes, vel colliguntur in uno foco, vel fiunt paralleli, vel minus divergentes, prout punctum radians magis minuſque eſt diſtans.

In ſuperficie concava. 1021. Superficiem autem concavam intrantes radii contrario modo infringuntur: nam paralleli fiunt divergentes: ex puncto radiante extra centrum concavitatis venientes, magis divergentes fiunt: ex centro venientes non infringuntur: intra centrum ex puncto radiante venientes fiunt convergentes.

In ſuperficie plana. 1022. Radii tranſeuntes per corpus pellucidum denſius utramque planam habens ſuperficiem, incidentes infringuntur ad perpendiculum, & dein exeuntes iterum infringuntur a perpendiculo, adeo ut intrantes, & exeuntes radii ſervent eandem directionem.

Concluſio. 1023. Quibus experimentis conſtat figura varia lentium multis modis radios

infrin-

infringi poſſe: atque infractionem fieri per attractionem radiorum a corpore denſiore, non vero per repulſionem.

De Oculo.

1024. Oculi nomen duo genera partium complectitur. 1. Organum ipſum, quod lucis radios recipit, viſum excitat, hoc nomine Bulbi venit. 2. Reliquas partes omnes, quæ hunc Bulbum dirigunt, & tutantur. *Diviſio.*

1025. Corpus globoſum, ad utrumque latus radicis narium unum, fovea oſſea receptum, & munitum, fere perfecte ſphæricum, niſi quod in parte anteriore cornea dicta $\frac{1}{3}$ parte lineæ ſit longior per majorem corneæ convexitatem, cujus axis in homine eſt circiter XI. linearum, in parte anteriore vario colore inſigne vocatur *Bulbus Oculi*, conſtans partibus firmis, & humoribus, quæ diſtinctis locis ſunt tradendæ. *Bulbus.*

1026. Remotis palpebris, in ambitu pupillæ conſpicitur membrana alba, vaſculis multis exiliſſimis, & nervis ornata, quæ admodum elongari, & accurtari poteſt ſine rugis, circumquaque margini orbitæ oſſeæ, & epithelio palpebrarum in ambitu nexa, ut oculi bulbus ad quamcumque directionem potuiſſet moveri, & tamen firmari, quæ vocatur *Adnata*, & *Albuginea Tunica*, vel & *Album oculi*. *Adnata tunica.*

1027. A quibuſdam ſub albuginea numeratur alia ex tendinibus muſculorum nata, quam *Tendineam*, & *Innominatam* appellant: hanc dicunt laminam pellucidam etiam præbere corneæ: ſed quoniam laminæ membranoſæ nexu intricatiſſimo ſunt cohærentes, hæc admitti, & repudiari poteſt ſententia. *Tendinea tunica.*

1028. Totus oculi bulbus cingitur, formatur, & firmatur membrana ſatis craſſa, & firma, inde *Sclerotica* dicta, quæ conſtat ſtamine ſolido fibroſo, arteriis, venis lymphaticis, & nervis donato, nullibi pellucido, niſi in parte anteriore, quæ pars vocatur cornea. Tranſmittit Nervum Opticum, & alios, qui Ciliares vocantur, arterias atque venas ad contenta in oculi bulbo: firmat tendines muſculorum bulbum moventium. Capſula nervi optici in hanc tunicam evaneſcit; alii contendunt ex ea formari. Hujus tunicæ durities per impletionem humorum oculorum fit major, quam ex propria ſubſtantia habet. Interne præbet fulcimentum ligamento, & proceſſui ciliari. *Sclerotica.*

1029. Pars anterior ſcleroticæ pellucida vocatur *Cornea*, cujus paulo major eminentia quam reliquæ ſcleroticæ: quam deſcribit ſegmentum, cujus axis circiter eſt VII. linearum, dum reliqua pars bulbi ſit XI. (1025). Extenſa retinetur a ſubjacente humore aqueo. In animalibus tunicata inſtar cepæ, ſed in homine demonſtrari nequit. Non conſtat inter Anatomicos, num formetur ex ſola ſclerotica, an vero inſuper etiam ab obtegente tunica tendinea (1027) & adnata (1026). Tota pellucida, tranſmittit radios lucidos ad interiora oculi. *Cornea.*

1030. Ad internam concavam ſuperficiem ſcleroticæ laxe adhæret tunica admodum vaſculoſa, *Choroides* dicta, in cujus parte exteriore, Celluloſa dicta, locantur vaſcula, ne turbetur retinæ perceptio, quæ vaſcula verſus interiorem ſuperficiem locata magis ſunt, decurrunt ſparſo ordine, alia vero exteriora radiatim diſperguntur, quam ob rem pars hujus interna nominata fuit *Ruyſchiana*. Ubi ingreditur opticus bulbum, parvam aperturam, vix capite aciculæ majorem, habet, per quam intrat medulla nervi optici; tegit totam cavitatem bulbi, uſque ad originem Ligamenti ciliaris, a ſclerotica. Tota interna Choroidis ſuperficies in homine pigmento nigro obducta eſt. Hanc nonnulli derivant a pia matre, alii malunt eſſe membranam particularem ea, vel ſclerotica provenientem. *Choroides.*

1031.

Arachnoidea tunica. 1031. A quibuſdam inter oculi membranas numeratur illa tenuiſſima, pellucidiſſima, quæ in ſuis cellulis coercet humorem vitreum, & Lentem cryſtallinam, quam ob raritatem vocant *Arachnoideam*, cujus originem deducunt a Choroidea, præprimis ubi formatur ligamentum ciliare.

Ciliare ligamentum. 1032. Ad oculi partem anteriorem in toto ambitu interno tunicæ ſcleroticæ provenit orbicularis quædam membrana muſcularis, in cujus medio eſt apertura a lente impleta. Directio hujus a ſclerotica ad Lentem eſt arcuatim ſupra gibboſam annularem protuberantiam humoris vitrei. Firmiter adhæret ſcleroticæ, vix vero Lenti. Componitur fibris orbicularibus, & centralibus, quæ vero arcuatim incedunt, multis nervis arteriis, & venis ex choroidea provenientibus ornata, & pigmento nigro obducta. Quoniam hoc ligamentum tranſverſe per oculi cavitatem eſt protenſum, & arcuatim ſupra humoris vitrei annulum, in ejus media apertura habens Lentem, conſtrictis centralibus fibris complanatur annulus humoris vitrei, & ita elevatur lens verſus corneam, minuſque urgetur in ambitu lens: ſi vero agant circulares, magis comprimitur lens. Utriſque fibris ſimul agentibus trahitur ſclerotica ad interiora, & ita contenti liquores magis preſſi elevant magiſque convexam faciuut corneam. Ligamenti hujus igitur ope mutari poteſt figura, & ſitus lentis, corneaque magis minuſque fieri convexa, ut bulbus poſſit vario modo mutare focum radiorum lucis incidentium.

Uvea. 1033. Ab eodem ambitu, ſed paulo anterius, tunicæ ſcleroticæ, ubi incipit ligamentum ciliare, alia naſcitur expanſio membranoſa orbicularis *Tunica Uvea* dicta, in medio etiam habens aperturam, quæ vocatur *Pupilla*. Hæc membrana ita eſt ſub cornea prætenſa, ut cavitatem humore aqueo plenam diſtinguat in *Cameram* anteriorem majorem, & poſteriorem minorem. Conſtat fibris centralibus, & quibuſdam orbicularibus, quarum ope apertura media pupilla dicta anguſtari, & ampliari poteſt. Hujus uveæ externa ſuperficies per corneam viſibilis, coloribus variis ornata, vocatur *Iris*. Interna autem ſuperficies atro pigmento obducta, verſus ligamentum ciliare reſpiciens, dicitur *Proceſſus ciliaris*. Fibris centralibus contractis dilatabitur pupilla, ut plures ingredi poſſent radii lucis, veluti in tenebris: ſed contractis orbicularibus fit pupilla anguſtior, quemadmodum in luce clariore.

Retina. 1034. Denique in oculi fundo locata invenitur pulpoſa membrana, in fundo oculi craſſiſſima, ſenſim accedens ad originem Ligamenti ciliaris magis extenuata, conſtans duplici lamina; interiore albicante, tenui, fibroſa, pellucida, & vaſculoſa; exterior autem eſt ipſa pulpa nervi optici ita expanſa, vix adhærens choroideæ, ſed in ſitu conſervata, blanda æquali ſuſtentatione humoris vitrei.

Humor vitreus. 1035. In poſteriore hujus bulbi parte *Humor Vitreus* dictus $\frac{2}{3}$ vel $\frac{3}{4}$ partes implens invenitur: qui continetur, & firmatur, ut denſior videatur humore aqueo, cellulis tunicæ Arachnoideæ (1031). In parte poſteriore ſphæricam figuram habet, qua æqualiter, & blande ſuſtentat retinam: anterius figura magis complanata, tamquam ſegmentum a ſphæra eſſet abſciſſum. Hac in parte ad totum ambitum ſub ligamento ciliari protuberantiam annularem habet; in ejus autem centro eſt fovea, quæ recipit Lentem, ut maneat in certa diſtantia a retina, & varia compreſſione humoris vitrei potuiſſet anterius, & poſterius moveri.

Lens. 1036. In fovea partis anterioris humoris vitrei *Humor Chryſtallinus*, ſeu ex figura *Lens*, hæret, conſtans veluti duobus ſegmentis ſphæricis conjunctis, ut lens ſit ab utraque parte convexa: in multis animalibus ex ſuperimpoſitis lamellis inſtar cepæ componitur, ſed in homine adhuc non eſt detecta ea fabrica: neque vaſa artificioſa injectione impleri potuere. Paulo majorem firmitatem habet quam humor vitreus, cui per exiliſſima vaſcula pellucida cohæret. Credibile eſt fibrillas pellucidas lentis aliquem quoque exercere motum,

tum, ut reddatur convexior, & planior.

Aqueus humor.

1037. Spatium in anteriore bulbi parte ſub cornea relictum, implet humor limpidiſſimus, inſtar aquæ puræ fluxilis, inde *Humor aqueus* dictus, Minus autem pellucidus in ſenibus, & recens natis; effuſus per aperturam in cornea promte renaſcitur. Poſterius coercetur annulo humoris vitrei ligamento ciliari tecto, & lente cryſtallina, anterius autem cornea: Per medium hujus humoris aquei expanſa hæret uvea, ita ut majus ſpatium ſit inter uveam, & corneam, quod vocatur *Camera anterior*, quam inter uveam, & lentem, quod ſpatium dicitur *Camera poſterior*.

Camera anterior, & poſterior.

1038. Tota camera poſterior ad poſteriorem uveæ, & anteriorem ligamenti faciem, atque etiam margo lentis, quodam pigmento nigro obducta eſt, quod tenax eſt in multis animalibus, ſed facile ablui poteſt in homine arteriis ſecretum, & forſan venis abſorbendum: ſimili quoque pigmento interna bulbi cavitas obtegitur, ut patet ex nigredine pupillæ. Quibuſdam autem animalibus hoc pigmentum eſt coloratum.

Pigmentum nigrum.

Vaſa.

1039. Quum oculi humores omnes continuo ſint ſecernendi & deferendi, ne ſtagnando corrumpantur, omneſque partes vivere, & nutriri debeant, & quædam in oculi bulbo moveri atque in eo exerceri debeat viſus excitatio, cunctis generibus vaſorum eget oculi bulbus.

Nervus opticus.

1040. *Nervus opticus* (750), primarium viſus organum molli principio ex medulla cerebri, diſtinctis locis, ſub ſtriatis corporibus, proveniens, ex utroque latere unus, ad ſe invicem accedentes plerumque coaleſcunt ſub infundibulo. Subſtantia eſt poroſa, quæ vaſis eſt impleta, externe membrana tenui a pia matre proveniente, multis vaſis cruentis ſtipata, cincta. Hi nervi iterum ſecedentes ingredituri foramina rotunda foveæ oſſeæ inſculpta, cinguntur valido involucro vaſis cruentis etiam ſtipato, a dura matre proveniente. Uterque tunc nervus ſuum adiens bulbum, non ad fundum, ſed aliquomodo ad latus verſus naſum, bulbum intrat, & ejus interna medulla, per exiguam aperturam in choroide hic relictam ad cavum bulbi veniens expanditur in membranam retinam (1034), prebens Viſus organum.

Oculi nervus Ciliaris.

1041. Alii autem nervi tenaciores, uti in reliquo corpore ad motum deſtinati, a pari tertio, & quinto provenientes, orbitam per aliam rimam intrantes, ſub oculi bulbo in pinguedine ibidem locata, non longe ab optico conficiunt ganglion, ex quo aliquot furculi nervoſi egredientes, multis, & diſtinctis locis perforant ſcleroticam, inter hanc, & choroidem decurrentes ubi ſunt applanati, quod alibi in nervis non obſervatur: adeunt ligamentum ciliare, ut id, & uvea in ſuis fibris ſpiritus pro motu accipiat.

Arteria.

1042. Duo genera arteriarum a carotidibus internis provenientia adeunt bulbum. Unum genus intrat foramen rotundum cum optico, ſed in quadam particulari fovea huic arteriæ deſtinata. Hæc utplurimum, datis involucro nervi optici, & ſcleroticæ ramulis, in VI. vel VII. ramos diviſa, perforat totidem locis ſcleroticam, & diſtribuitur per Choroidem (1030), in cujus internam ſuperficiem uti in cute, ſed exilioribus extremitatibus, eructat liquorem; ubi ad ligamentum ciliare, & uveam pervenerint, miris modis inoſculantur, ut in Iride duos circulos conficere videantur. Ex iiſdem arteriis ab interna facie ligamenti ciliaris provenientibus, quædam arteriæ lymphaticæ pellucidæ videntur diſtribui per humorem vitreum, quibus arteriis maxima pars humoris vitrei, & aquoſi ſuppeditari videtur, humorque roridus inter Scleroticam, & Choroidem, atque id nigrum pigmentum (1038.). Altera autem arteria, ſeu potius exigui rami arterioſi cum pulpa nervi optici intrant bulbum, inde arteriæ lymphaticæ pellucidæ per Tunicam retinam (1034) diſtribuuntur; atque ramulus pellucidus inde emiſſus tranſit per corpus vitreum donec attingat lentem, ubi radiatim diſpoſiti ramuli pellucidi lentem intrant, quando oculis non amplius aſſequi poſſumus.

Hæ arteriæ videntur lenti ſuppeditare liquorem pellucidum, ad vitam, & motum lentis.

Venæ. 1043. Ut eſt cruentarum, & lymphaticarum arteriarum exitus in bulbo, ita eſt initium venarum; omnis enim adductus humor per arterias, eſt revehendus, non ſolum a nutritione reſtans, ſed & proprii oculorum humores: atque ſi quis liquor per opticum adfertur, iiſdem venulis eſt revehendus. Quare venæ abſorbentes hic videntur patentes quam alibi, & venæ hæ liquore pellucido turgentes facile pro *aquæ ductibus* Nuckii haberi poſſunt.

Oculi partes externæ. 1044. Quum deſcriptus bulbus viſum exerceat, vario modo moveatur, & externe muniatur, priuſquam intelligi poteſt quomodo lucis radii viſum excitant, oculi partes externæ ſunt tradendæ.

Orbita oſſea. 1045. Totus bulbus, omneſque fere partes, quæ ad oculum referuntur *a fovea oſſea* quadam recipiuntur, & muniuntur, cujus figura eſt conica, mucrone reſpiciente interius, ejus autem baſis margine firmo munita, externe hæret in facie ſub fronte inter narium radicem & tempora. Formatur fovea hæc variis oſſium lamellis 1. oſſis frontis, 2. multiformis, 3. Jugalis, 4. Maxillaris ſuperioris, 5. toto oſſe plano, 6. oſſe unguis. 7. Mucro foveæ ab altero proceſſu oſſis multiformis. Tota hujus interna ſuperficies tegitur perioſteo, vel pericranio. Omnes hæ lamellæ admodum ſunt tenues. In mucrone hujus foveæ invenitur foramen rotundum, quod tranſmittit nervum opticum: paulo ante inferius eſt alterum foramen, quod vocant lacerum, inferius rotundum, ſed ad latus, & ſuperius in rimam deſinens, per quod in orbitam intrant nervi, & vaſa partibus oculi inſervientia: nervus a quinto pari proveniens ſupra bulbum decurrens iterum exit per foramen in oſſe frontis ſub ſuperciliis, ut diſtribuatur per frontem.

Pinguedo. 1046. Mucro foveæ copioſa, & duriore pinguedine impletur, ſuis cellulis recepta, quæ nervos, vaſa, & muſculos tranſmittit, firmat, fulcit, oculique bulbum ſuſtentat pulvinaris inſtar, ſatis longe a mucrone foveæ retinet, lubricat, & facile moveri permittit ſine attritu.

Muſculi oculorum. 1047. Oculi bulbus in homine movetur ſex muſculis, quibus in animalibus accedit ſeptimus. Ex his ſunt quatuor Recti incipientes a margine foraminis rotundi, ubi opticum nervum tanquam in vagina recondunt: hinc recta via ad bulbum delati, dein convexitate bulbi aliquomodo inflexi, ultra bulbi diametrum deſinunt in latum, brevem, & communem tendinem tunicæ ſcleroticæ adhærentem. Horum conſtrictione ad quamcumque directionem trahitur bulbus, ſed omnibus ſimul conſtrictis ad poſteriora complanatur bulbus, urgenturque humores ut elevent corneam. Nomina acquiſiverunt ex uſu. 1. *Attollens*, ſeu *Superbus*. 2. *Deprimens*, ſeu *Humilis*. 3. *Abducens*, ſeu *Indignatorius*. 4. *Adducens*, ſeu *Bibitorius*,

1048. Reliqui duo ſunt Obliqui. 1. *Obliquus ſuperior*, *Trochlearis* dictus, ex parte ſuperiore mucronis foveæ oſſeæ incipiens, anterius ſupra bulbum latus tendineſcens tranſit per annulum limbo foveæ annexum ſupra canthum majorem, hinc reflexus fertur oblique poſterius ultra diametrum bulbi, ad ejus ſuperiorem partem bulbo affigitur: hujus tractione anterius trahitur bulbus, & oblique inferius ducitur pupilla; tegitur hic muſculus ab annulo ad inſertionem quadam vagina. 2. Alter eſt *Obliquus inferior*, *Amatorius* dictus, oritur ex fovea oſſea circa canalem naſalem, hinc oblique deorſum introrſum tendit, & inſeritur parti bulbi exteriori, & poſteriori, inter tendinem muſculi abducentis, & inſertionem nervi optici. Hujus conſtrictione ducitur pupilla oblique ſurſum verſus naſum, & totus bulbus exterius.

Nervus. 1049. Præter Nervum Opticum (1040) & Ciliarem (1041) multi alii nervi per foramen lacerum (1045) ingrediuntur, motui, nutritioni, & vitæ harum partium inſervientes; nam a *pari Tertio* tendunt nervi ad muſculum attollentem, deprimentem, adducentem, & obliquum inferiorem.

Ner-

Nervus patheticus tendit in trochlearem: a *pari Quinto* nervi feruntur ad membranas oculorum, glandulam lachrymalem, ſaccum lachrymalem, & palpebras (1045): a *Sexto pari* nervus tendit in Abducentem.

1050. Anterior bulbi pars tegi poteſt palpebris duabus in utroque oculo, quæ conſtant exterius cuticula, & cute tenui plicatili, ſub qua tunica cellulosa maxime dilatabilis, interne vero membrana acuto ſenſu prædita, perioſteo, & albugineæ continua; multis vaſculis, atque glandulis exiguis *ſubpalpebralibus* dictis, humorem tenuem lachrymoſum fundentibus. Limbi, ſeu *Tarſi* palpebrarum firmantur, & extenſi retinentur ſegmentis cartilagineis. Superior palpebra admodum mobilis, inferior vix motum habet. Palpebræ deſtinatæ ſunt ad tegendos, defendendos, humectandos, abſtergendos, purgandos, lubricandos oculos, præveniunt exſiccationem, & nimiam frigiditatem bulbi. Connivent in majore luce, & in ſomno totum bulbum tegere debent. *Palpebræ.*

1051. Elevatur palpebra ſuperior a muſculo *Elevatore* dicto, qui ab interiore, poſteriore, ſuperiore parte orbitæ, carnoſo, & tenui principio ortus, ſupra attollentem muſculum bulbi anterius delatus, tendine lato & tenui inſeritur Tarſo palpebræ ſuperioris, eamque attollit. Inferior autem palpebra quibuſdam fibris muſcularibus, ex facie diſtributis deorſum trahitur. Clauduntur vero, & corrugantur, atque ad oculi bulbum apprimuntur palpebræ a muſculo *Orbiculari*, qui principium & finem habet in cantho majore, latus eſt & planus, habet ovatam figuram, ſuperior pars ſub ſuperciliis quidem ad canthum minorem extenditur, inferior pars maximam etiam partem genæ occupat. Quædam aliæ fibræ a cantho majore incipientes, ovato inceſſu ad canthum minorem venientes ſe invicem decuſſant. *Palpebrarum muſculi.*

1052. In limbo, ſeu tarſo palpebrarum inveniuntur glandulæ ſebaceæ granuloſæ, Meibomianæ dictæ, ſub linearum albarum forma, ad extremum tarſorum locata, in foraminula, ſeu parva excretoria oſcula, emittentes humorem. Hæ lineæ, circa medium palpebræ longiores, ſunt excretoria collecta dictarum glandularum deponentia materiem inſtar ceræ liquefactæ, quæ cilia fœdat in ſomno, oculos glutinat, & lemas facit. Materia hæc prævenit attritum, excoriationem, atque impedit nimis facilem lachrymarum effluxum ſupra tarſum palpebrarum. *Glandulæ Sebaceæ Meibomii.*

1053. Ex palpebrarum tarſis, ſeu limbis enaſcuntur pili rigidi erecti, ſeriatim nati, qui *Cilia*, & *Cilii* dicuntur; ex ſuis propriis bulbillis in tarſo palpebrarum locatis proveniunt, nobiſcum naſcuntur, & raro ultra ſolitam longitudinem excreſcunt, ut præſcindi debeant; qui ex tarſo palpebræ ſuperioris proveniunt ſurſum incurvantur, ex inferiore vero palpebra deorſum, ita muniunt oculi bulbum, ut nihil alieni illabi poſſit. *Cilia.*

1054. Arcus piloſus ſupra marginem orbitæ oſſeæ, ex pilis tempora verſus reſpicientibus, cuti craſſiori, cui pinguedo copioſior ſubjacet, ut bene emineat, factus, ſupra oculum utrumque, *ſupercilia* dicuntur. Superciliorum partes verſus naſum vocant *Caput*, partes ad tempora ſpectantes *Caudam*; locum medium inter dicta capita *Glabellam*. Supercilia arcent ſordes, & ſudores a fronte venientes ne in oculum prolabantur: deorſum tracta oculis umbram præbent in majore luce. *Supercilia.*

1055. Ita conſtringuntur ſupercilia a *Corrugatore ſuperciliorum*, qui incipit ab ea oſſis frontis parte, qua formatur radix narium, arcuatim ſub ſuperciliis procedens, deſinit in ſuperiorem partem Orbicularis palpebræ, ita in canthum minorem ambit, nectitur cuti interveniente panniculo adipoſo. Elevantur vero ſupercilia a muſculo frontali, ſeu *Levatore ſuperciliorum*, qui eſt portio Epicranii; quo muſculo conſtricto ſimul corrugatur frons. *Superciliorum muſculi.*

1056. Ex concurſu palpebrarum duo formantur anguli, qui dicuntur *Canthi*; *Anguli oculorum.*

thi; interior verſus naſum vocatur *Canthus major*; oppoſitus autem verſus tempora *Canthus minor*.

Caruncula lachrymalis. 1057. Canthus minor nihil memorabile continet, ſed in cantho majore, apertis palpebris, conſpicitur rubra, oblonga, carnei coloris caruncula, tunica adnata tecta, intus folliculoſa, ſecernens ſmegma paulo ſpiſſius quam ex glandulis Meibomianis, & id per multa exigua foraminula eructantia, atque ex ſingulis quoque parvi enaſcuntur pili. Smegma ſimilem uſum habet ut ſmegma tarſorum.

Semilunaris membrana. 1058. Loco membranæ nictitantis animalium invenitur alia exigua ſemilunaris inter oculi bulbum, & carunculam lachrymalem, confecta ex duplicata tunica adnata, hic collocata in homine, ut converſo oculo ad naſum non occluderentur puncta lachrymalia.

Lachrymalis glandula. 1059. In fovea oſſea oculi ſub cauda ſupercilii ſupra oculi bulbum in loco foveæ magis excavato hæret *glandula lachrymalis*, olim *Innominata* dicta, ex multis glandulis conglomerata, per multa emunctoria eructans liquorem pellucidum, lachrymas dictum, quem fert per multa excretoria ad internam palpebræ ſuperficiem decurrentia, & exonerat ad tarſum palpebræ ſuperioris continuo: habet hæc glandula nervum a quinto pari, qui ab indoctis pro excretorio fuit habitus, tegitur hæc glandula multa pinguedine.

Lachrymalia puncta. 1060. In prominentia quadam exigua utriuſque palpebræ, circa caruncularn lachrymalem, ad limbum interiorem tarſi, invenitur in utraque palpebra orificium ductuli, quod interdum conſtringitur, & operitur, recipiens lachrymas, eaſque conducens in ſaccum lachrymalem.

Lachrymalis ſaccus. 1061. A punctis lachrymalibus duobus his incipiunt duo meatus albicantes, quaſi nervi eſſent latiores quam dicta puncta ad latera caruncularum (1057) pergentes, coeunt in tubum ampliorem, crebris vaſculis cruentis rubeſcentem, qui vocatur *Saccus Lachrymalis*, qui ſaccus munitur oſſea cavitate, oſſi unguis, & proceſſui oſſis maxillaris, qui radicem narium format, inſculpta.

Lachrymalis ductus. 1062. Continuatur hic ſaccus (1061) in lachrymalem ductum, qui vocatur *Canalis naſalis*; hic circa naſi medietatem, ſub oſſe ſpongioſo inferiore, extremo fine aliquantulum contracto, in cavum narium deſinit, in utraque nare unus. In quibuſdam animalibus continuatur ad extrema narium.

Lachrymæ. 1063. Liquor pellucidus, ſubſalſus, mitis, ex glandula lacrymali (1059) & ſubpalpebralibus (1050) ſecretus, deſcendens ſupra anteriorem bulbi partem, quam irrigat, humectat, abſtergit, colligitur intra palpebram interiorem, & bulbum, directione palpebrarum ducitur ad puncta lachrymalia (1060), abſorptus intrat ſaccum lachrymalem (1061), denique tranſiens per canalem naſalem (1062), in naribus evaneſcit, ſeu exſiccatur, vel exſtillat. Si vero oculi irritatione; acrimonia lachrymarum; impetu majore ad caput; reditu ſanguinis ex capite impedito; catarrhoſa materia; morbi metaſtaſi; vel animi pathematis copioſiores ſecernantur lachrymæ, ſupra tarſum exſtillant, & turbant faciem; quod etiam fit ſi ſmegma tarſorum deficit; vel puncta lachrymalia, aut ſaccus, aut ductus lachrymalis eſt obſtructus.

De viſu.

Viſus. 1064. Tertia, ſeu ultima pars (1011) hujus exigit expoſitionem, quomodo lucis radii pingunt imaginem in oculi fundo, ut excitetur viſus.

Radiorum collectio. 1065. Lucis radii a puncto lucido venientes, divergentes tanquam a mucrone coni, formant baſin (1014) ſupra corneam (1029): hæc quia pellucida eſt, & convexa, tranſmittens radios ex medio leviori in denſius

(1020), facit ex divergentibus radios convergentes, qui forum formant in cavo bulbi, niſi nimis divergentes accedant.

Cornea convexior.

1066. Quum cornea laxior, quam reliqua ſclerotica, ab omni preſſione, & conſtrictione bulbi redditur convexior. Hoc fit 1. conſtrictis omnibus muſculis incurvate ſupra bulbum tendentibus. 2. Compreſſione palpebrarum ſupra adnatam tunicam, oculis conniventibus. 3. Contractione forſan fibrarum in ſclerotica. 4. Conſtrictione fibrarum centralium ligamenti, & proceſſus ciliaris, dum ſimul ſuſtentantur ab orbicularibus. Ita radii ex proximo puncto radiante venientes colliguntur in foco ad oculi fundum.

Plures, & pauciores radii recepti.

1067. Radii nimis obliqui in corneam incidentes non intrant (1019) pupillam, ut & omnes, qui in iridem (1033), vel pigmentum nigrum cameræ poſterioris (1038) incidunt. Quo ergo cornea planior, atque pupilla major eo plures radii oculum intrant.

Radiorum in oculo refractio.

1068. Tranſeuntes radii corneam ab humore aqueo refringuntur ad perpendiculum, & a lente excepti magis urgentur; ut tandem fiant convergentes, formantes ad oculi fundum focum.

Lentis actio.

1069. Cum numerus radiorum a puncto lucido venientium, reſpondet magnitudini aperturæ iridis, quæ vocatur pupilla, ad plures accipiendos radios, & ad diſtincte videndum, pupilla erat dilatanda; ſed in clariore luce, ut pauciores intrent radii, pupilla erat conſtringenda (1033)

Lentis actio.

1070. Lens cryſtallina (1036) duobus modis propiorem, & remotiorem poteſt formare focum radiorum lucis. Nam 1. planior facta magis diſtantem focum facit, ſed convexior facta propiorem focum (1020): hæc mutatio induci poteſt propriis fibris lentis (1036); vel conſtrictione, & relaxatione lineamenti ciliaris (1032) magis minuſque comprimente lentem. 2. Acceſſus, & receſſus a retina facit, ut a puncto radiante ex varia diſtantia focus tamen fiat ſupra retinam; hoc etiam fit actione ligamenti ciliaris, cujus conſtrictione complanatur annulus humoris vitrei (1035), & ita anterius fovea, quæ recipit lentem.

Vitrei humoris actio.

1071. Radii per lentem tranſeuntes, convergentes facti a vitreo humore, recepti (1035) propter fere æqualem cum lente denſitatem, vix mutantur in directione, ſed conceditur ſpatium, ut tranſeuntes radii ſupra oculi fundum in foco colligi poſſint. Quod experimento confirmatur locato oculo, ablata in poſteriore parte ſclerotica, in apertura cameræ obſcuræ.

Retinæ actio.

1072. Quum in ſolo oculi fundo pingantur imagines, ubi hæret Retina tunica (1034) quæ eſt expanſio ſubſtantiæ pulpoſæ nervi optici; hæc tunica verum eſt organum, quod imagines recipit, & ſenſum viſus præbet.

Viſus requiſita.

1073. Ut ergo fiat Viſus, requiritur 1. in cornea, & lente tanta convexitas, & diſtantia a retina, qua radii pupillam tranſeuntes, ſupra retinam colliguntur in foco, adeo ut puncta ſingula corporis lucidi diſperſa ibidem accurate iterum collecta habeantur, quum ante, & poſt hunc focum confuſæ pingantur imagines. 2. Perfecta pelluciditas in cornea tribuſque humoribus, ut radii ad retinam venire poſſint. 3. Talis in oculo mobilitas, ut varia in diſtantia focus formari poſſit, quum non omnes incidentes radii æque ſint divergentes. 4. Sufficiens in Iride dilatatio, & conſtrictio, ne plures, paucioreſve ingrediantur radii, quam ad viſum requiruntur. 5. Tunicæ retinæ mobilitas; quæ pictis in fundo oculi imaginibus moveri poſſit. 6. Liber itus ſpirituum per nervum opticum, ut commotio in retina facta ad ſenſorium deferri poſſit.

Quæſtiones.

1074. Quomodo mutandus eſt oculi bulbus, ut perfecte videamus corpora in varia diſtantia?

Experimenta phyſica in Camera obſcura docent, objecta propiora ad majorem projicere diſtantiam focum, objecta remotiora facere propiorem focum, atque docent, vitra convexa propiorem focum formare; vitra autem pla-

planiora remotiorem focum, ſi objecta ponantur in eadem diſtantia. Ut igitur accurata habeatur imago objectorum in varia diſtantia, vel mutanda eſt lentis convexitas, vel mutanda eſt diſtantia corporis recipientis imaginem a lente. Itaque ut in oculi fundo perfecto pingantur imagines, vel convexitas corneæ, & lentis eſt mutanda, vel bulbus eſt longior faciendus. Quia vero bulbus ad poſteriorem partem pinguedine ſuffultus eſt, & vix aliquam differentiam prominentiæ bulbi in anterioribus obſervamus ad conſpicienda objecta propinqua vel remota: oculi corneæ, & lentis figuræ mutatio hoc bonum præſtare videtur.

1075. An muſculorum actio non poteſt convexiorem, & planiorem facere corneam?

Muſculi bulbum moventes (1047) ad variam directionem quidem vertunt bulbum, ſed ſi omnes ſimul agunt, comprimunt bulbi poſteriorem partem, & quoniam bulbus liquore plenus eſt pars tenuior; & non compreſſa a muſculis, ut eſt cornea, protuberat, & ita convexior redditur, ut propiorem focum faciat.

1076. An Choroidea: vel Retina viſus organum?

Etiamſi ſolo nervo exerceamus ſenſum, nonnulli tamen fuere, qui in tunica choroidea vaſculoſa ſenſuum perceptionem locarunt, quorum argumenta etiamſi aliquam veri ſpeciem præ ſe ferant non exagitemus, quoniam omnia corruunt hoc unice argumento, ſolum nervum ſentire, ex quo formata eſt retina.

1077. Cur myopes utuntur vitris concavis?

In myopia objecta in modica diſtantia locata formant focum in humore vitreo, antequam radii pertingunt retinam, quod fit vel propter nimiam convexitatem lentis, vel corneæ, vel quia lens nimis remota ſit a retina: ut igitur radii lucidi ad longiorem diſtantiam faciant focum, tranſmittendi ſunt per vitrum concavum (1021).

1078. Cur ſenes utuntur vitris convexis?

In ſenibus ſenſim videtur cornea, propter minorem impletionem bulbi, complanari, ut non ſatis fiant convergentes, radii, qui propterea magis convergentes facti per vitrum convexum (1020) ſupra retinam faciunt focum.

1079. An imagines pinguntur ſupra ingreſſum nervi optici?

Experimenta poſiti oculi, poſterius ſclerotica privati, in apertura cameræ obſcuræ, docent, imagines pingi directe in medio fundi, & quoniam nervus opticus (1040) ingreditur bulbum ad latus verſus naſum, imagines pingi nequeunt ſupra optici ingreſſum: neque hoc requiritur, quia ſufficit, ut imagines pingantur ſupra retinam ex pulpa hujus nervi factam.

1080. Cur requiritur Iridis, ſeu pupillæ dilatatio, & conſtrictio?

Experimenta docent, quo plures radii per lentem tranſeunt in camera obſcura, eo vividior imago, & contra: inde quo punctum radians magis eſt illuminatum, quo lens major, & quo propius locatum objectum, eo vividior imago, & viciſſim. Inde, ceteris paribus, dilatatio pupillæ plures radios admittens, vividiorem viſum facit, ſed pupilla conſtricta minus clare videre facit. Hinc fit *Hemeralopia* propter paucitatem radiorum, in quibus pupilla ſatis dilatari nequit: atque *Nyctalopia*, in quibus eſt magna pupillæ dilatatio. Sed quoniam nimiam agitationem ferre non poſſumus in clariorem lucem venientes, & non ſatis cito pupilla conſtringitur, conniventes facimus oculos, & contrahimus ſupercilia, ut oculo faciamus umbram.

1081. Cur objecta remota minus diſtincte videmus quam proxima?

Quum radii a puncto lucido promanantes minuantur in numero, ut diſtantiarum quadrata (1014), quo ergo propiora ſunt locata objecta, modo focum formare poſſint ſupra retinam, eo plures radii ingrediuntur pupillam ad clariorem viſum excitandum: e contra vero in remotioribus ſubjectis,

qua-

quare non ſolum complanatur in hoc caſu cornea ad mutandum focum, ſed & dilatatur pupilla ad plures recipiendos radios.

CAPUT X.

De Viſus, & oculorum Morbis.

1082. NUmerus morborum ingens oculos infeſtantium fecit in pertractatione confuſionem, & intellectum difficilem, præprimis quum ex phænomenis multa ſint impoſita nomina eandem rem indicantia. Ut igitur ordine tradantur ſequemur oculi partes firmas, & liquidas, in quibus ſimul tradentur generales, & ſpeciales functiones læſæ. *Diviſio.*

1083. Totus Bulbus (1025) poteſt 1. mutari in figura: ſi reddatur ovata longior, generatur *Myopia*; ſi autem ſit brevior a cornea ad fundum generatur *Presbyopia*; qui morbi ſolis vitris concavis, vel convexis emendari poſſunt. 2. Si vero nimio incremento pinguedinis, aut tumore nato in fovea oſſea, aut nimia impletione vaſorum, bulbus pellitur extra orbitam, vocatur *Ecpieſmos*. Ab extrudente cauſa curatio eſt deducenda. Nimia autem conſumtio pinguedinis, & defectus humorum bulbum implentium, faciunt oculi *Marcorem*, & oculos *concavos*. 3. Muſculorum autem convulſio, paralyſis, aut inæqualis longitudo *Strabiſmum* facit, machina una apertura pertuſa ante oculum geſtata emendandum. 4. Si autem oculus deficiat, oculo artificiali locus eſt implendus. *Morbus Bulbi.*

1084. Quum ſclerotica tunica (1028) multis arteriis, & nervis ſit ornata, hujus inflammatio, & eryſipelas, non ſolum doloroſam generat *Ophthalmiam*, ſed & corneam extra modum tumere facit, ut videatur *Oculus Elephantinus*. Statim per venæ ſectionem, & *purgantia antiphlogiſtica* minuendus eſt ad oculum impetus; ſimulque oculis inſtillare *collyria*, & applicare *epithemata*, & *cataplaſmata antiphlogiſtica*: ſi vero dolor nimis urget, adhibenda *Anodyna*. *Sclerotiæ Inflammatio.*

1085. Cornea tunica (1029) nimis convexa etiam generat *Myopiam*; at planior *Presbyopiam*, ſolis vitris concavis, vel convexis corrigendam. 2. Amiſſa autem Pelluciditas, quod vaſa pellucida impleantur dilatata magis liquore pellucido obſcurum viſum facit: quamdiu omnino non eſt exſtincta pelluciditas vocatur *Nebula*: ſed vaſcula non pellucidis humoribus magis impleta pariunt *Albuginem*, ſeu *Leucoma*: applicatione, & inſtillatione *Reſolventium*, *abſtergentium*, & *adſtringentium*, ut diſcutiatur receptus humor, & vaſcula contrahantur, curandum. 3. *Macula* autem facta ex relicta in cornea cicatrice difficulter elui poterit, ejus tentanda eſt diminutio leniter *abſtergentibus*. 4. Humor tenuis acer parvas faciens *Veſiculas aquoſas*, quas *Phlyctænas* vocant, exigit *Adſtringentia*: & ſi ad margines corneæ hærent, acuto inſtrumento pertundi poſſunt, & dein ſimilibus adſtringentibus curari. 5. Cornea vel Rupta, vel ſauciata effundit contentum humorem aqueum, qui brevi tempore renaſcitur conſolidata apertura. Si vero aliquid de Uvea, vel Lente, vel humore Vitreo, promineat, ex figura prominentiæ varia ſunt data nomina, Parva eminentia muſcæ caput referens *Myocephalon* vocatur. Paulo major eminentia, acino uvæ ſimilis, dicitur *Staphyloma*, ſeu *Uvatio*. Maxima autem prominentia dicitur *Pomum*, ſeu *Malum*. Si vero prominens pars eſt durior, vocatur *Helos*, ſeu *Clavus*. In omnibus his, inſenda, & applicanda *Adſtringentia conſolidantia* cum artificiali preſſione, ut prominentia minuatur, & curetur apertura, utplurimum tamen remanebit cœcitas. Si non cedit his, prudenter eſt abſcindendum. *Corneæ morbi.*

1086. Quum in tunica Choroide (1030) copioſiſſima ſint vaſa, horum nimia impletio reddit oculos truces, ſcintillantes, & protuberantes. Si con- *Choroidis morbi.*

ci-

cipiat Inflammationem, vel Eryſipelas, horrendam *Ophthalmiam*, cum maxima bulbi intumeſcentia, & dolore, parit, in qua ſeveriſſime omnia ſunt facienda, quæ ſuperius (1084) tradita ſunt. Si autem abeat in ſuppurationem, pus colligitur in camera aquei humoris, & generat *Hypopyon*, quod etiam *Pyoſis* vocatur, ſed perperam *Onyx*. Pus hoc protinus eſt diſſipandum epithematibus, & collyriis *Reſolventibus*, & *Diſcutientibus*, atque modica frictione oculi, & corporis concuſſione: Si vero diſcuti nequit, parva apertura eſt facienda in inferiore corneæ parte, prope tunicam adnatam, quæ emittit pus cum humore aqueo: dein conſolidantibus curanda læſio iis, quæ in Staphylomate (1085) tradita ſunt. Simili modo etiam curatus cruor in bulbo effuſus.

Uveæ morbi. 1087. Uvea multis etiam arteriis in circulo collectis ornata ſimili modo ut choroides *Ophthalmiam*, *Hypopyon* generare poteſt, qui morbi eandem exigunt curationem. Si fibræ orbiculares hujus nimis ſint conſtrictæ, ut habeatur pupilla anguſtior, generatur *Hemeralopia*: fibræ vero centrales nimis conſtrictæ, ut pupilla latior tot recipiat radios, quos retina ferre nequit ſine dolore, generant *Nyctalopiam*. Sed latior relaxatis centralibus fibris Pupilla, cum viſus hebetudine, vocatur *Mydriaſis*, Magna contractio, & dimiſſio in his fibris, ut ampliſſima, & anguſtiſſima poſſit fieri pupilla, facit ut quædam animalia, & nocte, & die videre poſſint.

Aquei humoris morbi. 1088. Humor aqueus (1073) copioſior, cameras, & oculi corneam diſtendens, quod non ſatis abſorbeatur *Hydrophthalmiam* generat, *Diſcutientibus* abigendam. 2. Ejus autem minor ſecretio Oculos concavos, & corrugatos, facit. 3. Hujus perfecta pelluciditas ſi obfuſcari incipit, ac ſi alius humor minus pellucidus humori aqueo eſſet affuſus, recte vocari poteſt *Suffuſio*, ſeu *Hypochymoſis*, quæ nomina utplurimum cum Cataracta confunduntur. Inæqualis autem permiſtio humoris minus pellucidi facit *Nebulam*. Humor autem hic in membranulam concretus, plerumque uveæ adhærentem, format ſpeciem *Cataractæ*, quæ uveæ ſi adhæret vix tolli poteſt operatione Chirurgica. Quum vero ex phænomenis impoſita ſint nomina, atque Cornea, aqueus humor, & Lens ſit pellucida, facile hic in aſſignando loco error committi poteſt. Si talis incipiat fieri *Suffuſio*, humoris concreti ſolutio eſt tentanda *reſolventibus*.

Lentis morbi. 1089. Dum lens Cryſtallina (1036) e ſua ſede dimovetur, quod raro fit, niſi poſt operationem cataractæ, ejus locus ab humore vitreo minus ſolido occupatur, facitque *Presbyopiam*, vitro convexo ſuccurrendam. Ejus autem amiſſa pelluciditas frequentiſſima eſt *Cataractæ* cauſa, ut oculi congelati ſectio in his morbis docuit, ſola operatione chirurgica curandæ, cum eo uſque pertingere nequeant vires medicamenti applicati.

Cataractæ operatio. 1090. Si in homine adulto, pone corneam, in nigra pupilla conſpicitur corpus albicans inſtar perlæ coloris, omni pelluciditate carens, permittens pupillæ conſtrictionem, & dilatationem ſi demulcetur oculus, ut conſtet uveæ non adhærere; ægerque ex fortiori bulbi pertractatione quaſi videat ſcintillas, ut conſtet opticum eſſe ſanum; oculus præterea, & totus homo ſanus. Tunc operator ita directe oppoſitus hæreat ægro, ut ſedeat paulo magis elevatus, retento capite ægri immobili a miniſtro, & oculo ægri luci oppoſito: quod ſi in ſiniſtro oculo tollenda eſt cataracta, utatur dextra manu, qua dirigat acum cuſpidatam ad mucronem latiorem, ſiniſtra manu teneat palpebras apertas: ſi vero in oculo dextro operatio eſt facienda, dirigat acum manu ſiniſtra, & dextra teneat palpebras apertas. Monendus tunc æger, ut oculum vertat ad naſum: tunc immittat acum perpendiculariter per tunicam adnatam, & ſcleroticam, ad mediam circiter partem inter iridis ambitum, & canthum minorem. Ut partem oppoſitam bulbi non lædat acus globulo inſtructa eſſe debet, quæ non ultra pollicem diſtat

a cuſ-

a cuſpide. Immiſſa acus dein ita dirigenda, ut cuſpis ſub cornea appareat, ea tunc tentet Operator deprimere Cataractam, quam ibidem aliquamdiu retineat, dein elevet iterum cuſpidem pone corneam. Si tunc ſimul non adſcendat Cataracta, acus extrahi debet; ſed ſi reſurgat, iterum eſt Cataracta deprimenda, donec abſcondita maneat. Si vero comperiat membranam eſſe, ea circum cuſpidem eſt convolvenda, & ita deprimenda: ſi deprimi nequit, in fruſtulas eſt comminuenda, & ita deprimenda. Si nimis adhæreat uveæ, ſufficit in Cataracta facere inciſuram. Poſt operationem oculus tegendus *Epithemate* bis, aut ter de die innovando, & inſtillando *collyrium anodynum*. Æger per ſeptem dies jaceat quietus, caveat ab omni agitatione, & non adſpiciat lucem, ſenſim autem luci eſt exponendus.

Vitrei humoris morbi.

1091. Vitrei humoris abundantia, & defectus ſimiles fere morbos parit, qui in humore aqueo (1088) recenſiti ſunt. Ejus amiſſa pelluciditas generat *Glaucoma*; atque coloris mutatio varios in pupilla colores viſui exhibet. Qui morbi ſi non auſcultant topicis applicatis, vel medicamentis internis ſuperius citatis (1085, & 1088) non ſunt operationibus chirurgicis tentandi.

Retinæ morbi.

1092. Si Tunica retina (1034) in ſuis vaſculis concipit majorem motum, rubras anguillas, ſcintillas, coruſcationes, & ſimilia conſpectui ægri præbet: ejus inflammatio facit valde doloroſam Ophthalmiam internam; Hydatides, vel & alia tubercula multis modis viſum mutant, vel exſtinguunt.

Nervi optici morbi.

1093. Ipſe Nervus Opticus (1040) quum perceptionem viſus deferre debeat, ſine bulbi læſione viſum tamen turbare, exſtinguere poteſt. Illa cæcitatis ſpecies, quam *Amauroſin* vocant, in qua nullus eſt viſus cum pupilla latiore, & pellucida, a vitiato hoc nervo oriri ſolet, qui a materia viſcida plerumque compreſſa in encephalo, vel languidiore motu propellit ſpiritus, quo obſcurationem, vel Amauroſin infert. *Ptarmicis*, *cephalicis*, atque *roborantibus reſolventibus*, fronti, & capiti applicatis, interdum curatur.

Adnatæ tunicæ morbi.

1094. *Tunica adnata* (1029) non ſolum a cauſis internis, ſed & quia externe patet, & multis partibus cohæret, variis generibus morborum corripitur. Si enim ex Inflammatione, vel Eryſipelate rubedinem contraxerit, eam rubedinem vocant *Ophthalmiam*; quæ ſi levis admodum ſit, dicitur *Taraxis*. Hæc rubedo non fundens lachrymas, ſed inducens oculorum ſiccitatem dicitur *Xerophthalmia*, ſeu *Lippitudo arida*. Si hæc rubedo ſimul obtegit corneam, tunc eam vocant *Chemoſin*. Interdum tumens ab inflammatione Adnata tunica facit, ut pupilla veluti in fovea ſit abſcondita. Omnes hæ ſpecies eodem modo, iiſdem auxiliis curandæ, quæ tradita ſunt (1084).

Hypopion.

1095. Ut Hypopyon (1086. & 1087.) notat puris collectionem ſub cornea, ita ex Contuſione vel alia quavis læſione ſi album oculi contineat ſanguinem effuſum, vocatur *Hypopion*, eſtque igitur ſpecies ſugillationis ſeu ecchymoſis. Statim effuſus ſanguis eſt *Dirigendus* & *Reſolvendus* applicatis topicis: ſi autem in ſuppurationem abeat, applicanda & indenda ſunt *Emollientia* & *abſtergentia*. Quibus auxiliis etiam curantur *vulnera* & *ulcera* oculi.

Pterygium.

1096. Ex cantho majore utplurimum, raro enim ab alia parte oritur principium, creſcere incipit quædam membrana, albicantis vel lardi coloris, album oculi obtegens, interdum vero pupillam vel totam anteriorem bulbi partem quod pejus; ſi paucis filamentis adhæret, melius, quam ſi coaleſcit cum oculi albo, hæc membrana ex figura vocatur *Pterygium* & *Ungula*: ſi vero ſit craſſior, multis vaſis cruentis ſtipata ut rubeat, *Panniculis* vocatur. Hujus Pterygii incrementum intercipiendum *Adſtringentibus leniter corrodentibus*, quibus etiam præſens ſæpe conſumitur. Si autem adſit inflammatio aut dolor; aut ſi cancroſa incipiat fieri, non debet his attingi, ſed ut Ophthalmia (1084) tractari. Quando autem medicamentis non cedit, omniſque

malignitatis abſit nota, operatione Chirurgica eſt tollendum. Quæ fit, palpebris remotis & a miniſtro retentis, hamulo acuto tenui laxior pars pterygii prehendenda & tollenda, per partem elevatam trajicienda acus filo ceraceo inſtructa, quo filo attolli poteſt pterygium: moderate ſublatum pterygium ſeparandum phlebotomo vel forfice acutiſſima a ſubjecta cornea & albuginea, ne aliquid adhærens maneat, hoc ſi ob adhæſionem fieri non poſſit, ſatius aliquid adhærens relinquere poſtea conſumendum medicamentis, quam lædere corneam. Cavendum etiam ne ſimul lædatur Caruncula lachrymalis, quia tunc generaretur *Rhyas*. Poſt operationem oculo inſtillandum *Collyrium molle*, & oculus tegendus *epithemate antiphlogiſtico*. Ter vel quater de die innovanda deligatio, ne fiat coaleſcentia.

Aliena illapſa. 1097. Quum adnata tunica ſenſu exquiſitiſſimo ſit donata, non fert ulla aſpera vel acria oculis illapſa, quin magnus concitetur dolor, cum inflammatione ab irritamento. Si illapſum ſit aſperum, oculis patens, eximendum inſtrumento apto, vel ſpongiola humectata & dein expreſſa: ſi autem lateat aſperum, indendus eſt ſub palpebra ſuperiore vel inferiore lapillus Cancri ſiccus, parte plana ad bulbum converſa, hic lachrymas abſorbens ſaturus factus una cum feſtuca vel aſpero adhærente elabi ſolet; ſi prima vice non exit, repeti poteſt immiſſio lapilli; relicta inflammatio ab irritatione *Collyrio molli* compeſcitur facile. Si vero pulvis tenuis vel liquor acris intravit, protinus oculus frequentiſſime eſt abluendus *Collyrio diluente*, donec omne acre ſit ablatum.

Orbitæ oſſeæ morbi. 1098. *Orbita oſſea* (1045) interne faciens Exoſtoſin, vel Cariem contrahens, multum lædit oculum & viſum, cujus tamen curatio ex oſſium morbis eſt petenda.

Pinguedinis. 1099. *Pinguedo* ut alibi in fovea oſſea corrupta multa anomala in bulbo producit ſymptomata: ejus conſumtio oculos admodum cavos reddit: ſed abundans bulbum extrudens *Proptoſin* facit.

Muſculorum bulbi. 1100. Quando muſculi bulbum moventes (1047) inæqualiter oculum unum vel alterum, vel utrumque trahunt, *Strabiſmus* vocatur. Qui ſi oritur ex nativitate curationem reſpuit; ut & ille qui ex longa conſuetudine acquiſitus fuit in adultis; ſed in pueris directione luminis interdum emendatur: ſi fiat ex Convulſione aut paralyſi hujus, illiuſve muſculi, per generalia Nervina his morbis propria, interne data, & ad loca proxima applicata eſt curandus. Ut & motus inſtabilis & frequens Bulbi, qui *Hippos* vocatur.

Glandulæ lachrymalis. 1101. *Innominata glandula* (1059) ſcrophuloſa, ſcirrhoſa, vel alio modo tumens facta, oculum premit, lædit, extrudit & viſum turbat; fundens copioſiores lachrymas oculos plorantes facit; ſed pauciores ſecernens lachrymas facit oculos ſiccos, ſqualentes. Horum morborum curatio ex glandulæ cognito morbo eſt deducenda.

Palpebrarum. 1102. Quum *Palpebræ* variis componantur partibus (1050) diverſis etiam corripiuntur morbis, quorum præcipuos ſecundum dictas partes delibabimus.

Ancyloblepharon. 1103. Interdum, vel ex nativitate, vel ulcere, vel excoriatione, vel combuſtione, ſæpe poſt variolas, tarſi palpebrarum inter ſe concreſcunt, vel palpebra concreſcit cum ſubjecto bulbo, quod vitium vocatur *Ancyloblepharum*. Aliter ſmegma palpebrarum glutinoſius firmiter cohærere facit palpebras. Quare cavendum in combuſtione, variolis, & ulceribus oculorum, ne palpebræ nimis diu relinquantur clauſæ, & oculi immobiles, ſed oculi ſæpe demulcendi & blande movendi, ſæpeque aperiendæ palpebræ, & inſtillandum *molle Collyrium*. Si vero Concretio ſit facta inter palpebras relinquentes parvam aperturam, in ea immittendum ſpecillum ſulcatum quod ducit mucronem ſcalpelli vel forficis, quo accurate ſecando ſeparantur margines palpebrarum coalitæ. Aut fieri poteſt ſcalpello vel forfice globulo munito. Si vero deficit apertura, illa prius prudenter eſt facienda, dein prædicta metho-

thodo procedendum. Poſt ſeparationem portio veſicæ vel membranæ leni *linimento* malaxata interponenda, ne iterum concreſcant. Si vero palpebræ bulbo adhæreant, tentanda ſcalpello obtuſo a bulbo ſeparatio, hoc ſi fieri non poſſit ob firmiorem adhæſionem, ſectione facienda ſeparatio, cavendum ne abſcindantur orificia ductuum lachrymalium in adverſa parte palbebræ ſuperioris; ſi palpebra ſimul adhæreat corneæ, fruſtra ſuſcipietur operatio, cum cicatrix relicta corneam relinquet opacam. Poſt ſeparationem, ſæpe oculus eſt eluendus dicto collyrio, & interponenda membranula dicto linimento, vel ſimplici oleo amygdalarum dulcium malaxata, habens figuram ſemilunarem oculo appropriatam. Si vero glutinis tenacitate tantum cohærent palpebræ, ut ſæpe in variolis, Collyrio molli plumaceola recepto tepide applicato lema eſt malaxanda, & dein removendæ palpebræ, oculus iiſdem eluendus, & dein inter palpebras cum linteo carpto vel quadam membranula, linimentum molle eſt interponendum, quod glutinationem intercipit.

1104. Palpebrarum tunica celluloſa nimis impleta facit *Emphyſema*, quod frequens eſt poſt contuſionem, omnemque læſionem oculorum, in faciei eryſipelate, in Cachecticis, Hydropicis, Catarrhoſis, Chloroſi laborantibus, ille tumor diutius manens, tandem ita laxat & tumere facit palpebram ſuperiorem, ut elevari non poſſit. Talis tumor *Diſcutiendus roborantibus* topicis, ſi adſit ſpecies œdematis, ſed, ſi adjuncta ſit inflammatio vel Eryſipelas, *Diſcutientia refrigerantia* applicanda. Si vero poſt diſcuſſum tumorem nimia remaneat in palpebra cutis *Relaxatio*, quæ oculum obtegit, pars propendens artificioſe abſcindenda, & plaga per ſuturam vel emplaſtro tenaci contrahenda, atque dein ut vulnus palpebræ conſolidanda. Eadem curatione quoque tollitur *Phalangoſis* ſpecies, qua cilia inverſa pungunt ſubjectum bulbum. *Emphyſema.*

1105. Si vero ex Muſculi Elevatoris (1051) Paralyſi palpebra elevari nequit, fruſtra præcedens operatio Chirurgica inſtituitur, ſed quæ paralyſin curant *fronti, & capiti applicanda*, atque juvat attrahere *Errhina*. *Paralyſis palpebrarum.*

1106. Si in glandulis palpebræ naſcatur folliculoſus tumor; ejus ſtatim tentanda eſt *Reſolutio* applicatione emplaſtri, vel unguenti. Si vero non cedat, ſectio tranſverſa eſt facienda, tenſa palpebra, ſupra tumorem, ut totus folliculus eximatur, dein lene *Cauſticum* imponendum quod originem tollit, dein ut ulcus curandum. *Folliculoſus tumor.*

1107. Si tumentes Tarſi palpebrarum ita invertuntur, ut pars interior rubra promineat, turpem generans aſpectum, ille morbus vocatur *Ectropion*, ad curationem exigit *Antiſeptica adſtringentia* in forma linimenti, collyrii & fomenti. *Ectropion.*

1108. Si vero palpebræ ſuperioris pinguendo corruptione conſumta ſit, vel muſculus elevator nimis accurtatus, ut palpebra ſuperior bulbum tegere non poſſit, cornea primo exſiccatur, & tandem omnem pelluciditatem amittit, talis contractio palpebræ vocatur *Lagophtalmos*. Sectio ut ſuadent Chirurgi, cum curatione latæ cicatricis, nihil præſtare poteſt: *fotus molliens* aut *humectans* continuo geſtatus forſan aliquid efficiet. *Lagophtalmos.*

1109. *Sarcoma* autem ex palpebra excreſcens *Leni Corrodente* eſt conſumendum: ſed ſi non cedit operatione chirurgica, ligando ſi fieri poſſit, vel ſcindendo, eſt tollendum. *Sarcoma.*

1110. Si adſit Palpebrarum aſpretudo, *Trachoma* dicta, pruritus, rubedo, ſimileſque morbi, qui ab acrimonia lachrymarum palpebras tumere & dolere faciunt, *molli Collyrio* palpebræ abluendæ, & inungendæ *linimento oculari*; ſi obſtinate maneat, oculus fovendus *fotu emolliente*. *Trachoma.*

1111. Frequentiſſime in glandulis Meibonii (1052.) naſcuntur folliculoſi tumores, qui ſi habeant magnitudinem hordei, dicuntur *Chrite*, quæ tubercula *Glandularum Meibonii morbi.*

cula ſi non ſatis cito matureſcunt, applicandum eſt *maturans*, dein pus maturum exprimendum, atque ſic cito curatur. Si vero folliculoſus tumor parvus contineat materiem albam, & libere hæreat, dicitur *grando*: ſed ſimilis tumor in Tarſo palpebræ durior & aſperior vocatur *Lithiaſis*. Hi tumores folliculoſi raro ad maturitatem deducuntur, ſed ſi ſponte non excidunt, ſectione facta, ſunt eximendi.

Ciliorum morbi.

1112. Pili in tarſis palpebrarum (1053.) creſcentes raro ſi deficiunt poſtulant opem. Sed ſi invertantur, ut oculum pungant, *Phalangoſis* vocatur; Sed ſi inordinate creſcunt, *Trichiaſis* dicitur; aut duplici ſerie naſcuntur, quam affectionem vocant *Diſtrichiaſin*. Propter oculi irritationem, pilorum lædentium ablationem poſtulant; ſed, quia evulſi, vel abſciſſi renaſcuntur, & oculus non fert corrodens, ſuadent optimi Chirurgi inverſos pilos eſſe evellendos, & locum dein tangere acu candente vel aliquo corroſivo, ope penicilli, ut deſtruatur radix.

Palpebrarum vulnera.

1113. In nulla parte citior quam in palpebris requiritur *Vulneris* labiorum adductio, omnium optime hoc fit *Emplaſtris tenacibus*: & quæ vulneri adhibentur debent eſſe *ſiccantia adſtringentia*, totus oculus tegendus *fotu roborante*.

Palpebrarum ulcera.

1114. Palpebrarum *Ulcera*, ob oculi bulbum adjacentem & facilem intumeſcentiam, ſpecialia auxilia exigunt. Si nimis doleant; adhibenda ſunt *Collyria*, *linimenta* & *fomenta anodyna*. Si præbent materiem nimis glutinoſam, adhibenda ſunt *Abſtergentia*. Sed, ſi effluit humor tenuis acer, *Incraſſantia* ſunt applicanda. Si proſerpunt ulcera & temperari nequeunt *adſtringentibus antiſepticis*, tangenda ſunt quodam *cauſtico*.

Lachrymarum morbi.

1115. Per glandulam innominatam (1059.) major ſecretio lachrymarum ſi fiat, quam ut poſſit a punctis lachrymalibus (1060) recipi, ſupra tarſum palpebræ inferioris continuo ſtillantes lachrymæ faciunt *Epiphoram*. Quæ exigit applicationem *Adſtringentium*, atque derivationem per purgantia & fonticulos. Si vero lachrymæ acriores *Pſorophthalmiam*, ſeu *ſcabioſam pruriginem* inferunt, illa ut Trachoma (1110) curanda. Sed lachrymæ pauciores generant *Xeropthalmiam*, quæ *Humectantibus* & *linimento molli* eſt curanda.

Caruncula lachrymalis morbi.

1116. Quoniam Caruncula lachrymalis (1057.) hæret inter oſcula lachrymas abſorbentia, & prope adjacet os unguis, atque externe viſui patet, morbi hanc carunculam efficientes multi ſunt, & varia acceperunt nomina.

Rhyas.

1117. Nam ſi vitio carunculæ impediatur lachrymarum ingreſſus per puncta lachrymalia, quod caruncula hæc ſit ablata operatione pterygii (1096), vel ulcus, vel tumor, comprimat hæc oſcula, lachrymæ ita ſtillantes vocantur *Rhyas*. Si vero tenacitas ſmegmatis viam obſtipat, *abſtergens* ſæpe oculo eſt indendum.

Encanthus.

1118. Si ex Caruncula lachrymali (1057) vel ex ſemilunari membrana (1058) excreſcat fungoſum tuberculum, eum morbum vocant *Encanthidem*. Hæc ſi mitis & benigna, non dolens, ejus tentanda eſt diminutio per *lene adſtringens corrodens*, quo tangendum eſt eminens tuberculum; ſed, ſi non cedat, *fortius* applicandum. Si vero aliquam malignitatis notam habet, abſtinendum.

Anchilops.

1119. Tuberculum circa canthum majorem oculi folliculoſum vel inflammatorium vocant *Anchilopem*. Hoc Tuberculum ſi ſcirrhoſum, *Emplaſtro reſolvente* eſt tegendum: ſed inflammatorium *Emollientia* exigit, ne abeat in abſceſſulum.

Ægilops.

1120. Tuberculum autem diſruptum, externe per eandem, vel novam aperturam fundens pus, ut ſit ulcus apertum, vocatur *Ægilops*. Tunc locus apertus eſt depurandus immittendo *Turundam* ſeu potius Tabellam pyramidalem ex abſtergentibus & conſolidantibus confectam, & locus tegendus emplaſtro vel plumaceolo. Si vero his parfecte depurari nequit, leni *Corrodente* locus eſt depurandus.

1121. Quando per puncta lachrymalia, vel per novam factam aperturam circa canthum majorem, ſponte effluit vel preſſione facta extruditur materia purulenta aut ichoroſa, atque hoc longo tempore durat, ille morbus vocatur *fiſtula lachrymalis*. Sæpe generatur ex præcedente Anchilope vel Ægilope: interdum inſtar ulceris latentis ſenſim naſcitur, præbens poſt ſomnum in cantho majore purulentam materiem. Si iſtud pus ſimul tranſit per canalem naſalem, melius eſt, quam eo canali obſtructo. Quod ſi nova non ſit facta apertura, ſaccus lachrymalis (1061) eſt eluendus injectione *lavamenti abſtergentis*, ope ſiphunculi, in punctum lachrymale (1060) palpebræ inferioris, ut liquor redeat per alterum punctum lachrymale palpebræ ſuperioris, vel canalem naſalem (1062); atque ſpleniis in deligatione comprimendus eſt ſaccus lachrymalis. Qua compreſſione ſola quoque curatur ſaccus lachrymalis aquoſo humore turgens, qui morbus vocatur *Hernia Lachrymalis*. Si vero nova ſit facta apertura, hæc quia amplior facilius non ſolum admittit injectionem præcedentem, ſed quoque permittit indi *Turundam*. Si his curari nequit, ſectio eſt facienda ſupra ſaccum lachrymalem, vel nova facta apertura eſt *Turunda dilatabili* dilatanda, & tunc iiſdem curanda fiſtula, ſimulque applicanda *Digeſtiva*. Quum Caries ſubſit, indenda, quæ *Cariei ſunt propria*, calloſaque latera, vel caro luxurioſa excreſcens minuenda *leni corroſivo*. His ſi non obtemperat, os ſubjectum carioſum urendum ſtylo per cannulam dimiſſo, vel applicatione *corrodentis*, probe munito oculo. Dein, ut in præcedentibus dictum, fiſtula conſolidanda. *Fiſtula lachrymalis.*

1122. Denique non incongruum foret his adjicere duas oculi operationes Chirurgicas, quibus ex oculi bulbo eliciunt ſanguinem, nempe Phlebotomiam, & Scarificationem, *Ophthalmoxyſin* dictam, quia a Chirurgis quibuſdam maxime celebrantur; ſed quia operationes ſunt periculoſæ, moleſtæ & doloroſæ, nunquam niſi in graviſſimo malo, & ſi alia non ſufficiunt, inſtituendæ. Atque in eo caſu tunc præferenda eſt Phlebotomia. *Sanguinis miſſio.*

1123. Cur propinqua & remota, in linea fere recta poſita ſimul diſtincte videri nequeunt? *Quæſtiones.*

Propinqua objecta multo remotiorem a cornea faciunt focum, quam remotiora objecta: & quoniam ſolummodo diſtincte poſſumus videre ſi focus accurate pingatur ſupra retinam, non poſſumus perfecte videre duplicem, vel triplicem focum ſi faciant objecta. (Conf. 1074).

1124. Cur ex tenebris in lucem veniens, dolentem viſum habet: ſed ex luce in tenebras veniens, viſum obſcurum?

In tenebris ſenſim dilatatur pupilla, ſi talis tunc oculus exponitur clariori luci, pupilla tam ſubito non conſtricta, permittit plures radios intrare oculum, quam quos poteſt retina ferre ſine dolore. Si vero in clariori luce admodum conſtricta fuit, talis in tenebris veniens paucos admittit radios: ſed ſi ibidem aliquandiu commoratur, dilatatione pupillæ ſenſim facta, plures recipiens radios melius in tenebris videre poteſt.

1135. An ſtatim poſt cataractæ operationem oculus luci exponendus?

Dum cataracta eſt præſens non adhærens uveæ, quia non agitatur nervus opticus, pupilla ſenſim redditur latior; atque nervus opticus tam longo tempore non agitatus, evadit mobilior, quod experimur in omnibus nervis ſenſuum. Si tunc tollitur cataracta, modo ſimul non turbentur oculi humores, ingredientes radii tunc tangentes retinam doloroſum viſum faciunt & oculum irritant: quare in tali operatione, quamprimum fieri poteſt, oculus eſt obtegendus, & ſenſim paulo majori luci exponendus.

1126. An emiſſione radiorum ex oculis generatur viſus?

In hanc alienam ſententiam non pauci fuere illapſi, antequam experimenta optica per cameram obſcuram contrarium demonſtrarunt, putantes non videre, ſi emiſſi radii impingerent in objecta. Sed, quoniam radii lucidi

non

non emittuntur ex oculo, ſed ex puncto lucido, tota hæc ſententia ſponte corruit.

1127. An viſus alios inficit?

Ex eadem perverſa theoria emiſſionis radiorum quoque deduxerunt, Lippientes conſpectu in aliis generare Lippitudinem; conſpectu aliquem corripi Variolis; menſtruantes ſolo aſpectu inficere ſpeculum, & centena ejuſdem farinæ. Sed ſi tale quid fiat in rebus mortuis, id eſt exhalationi corporis adſcribendum: idem quoque in viventibus, ſed etiam ex animi pathemate.

1128. An mures, feles, noctuæ, veſpertiliones, cæteraque noctivaga, nocte vident a luce in eorum oculis?

Emiſſionem lucis ex oculis refutavimus. Quod autem nocte melius videant, clare patet ſi intueamur eorum oculos: poſſunt enim multo magis conſtringere, & dilatare pupillam, quam alia animalia, ut dilatando pupillam tot radios recipiant, qui viſum in his excitare valent. Forſan in his nervus opticus a debiliori luce facilius movetur, quam in aliis, quod etiam in olfactu obſervavimus.

1129. Cur viſus multiplicatur per vitrum multis planis inſtructum?

Quot ſunt plana in vitro tranſmittente radios; tot quoque in camera obſcura pinguntur imagines ejuſdem objecti: hæ omnes imagines ſupra retinam pictæ referunt toties multiplicata objecta.

1130. Unde muſcarum, floccorum, anguillarum, & rerum aliarum abſentium, viſus?

Quum in viſu percipiamus retinæ agitationem, quæcumque igitur agitant retinam a cauſa interna nobis talia viſui præbent. Frequentiſſime talia, quæ non adſunt, videntur, ſi oculi retina agitatione arteriarum movetur: unde talis viſus in morbis multa præſagit.

1131. An ea diſtincte videri poſſunt, quæ in oculo ſunt, vel ei proxima?

Ad diſtinctum viſum requiritur pictura foci ſupra retinam, qui focus generari nequit ab iis, quæ in oculo ſunt, vel ei proxima; ſed quoniam intercipiunt quoſdam radios, exhibent maculam obſcuratam, vel faciunt obſcuriorem viſum.

1132. Cur in oculis conniventibus, & humidis videntur radii ſurſum, & deorſum ex oculo emanantes, quorum ſuperiores primo exſtinguuntur ſi conamur inferioribus aliquid interponere, & viciſſim?

Tarſi palpebrarum humectati nimis, ut in oculis lachrymantibus, & conniventibus, reflectunt radios ex divergentibus in oppoſitam directionem, adeo, ut radii, qui incidiſſent in partem ſuperiorem bulbi, nunc inverſe ferantur in partem inferiorem: hæc reflexio facit viſum emanantium radiorum, & quidem inverſo ordine; quare ſi exſtinguamus apparentes radios ſuperiores, revera exſtinguimus, qui conſpiciuntur in oculo inferiores, & viciſſim exſtinguendo inferiores apparentes, in oculo exſtinguuntur ſuperiores.

1133. Cur Myopes ſeneſcentes ſenſim remotiora videre valent?

Si per ſenectutem ſenſim fiat minor impletio bulbi, atque contractilitas in fibris ſenſim reddatur languidior, quod ſenibus eſt familiare, oculi cornea ita minus diſtenta redditur planior, atque ita generatur focus propior corneæ, ut radii minus divergentes, qui in juventute nimis corneæ propinquum faciebant focum, nunc remotiorem facientes efficiant, ut ſenſim remotiora objecta focum pingere poſſint ſupra retinam ſeneſcentibus.

1134. Cur malum ſignum ſi pupilla non reddat imaginem?

Corpora convexa polita, & poſterius opaca, uti ſunt talia convexa ſpecula, reddunt ſemper intuentis imaginem. Ita etiam noſtra cornea convexa politiſſima. Sed ſi cornea exſiccetur, aut corrugetur, amittit illam polituram, & ita non

non reddit imagines. Quum in morbis tanta corneę exſiccatio ex peſſima oriatur cauſa, defectus imaginis malum ſignum ſuggerit.

1135. Quomodo aliquis, vi externa lumine privatus, recuperavit viſum per nares?

Hoc miraculum nobis reliquit Plempius, hominem fuiſſe cujus oculi bulbus contuſione ita erat inverſus, ut pupilla fixa hæreret ad canthum majorem, atque ita per cavum narium acceperit radios lucis. Sed fides ſit penes auctorem.

1136. Cur tota bulbi cavitas pigmento nigro obducta?

Duplex videtur ratio. Prima, ne radii ad latera interna bulbi incidentes reflecterentur, & ita confuſam ſupra retinam pingerent imaginem. Secunda, ut ſuffocati radii ſupra retinam majorem in nervo eo exercerent efficaciam.

LIBER VI.

CAPUT I.

De Integumentis Corporis.

Diviſio.

1137. Corpus humanum externe tegitur. 1. Velamentis communibus, quæ dicuntur *Cuticula*; *Cutis*, *Cellularis membrana*, & *Rete Malpighii*. 2. Partem aliquam tegunt *Panniculus carnoſus*, *Ungues*, *Pili*. Hæc, quia variam habent ſtructuram, diverſiſque corripiuntur morbis, ſeorſim ſunt exponenda.

De Cute.

Cutis definitio. Stamen ſolidum.

1138. Tegmen craſſum, tenax, denſum, coriaceum, flexile, extenſile, & contractile, totum corporis ambitum cingens, exterius epidermide tectum, conſtans *Stamine ſolido* fibroſo vaſculoſo; quæ tamen vaſcula hucuſque nulla arte impleri potuere, admodum intricato nexu cohærente, vocatur Cutis.

Vaſa.

1139. Hoc ſtamen ſolidum tam denſe eſt ſtipatum vaſis circulatoriis, & nervis, ut nullum aſſignari poſſit punctum, quin ejus læſio exhibens dolorem, & effuſionem humoris, atque coloris mutatio in morbis quibuſdam, probet omnibus in punctis adeſſe vaſa, atque nervos.

Arteriæ.

1140. Arteriæ in cutis ſubſtantia ſunt exiles: quę enim majores inveniuntur, decurrunt ſub cute in celluloſa membrana. Arteriæ in cute primo per anaſtomoſes tradunt venas; præbent arterias lymphaticas, quæ per injectionem eryſipelas, & inflammationem faciunt augmentum rubedinis; maximam partem papillarum formant; adeunt cryptas; exhibent quædam vaſcula exhalantia, quæ fortiori impletione tranſmittunt ceraceam materiem: forſan ultimæ arteriarum extremitates graciliſſime commutantur in fibras ſtaminis ſolidi.

Venæ.

1141. Quoniam arteria ubique ſociam habet venam, venarum, & arteriarum ſimilis eſt diſtributio in cute, ut ita omnis per arterias allatus humor reduceretur, niſi qui per poros, vel exhalantia vaſa fuit excuſſus: horum autem Exhalantium loco vena per Abſorbentia recipit applicatos humores: quod conſtat prompta exſiccatione humidi applicati, mercurii, cantharidum, purgantium, & aliorum medicamentorum, & venenorum applicatione, quæ ſimiles fere, ac ſi fuiſſent aſſumpta, ſortiuntur effectus.

Nervi.

1142. Nervi ramoſi ſub cute per Cellularem tunicam decurrentes ſi cutem adeant, ita intricantur ſtamini ſolido (1138), ut eorum curſum non am-

amplius perſequi poſſimus; ad omnia tamen puncta cutis eos pervenire, conſtat ex ſenſus perceptione. Crediderunt hucuſque, capſulas nervi abire in reticulum Malpighii, & pulpam in papillas cutaneas molles: ſed accuratius examen docuit, ſtamen ſolidum eſſe ſpeciale organum, & papillas conicas formari ex prominentiis hujus ſtaminis ſolidi, per quæ tubercula ſingula, tria, vel quatuor filamenta nervorum diſtribuuntur. Quæ autem papillæ molles fuere habitę, non ſunt extremitates nervi, ſed materia mucoſa in cryptis concreta. Forſan ex nervis ita in cutim deſinentibus portio ſucci nervoſi, & ſpirituum inviſibiliter exhalat.

Pupillæ nerveæ. 1143. Cutis papillæ tactum exercentes non ſunt pulpoſæ, ut ſtatuerunt hucuſque, ſed ſunt tubercula conica tenacia ex ſtamine ſolido cutis formata, in quibus ordine diſponuntur exhalantia arteriarum, & abſorbentia venarum, cum quibuſdam fibris nervoſis. Quæ papillæ per impletionem arteriæ eriguntur, copioſiores in apicibus digitorum, & ubi perfectus exercetur tactus, quam alibi. In ſtructura vix differunt a papillis in cavitate oris œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum.

Cryptæ. 1144. Ut in cutis ſuperficie eminent papillæ, ita *Cryptæ*, ſeu folliculi, figura ampullæ, in cutis ſubſtantiam deſcendunt, in quibus colligitur materia ſubpinguis, lenteſcens, nigreſcens ad aeris attactum, quæ exprimitur preſſione, & attritu, ſervans cutim flexilem: copioſius collecta, & inſpiſſata hæc materia facit ſorditatem, & furfures cutis; deficiente autem hac piguetudine, cutis contrahit fiſſuras, & aſpretudines. Ubi Crypta externe perforat cutim, etiam aperit epidermidem. Non ubique æqualis eſt copia, copioſiſſimæ in parte capillata, naſo, & ubi pars patitur attritum: In lingua patentiſſimæ inveniuntur cryptæ.

Glandulæ miliares. 1145. Præter dictas cryptas hinc inde ſub cute in Celluloſa tunica hærent *Glandulæ miliares* ex figura dictæ, quæ per emiſſariola, cutim tranſeuntia, aliud genus humorum eructant. Qui recenſitas cryptas pro glandulis miliaribus quoque accipiunt, magnum numerum glandularum miliarium ſtatuunt.

Pori Cutanei. 1146. Cutis multis *Poris*, ſeu ſpiraculis pervia, eſt ad emittendos, & recipiendos humores. 1. arteriarum; 2. venarum; 3. nervorum; 4. pillorum tranſeuntium; 5. emiſſariorum glandularum miliarium; 6. omnium maximi ſunt pori emiſſaria cryptarum; 7. forſan ipſa pinguedo tunicæ celluloſæ per poros tranſſudat. Quam ob rem multiplex genus morborum ex differentia humorum, & organorum in cute generari poteſt.

Quæſtiones. 1147. Cur muci abſterſio admodum doloroſa ſub epidermide apparens in parte combuſta.

Cutis epidermide privata relinquit papillas tactus eminentes nudas, quæ dein obteguntur materia tenaci ſubpingui cryptarum, hanc ſi conamur abſtergere, quum adhæreat nudis nervis, maximum dolorem exhibet.

1148. Quæ differentia inter ſudorem, & perſpirabilem materiem?

Perſpiratio eſt nobis evacuatio naturalis, ſed ſudor ſemper a violentiore cauſa: quare bonos, & malos ſimul educens humores, inferre ſolet debilitatem.

Perſpirabile quoque totum eſt volatile, ſed ſudor, vel ex craſſioribus humoribus elicitus, vel materiem cryptarum ſecum ducens, integre volatilis non eſt, ſed maculam ad corpora polita relinquit.

1149. Cur ſudor æque ex debilitate, quam ex aucto motu generatur?

Motus circulatorius major ita urget extremitates arteriarum in cute deſinentium, ut tranſmittant interdum ſudorem rubellum. Debilitas autem permittens liquationem humorum, & relaxans extremitates exhalantium vaſorum permittit, ut humor tenuis ſub ſudoris forma exeat. Sed tunc obſervatur frigidior, & cuti adhærens, dum a motu majore eſt calidus, & roridus.

1150. Quotuplices humores in eodem cutis loco ſecernuntur?

Etiam-

Etiamſi ſolus ſudor, & inſenſibilis ex cute exhalans materia, ſpecialia obtinuere nomina, multo tamen plures ex cute exeunt humores. Nam 1. exit ex arteriarum extremis in glanduloſo organo, tenuis exhalans humor. 2. Subtilior forſan adhuc ſuppeditatur a nervis, ex eorum capſulis, & fibrillis, 3. ſpiſſior, & lenteſcens, ex cryptis. 4. Specialis autem humor ex glandulis miliaribus. 5. Ipſa denique pinguedo tunicæ cellularis tranſudat. Conf. 1147.

1151. Quibus viis intrant, & abſorbentur cuti applicata?

Humida cuti applicata imbibi, omnia ſuffragantur experimenta (1141): ſed quoniam non demonſtrant Anatomici principia venarum, & cauſa urgens ad introitum non videtur ſufficiens, abſorptio a multis non admittitur. Verum oſcula lacteorum cum non ſint patentiora, & radicum plantarum viventium pori prompte ex terra humiditatem imbibant, hæc abſorptio principiis venarum in cute denegari nequit.

1152. An fruſtra applicantur externa medicamenta ad curandos internos morbos?

Qui negant abſorptionem, ſimul ſtatuunt propterea internos morbos ſanari non poſſe per applicationem externam: verum non tantum ingreſſus per abſorptionem valet producere applicati effectum; ſed & ratione ſtimuli multa præſtare poteſt applicatum externum.

1153. Quid ſunt vermiculi capitulo nigro donati, qui ex cute interdum exprimuntur?

Materia lenteſcens in cryptis (1144) collecta, ubi tangitur externe per aerem nigredine infecta, truſa per anguſtius orificium folliculi, figuram vermiculi capitulo nigro donati æmulatur, falſo pro vermiculis viventibus a quibuſdam habita.

1154. Cur vaſa exhalantia, & nervorum papillæ juxta ſe locata?

Quum nervus ſiccatus amitteret ſenſum, vaſa exhalantia, humidum continuo præbentia, hanc nervi exſiccationem præveniunt.

1155. Cur ſudor ex omnibus corporis partibus non ejuſdem odoris?

Quoniam ſudor ſecum fert humores a folliculis, & glandulis miliaribus, qui varius eſt in diverſis corporis partibus, hi, cum ſudore elevati, varios odores exhibent.

1156. Unde ſordes, & furfures ſponte naſcuntur?

Humor lenteſcens ex cryptis truſus, quia totus non eſt volatilis, ſed & ſiccatus varios colores præbet: hic in cutis ſuperficie concretus ſordes, & furfures exhibet.

De Cuticula.

1157. Quæ pellicula tenuiſſima, ſicciſſima, diverſæ craſſitudinis in variis partibus exiliſſimis filamentis cuti ſubjectæ adhærens, & ab ea facile ſeparabilis combuſtione, cauſticis, cantharidibus, & gangræna, vocatur *Cuticula*, vel *Epidermis*: Multo amplior eſt ipſa cute, quam ob rem cuti adhærens formantur ſulci, qui ad apices digitorum ſpiraliter decurrunt, in quibus quoque locantur oſcula exhalantia; ſub plantis pedum, & in volis manuum etiam in fœtu craſſior: nulla adhuc vaſcula in ea ſunt demonſtrata, ſed tamen adſunt, quæ exhibent illa filamenta, quibus cuti adhæret, ex quibus forſan ſtillat liquor in veſiculis combuſtionis collectus. Interna ſuperficies mollior, & multis foveis a papillis cutaneis impreſſis inæqualis facta, atque per abrupta filamenta. Externe parvis veluti ſquamis exaſperata, & duriora tranſeuntibus pilis videtur duram dare vaginulam. Multis poris eſt pertuſa pro exhalantibus, & abſorbentibus vaſis. Ablata regeneratur ſenſim etiam in magna humiditate. Quoniam ſenſu caret, intercipit nudum attactum papillarum, atque impedit nimiam exſiccationem. *Cuticula.*

De Rete Cutaneo.

Rete Cutaneum. 1158. Inter Cutim, & Cuticulam invenerunt corpus aliquod reticulare, quod ab inventore vocant *Reticulum Malpighii*, multis foraminulis pertusum, natum ab involucris nervorum hic depositis: sed si sedulo hoc examinetur, non est corpus particulare, verum est interna epidermidis superficies, foveis per papillas cutaneas impressis excavata, ut referat reticulum; nam separari nequit ab epidermide. Hac in parte epidermidis locatus est Ætiopum color niger.

De Cellulosa membrana.

Cellulosa tunica. 1159. Inter cutim, & subjectam carnem invenitur tenuis, laxa, cellulosa, admodum dilatabilis membrana, non ubique ejusdem crassitudinis; in obesis crassissima, in macilentis fere evanescens, quæ a Veteribus dicta fuit *Panniculus adiposus*; quæ *Cellularis* vocanda non solum externe cingit musculos, verum etiam descendit inter fibras musculares, multa loca interna implet; partem externam pleuræ, & peritonæi, atque media mesenterii format; continens pinguedinem in suis cellulis, ibidem ab arterioso sanguine secretam, quæ dein refertur per venas. In hac utplurimum colligitur pus, latex, & aer, dum homo laborat abscessu, hydrope, empneumatosi. Locum præbet pro transitu majorum vasorum; partes permittit facile supra se invicem moveri, implet loca inania aliter, vel inæqualia.

De Pinguedine.

Pinguedo. 1160. In Cellulis dictæ tunicæ colligitur materia liquescens ad ignem, flammam alens, aquæ non miscibilis, nisi interveniente sapone, quæ vocatur *Pinguedo*, firmitatem præcipuam habens a membrana hac: si vero densior fiat, dicitur *Sevum*. Interponitur partibus ad attritum evitandum: præbet flexibilitatem partibus firmis; oculis est fulcimento; loca inæqualia implet; penuriæ tempore suppeditat nutrimentum. Functo munere redit per venas in communem massam circulantem.

De Pilis.

Pili. 1161. Corpuscula gracilia, teretia, flexilia, sensu carentia, ex corpore nostro excrescentia, dicuntur *Pili*. Intus multis canaliculis constantes, ut patet in taleola abscissa. Videntur habere duplicem originem, nempe ex stamine solido cutis, & ex subjecta tunica cellulosa, in qua tanquam ex bulbillo cellulari inhærente excrescunt. Transeuntes per epidermidem capsulam duram ab ea mutuari videntur.

De Unguibus.

Ungues: 1162. Corpuscula autem flexilia, elastica, plana, aliquomodo incurvata, sensu carentia, continuo increscentia, partibus superioribus apicum digitorum accreta, dicuntur Ungues. Videntur eodem modo, ut epidermis nasci ex stamine solido cutis. Externe duriores, quam ad internam superficiem, vel radicem. Papillæ tactus sub iis non hærent erectæ, ut in reliqua cute, sed complanatæ cum ungue excurrunt.

De Tactu.

1163. Si papillæ nerveæ (1143) Cuticula (1157) tectæ, ita per modicam agitationem corporis calidi, vel frigidi, duri, vel mollis, aſperi, vel levis, quieſcentis, vel moti, afficiuntur, ut Mens eam affectionem percipiat, talis percepta idea vocatur *Tactus*. *Tactus.*

1164. Levis autem hujuſmodi attactus cum aliquo motu corporis tangentis, vocatur *Titillatio*. *Titillatio.*

1165. Similis autem vellicatio levis, quæ nos inſtigat ad ſcalpendum, vocatur *Pruritus*. *Pruritus.*

1166. Fortior autem nervorum affectio, quæ minatur integram ſpirituum transfluentium ſuppreſſionem (813) atque deſtructionem partis, vocatur *Dolor*. *Dolor.*

1167. An dantur vaſa adipoſa pinguedinem adferentia, & deferentia? *Quæſtiones.*

Quod pinguedo adferatur, & deferatur per vaſa, id certum eſt, ſed ſunt vaſa communia circulatoria, arterioſa, & venoſa, minime vero particularia, ſolam pinguedinem ferentia.

1168. An pinguedo eſt materia cruda?

Omnis humor dicitur crudus, qui non ſatis actione vitæ ita eſt commutatus, ut humoribus bonis noſtris ſit ſimilis. Talis autem cruditas in pinguedine ſtatui nequit; formata enim eſt ex aſſumptis alimentis, ita actione vitæ commutatis, ut pinguedinem exhibeat, quæ ad ſuas functiones peragendas eſt aptiſſima.

1169. An pinguedo ad temperandam acrimoniam humorum?

Verum eſt, pinguedinem obvolvendo acre temperare; ſed, quia in corpore ſano nulla eſt acrimonia, &, quod circulatione continuata eſt acre factum, per emunctoria reddita, nullius eſſet uſus in ſanitate. In morbis autem nulla vehementior generatur acrimonia, quam ex pinguedine corrupta. Quam ob rem non recte ſtatuitur, pinguedinem nobis datam eſſe ad acrimoniam temperandam.

1170. An pinguedo functo munere, omnis immutata redit, vel exit, vel de novo præparatur?

Si ſequamur analogiam reliquorum humorum, ſtatuendum eſt, pinguedinem inſerviendo aliquomodo mutari, & ita deponere portionem aliquam inutilem factam, ſed reliquam partem iterum cum ceteris humoribus præparari, ut iterum ſervire poſſit.

1171. Cur ſenſus obtuſior ſi cuticula in callum converſa eſt?

Si epidermis in callum convertitur, multo craſſior eſt, quam antea, & quia omni ſenſu caret, atque major craſſitudo interponitur inter corpus tangendum, & papillas tactus, id applicatum ſentiri poteſt.

1172. Cur ſub unguibus, & ad radices eorum acutiſſimus dolor, dum tamen apices ſine dolore præſecari poſſunt?

In ipſis unguibus nullus eſt nervus, aut ſenſus: aut ſi nervus fuit in unguibus, is in tantam duritiem converſus omnem ſentiendi facultatem amiſit, ut ſine perceptione præſcindi poſſit. Sed quoniam ad radices, & ſub unguibus copioſiſſimi ſunt nervi unguibus adhærentes, horum attactus admodum doloroſus eſt.

1173. Cur ſenſus tactus in omnibus animalibus?

Quoniam tactus indicat, num quædam in corpore pars lædatur, is præcipuus eſt ad evitandum interitum; ſed reliqui ſenſus magis ſunt ad bene vivendum, unde unus, vel alter ex his in animalibus imperfectis non invenitur.

1174. An ſenſus in partibus per ſuas membranas?

Ipſum ſtamen ſolidum membranarum, atque vaſa circulatoria in iis, omni ſenſu carent, & ſenſum exercent nervis per earum ſubſtantiam diſperſis, quare in partibus reliquis ſenſum præbere nequit. (Conf. 43.)

1175. Cur apicibus digitorum accuratior tactus, quam partibus aliis?

In apicibus digitorum plures papillæ nervorum deteguntur, quam alibi, & hæ partes conſuetæ exercere tactum, multo perfectiorem ſenſum tactus exercent.

1176. Cur cum attentione perfectior ſenſus?

Etiamſi mens patiatur in ſenſus perceptione, videtur tamen nervus ad ſenſum deſtinatus per voluntatem noſtram aliquomodo magis impleri ſpiritibus, quod detegimus per elevationem papillarum linguæ, ſi attente deguſtare conamur. Atque mens, accuratius attendens ad quamcumque mutationem, ſtatim percipit leviſſimam affectionem.

1177. Cur Holoſericum non aſperum ad attactum?

Villi exſtantes flexiles ſunt, ut ad attactum flectantur, & ita cedendo nullam aſperitatem præbeant: ſi vero eſſent ulli rigidi, major aſpretudo in holoſerico detegeretur, ut invenitur in heteromallo.

1178. Cur omnis aſpretudo microſcopiis detecta, tactu dignoſci nequit?

Si in ſuperficie plana multæ ſunt foveæ, hoc corpus aſperum videtur per microſcopium, ſed quia non valemus tactu explorare parvas foveas, videtur æquale ad attactum: aut ſæpe tam parvæ ſunt eminentiæ, quæ tactu explorari nequeunt.

1179. Quomodo Cœci tactu dignoſcunt colores?

Quum coloris diverſitas pendeat a ſuperficie corporis, varios refringentis radios; hæc ſuperficiei inæqualitas a cœcis, qui cum ſumma attentione rem palpant, dignoſcitur, qualis exigua differentia a nobis inconſuetis explorari nequit.

1180. Cur in cicatrice imperfectior tactus?

Si ſola epidermis fuit ablata, ea dein renata non turbat tactum; ſed ſi quædam papillæ ſimul fuere corruptæ, renata cicatrix deinceps imperfectiorem tactum exercere poteſt.

1181. Quomodo aliquis putat ſe ſentire in parte mutilata?

Conſueti ſumus ſentire ſolis papillis nervorum, ſi ergo poſt mutilationem in parte reſidua tangatur ille nervus, qui in quadam parte antea formavit papillas, mens aliter non judicat, quam quod papilla in parte mutilata tangatur.

1182. An capſulæ, vel fibræ nervorum affectæ ideam ſenſus exhibent?

Quoniam capſulæ nervi ſunt canales, ſeu involucra communia, non poſſunt diſtinctum ſenſum præbere. Si ergo a partibus firmis tactus eſſet exercendus, fibræ huic operi magis eſſent adaptatæ.

1183. An partes firmæ fibroſæ nervi, an vero in iis contenti ſpiritus præbent ſenſus ideam menti?

Quoniam propagatio fieri nequit propulſione, aut tractione, aut motu tremulo, & nervus ſiccatus amittit ſentiendi potentiam, hæc actio ſpiritibus eſt adſcribenda.

1184. An ſpiritus in ſentiente organo commoti deferuntur ad ſenſorium commune, ut præbeant ideam ſenſus?

Hoc eſt contra naturalem fluxum ſpirituum a cerebro ad organum ſentiens; neque tam ſubito fieri potuiſſet ille fluxus; neque opus eſt refluxu ad inducendam mutationem in principio nervi, quum in canali æquabili fluxu tranſmittente liquorem ſufficiat, ſi modo in extremitate ille liber fluxus ſiſtatur.

1185. An commotionis translatio per ſuccum nervoſum fieri poteſt ad ſenſum excitandum?

Hoc fieri nequit, eſt enim liquor in itinere ſecretus; continetur in communi ramoſo canali; non ingreditur organum ſentiens, quare pro organo deferente haberi non poteſt.

CAPUT II.

De Morbis Integumentorum.

1186. NUlla in corporis parte plures ad exponendos ordine morbos inveni tricas, quam in corporis integumentis. Nomen enim varias complectitur partes, ut ſæpe dubii hæreamus ad quamnam ex his morbus ſit referendus. Dein idem morbus plures ſæpe partes infeſtat. Et quoniam integumenta injuriis externis expoſita ſunt, Medicique Veteres ex phænomenis fere ſemper impoſuerunt nomina, ingens farrago nominum ex Græcis, Arabibus, & Latinis congeſta invenitur, quorum multa eumdem morbum deſignant. Et iterum ab aliis Medicis diverſi morbi eodem nomine deſignantur, ut peritiores etiam in arte medica hæſitent, quo nomine oblatus morbus ſit appellandus. Ut igitur, quantum fieri potuit, evitarem confuſionem, de novo Collectanea noſtra pervolvi, & in ordinem digeſſi, recedens hinc inde a priori Editione Belgica, quo morbos hos clariore diviſione proponere valerem. Primo loco igitur diſtinguendi mihi videbantur morbi in morbos *Cutaneos*, *Pilorum*, & *Unguium*. Inter Cutaneos quoque complector morbos Epidermidis, & Celluloſæ tunicæ, utpote his partibus ita communes, ut divellere non potuerim. *Difficultas pertractandi hos morbos.* *Diviſio generalis.*

De cutis morbis.

1187. Qui morbi afficiunt Cutim, id eſt ipſam Cuticulam, & Celluloſam tunicam, ſatis commode patiuntur ſequenti ordine pertractari. 1. Qui proveniunt ex partium harum ſolutione, aut deſtructione, ut *Vulnus*, *Contuſio*, *Excoriatio*, *Ulcus* &c. 2. Qui aliquam ſubſtantiæ mutationem exhibent, præcipue in Colore generali, vel maculoſo. 3. Qui aliquid cuti adjectum exhibent, ut *Cruſtæ*, *Sordes*. 4. Qui parvas faciunt eminentias, quas *Puſtulas* vocamus. 5. Qui majus augmentum exhibent, generali nomine *Tumores* dicti quos diſtinguimus in Tuberculoſos, & Latiores. Horum omnium quia nimis magnus eſt numerus, diviſionem generalem per diſtinctos Libros exhibituri ſumus: & primo qui morbi ex partium ſolutione veniunt. *Cutis morborum diviſio.*

LIBER VII.

CAPUT I.

De Vulneribus.

1188. QUum raro partes interiores vulnerentur, niſi ſimul lædatur vulnere cutis, non erit ſine ordine, generalem tradere vulneris doctrinam in hoc loco. Per *Vulnus* latiore ſignificatione concipiunt, omnem ſolutionem partium firmarum, tam in mollibus, quam durioribus, vi externa factam. Uſitatiſſime tamen notat vulnus ſolutionem partis mollis vi inſtrumenti duri ſecantis, adacti inter partes prius natura cohærentes, ut inde excludatur Contuſio, Combuſtio, Divulſio, Fractura, & ceteri ſolutæ unitatis morbi. Si vero poſt aliquod tempus vulnus pus formare cepit, poteſt tamen vulnus vocari, vel ad *Ulcera* referri ex vulnere nata, ſi vero contundens cauſa integram *Definitio.*

ſepa-

ſeparationem fecit, talis deſtructio ſolet quoque potius ad vulnera, quam *Contuſionem* referri. Sed *Punctura*, niſi fiat in nervo, vel tendine, ſemper quoque vulnus vocari ſolet.

Cauſa. 1189. Cauſa igitur Vulneris eſt inſtrumentum durum ſecans, interdum quoque pungens, vel obtuſum divellens quaſdam partes molles. Quamprimum vero vulnus eſt factum, non manet ejus cauſa proxima, quum inſtrumento ſublato non tollatur vulnus.

Subjectum. 1190. Omnes partes molles ab inſtrumento duro acuto ſeparari poſſunt, præcipue autem cutis: oſſium autem ſolutio ab eadem cauſa raro ad vulnera refertur, ſed Cartilaginum læſiones ambigunt.

Effectus inſeperabilis. 1191. Partium mollium integritas conſervat in naturali longitudine fibras, coercet tranſeuntes liquores, determinat ad deſtinata loca eos, ut exerceant functiones: pars mollis igitur vulnere ſeparata facit 1. dehiſcere partes; 2. effundi liquores; 3. ceſſare functiones ab integritate partis, & transfluxu humorum pendentes.

Nomina. 1192. Vulnera accipiunt varia nomina. 1. Ex cauſa ut ſit inſtrumentum ſecans, pungens, obtuſum, venenatum. 2. Ex vulnere ipſo parvum, magnum, æquale, inæquale, curabile, incurabile, lethale, vel non lethale. 3. Ex parte, quæ per vulnus læditur. 4. Simplex vel cum aliis morbis junctum. 5. Ex effectibus a vulnere productis. 6. Ex vulneris figura recta, curva, tranſverſa, obliqua, parallela.

Effectus diverſi. 1193. Effectus vulnerum omnes recenſeri hoc loco nequeunt, cum differant. 1. In corpore debili, vel firmo; 2. ſano, valetudinario, aut ægrotante; 3. obeſo, vel macilento. 4. Ætate varia; 5. tempore, tempeſtate, & regione; 6. parte læſa principe, aut miniſtra; externa, vel interna; quæ omnia ad curationem, & prognoſim multum faciunt.

Phænomena. 1194. Vulnus in parte molli carnoſa ſimplex, ſatis profundum ſine læſione vaſis majoris, nervi, aut tendinis in corpore ſano, ſequentia producit ſucceſſive. 1. Statim ab inflicta plaga effluit ſanguis, & ſecedunt partes molles antea cohærentes, niſi fuerit punctura præcipue ab inſtrumento rotundo. 2. Senſim magis recedere incipiunt vulneris labia, ſed minuitur ſanguinis fluxus, quum vaſa abſciſſa contrahantur, & ſanguis in his ſtagnans thrombum formet. 3. Dein incipiunt labia vulneris tumere, magis dolere, & retorqueri, & effluit liquor rubellus, ſi vulnus ſervetur tectum, ſed in vulnere aperto innaſcitur cruſta cruenta, atque in vulnere paulo majore generatur hoc tempore ſiccitas, & calor corporis, ſitis, & levis febricula. 4. Tertio, aut quarto die in vulnere formari incipit materia ſubpinguis, albicans, Pus dicta; quo tempore ſimul minui incipit labiorum tumor, dolor, rubedo, & leniuntur ſymptomata per vulnus inducta. 5. Sic ſenſim ex fundo vulneris, & lateribus caro creſcere incipit rubella, in ambitu habens marginem cæruleum albicantem, donec tota apertura carne impleta ſit. 6. Ultimo hæc caro tenui pellicula tegitur, quæ in epidermidem cicatricis firmiorem commutatur.

Renunciatio vulneris. 1195. Quum Chirurgorum multum interſit ſcire quid ſit deponendum coram Magiſtratu de vulneris Lethalitate, præcipuas regulas hoc loco exhibebo, particulares poſtea in partium vulneribus exponentur.

Diviſio. 1196. Vulnera, poſt quæ homines moriuntur, ad tres claſſes rediguntur. 1. Vulnera certa, & inevitabiliter lethalia. 2. Sibi relicta mortem inferentia, quæ tamen legitime tractata non intuliſſent mortem. 3. Vulnera per accidens lethalia, neglectu, errore, inſcitia, vel quovis alio modo.

Abſolute lethalia. 1197. Abſolute lethalia ſunt, quæ extinguunt vitæ actionem, & quæ nulla arte curari poſſunt, ut ſunt. 1. Intercipientia fluxum ſpirituum vitalium ex encephalo ad organa vitalia in reliquo corpore. Ut vulnera Cerebri, & Cerebelli profunda, medullam oblongatam tangentia; vulnera ſanguiferorum en-

encephali circa cranii baſin, tempora per os cribroſum, vel foveam oſſeam oculi; vulnera ſuperioris partis medullæ ſpinalis; nervi cardiaci, quæ difficulter detegi poſſunt. 2. Vulnera effundentia nimiam ſanguinis quantitatem, qui effluxus cohiberi nequit, ut vulnera cordis profunda, auricularum, aortæ, venæ cavæ, venæ portarum, aut earum ramorum majorum; arteriæ, vel venæ pulmonalis, & omnium viſcerum, ſi eorum magna ſanguinea vaſa aperiuntur, vel abſcinduntur. 3. Vulnera reſpirationem intercipientia: ut abſciſſio tracheæ ejus retractione abſciſſio bronchiorum; vulnera lata in tendinea parte diaphragmatis. 4. Chyli viam intercipientia, ut abſciſſio, vel vulnus latum Oeſophagi, (quando homo ex ſuffocatione videtur perire) ventriculi, inteſtinorum tenuium, ciſternæ lumbaris, & ductus thoracici, quando raro ante quintum, vel ſextum diem moritur, cum ſumma extabeſcentia. 5. Vulnera ductuum, & cavitatum internarum, quibus effuſi humores funduntur in cava corporis, ex quibus educi non poſſunt, niſi quadam benignitate naturæ, aut caſu fortuito: ut in ſinubus cerebri, ductu choledocho, vaſe magno, lymphatico, veſica urinaria, inteſtino craſſo, veſica fellea. Hæc ultima claſſis vulnerum etiamſi non ſemper inferant mortem, ſi tamen inde moriatur æger, abſolute lethalia ſunt deponenda.

Curabilia lethalia.

1198. Quæ autem Vulnera ſibi relicta mortem ſemper inferunt, ſed a perito Chirurgo tractata curationem admittunt, non ſunt abſolute lethalia pronuncianda, ſi adfuit ut adeſſe potuit Chirurgus: ſed ſi propter temporis aut loci inconvenientiam impediunt Chirurgi acceſſum, vel vocatus Chirurgus non calleat artem, vel errorem commiſit, dubia lethalia ſunt deponenda. Talia ſunt 1. Vulnera *Cranii* cum ſanguinis effuſione, qui tolli potuiſſet terebratione. 2. Vulnera *vaſorum* majorum, quorum hæmorragia cum effectu compeſci potuiſſet. 3. Vulnera *Viſcerum*, quæ debitis allatis auxiliis curabilia ſunt. 4. Vulnera *Inteſtinorum*, quæ cum integumentis conſolidari potuiſſent; *vaſorum intercoſtalium*, quæ non compreſſa pectus ſanguine implent.

Per accidens lethalia.

1199. Difficillimum eſt judicium in iis vulneribus, poſt quæ moritur æger, ſed quæ rite tractata, & ſi nihil infortunii acceſſit, mortem non intuliſſent: nam quædam ex his ſunt Lethalia pronuncianda, alia vero non Lethalia, præcipua delibabimus. 1. Vulnera lethalia per ſe, ſed arte curabilia, (1198) ſi Chirurgus adeſſe non potuit, ſunt lethalia: ſed ſi Chirurgus negligentia ægri non vocetur, vel ſi Chirurgus ſuam non callet artem, non ſunt lethalia pronuncianda. 2. Vulnera non lethalia in bene formato corpore, fiunt lethalia ex alia poſitura vaſorum & viſcerum, ſed talia dicenda ſunt lethalia; quum viciſſim abſolveretur reus, ſi ſolitum vulnus lethale ob diverſam poſituram partis non inferret mortem. 3. Vulnera per ſe non lethalia ſed cadentia in corpore morbo correpto, perpendendum, num ex vulnere vel morbo præcedente moriatur; nam ſi ſanus homo non periiſſet ex tali vulnere, incerta lethalitas eſt deponenda. 4. Per ſe non lethalia, mortem inferentia, quoniam detegi non potuere, manent lethalia. 5. Sed talia ſi mortem inferunt errore in diæta ægri; vel ægri culpa nolentis vocare Chirurgum, vel vocationem negligentis; vel Chirurgi imperitia; aut ejus præpoſtera curatione, non ſunt lethalia pronuncianda, etiamſi mortem intulerint. 6. Symptomata ſupervenientia, quæ interficiunt, ſi proveniunt ex natura vulneris, lethalitatem arguunt: ſed quæ ex imperitia, errore ægri vel Chirurgi, oriuntur, abſolvunt reum. Cuncta hæc ſuis caſibus adſtruere nimis longum foret.

Detectio.

1200. Priuſquam Medicus vel Chirurgus ſententiam ferre poſſit de Lethalitate vulneris, ſcire oportet quali modo cadaver ſit examinandum. 1. Inſpectio ſtatim fieri debet a morte, ne aliena ſponte fuerint nata, quæ in vi-

vivente non aderant . 2. Immittenda candela flexilis in vulnus poſito corpore in eodem ſitu quo accepit vulnus , quum ſtilus durior forſan faceret aperturam , quæ non ab inſtrumento vulnerante fuiſſet nata . 3. In vulneribus cranii & medullæ ſpinalis prius notanda ſunt ſymptomata , quæ paſſus fuit æger ante mortem , quum diſtractione oſſium medullæ læſio in examine inferri poſſit . 4. Præter locum vulneratum , totum corpus examinandum ex tra & intus , num non adſit alia cauſa mortem inferens , quæ dubiam lethalitatem vulneris faciat .

Quinam inſpectionem exercere debeat.

1201. Nemo eſt admittendus ad inſpiciendum cadaver , niſi qui in Anatomicis eſt peritiſſimus , rectèque novit poſituram & uſus cujuſcumque partis : his enim deſtitutus perite ſeparare nequit partem , neque novit ex inventa plaga aliquod ferre judicium .

Renunciatio coram Magiſtratu .

1202. Quando legitimo ordine abſoluta eſt inſpectio , inventorum relatio eſt facienda , ex qua Judex judicium fert de Reo ; admodum ergo circumſpecte & caute agere debet Medicus & Chirurgus in ſua Renunciatione , ne inſontem culpet , vel reum criminis abſolvat . In abſolute lethalibus vulneribus (1197) Lethale vulnus quoque renunciare oportet . In ceteris autem admodum circumſpecte ſecundum inventorum majus vel minus periculum , deponere debet , quod ex tradita deſcriptione ejicere poteſt , ponens in multis incertam lethalitatem , relinquens judicium Judici .

Quæſtiones .

1203. An mortis tempus aliquid facit ad lethalitatis renuntiationem ?

Tempus mortis poſt inflictum vulnus nihil determinat : potuit enim ex intus latente morbo tunc temporis mori æger : & vulnera levia cranii , ſanguinem in encephalo fundentia , per ſe lethalia , tandem poſt aliquot menſes mortem inferunt .

1204. An Chirurgi renunciare debent ?

Nullum puto diſcrimen eſſe ſive Medicus ſive Chirurgus deponat , modo in deponente ſint recenſita (1201) requiſita . Quod autem Barbitonſores Anatomiæ & Phyſiologiæ ignari permittantur deponere , abſurdum mihi videtur .

1205. Si Medicus & Chirurgus diſſentiunt , cui credendum ?

Etiam ſi Medico prærogativa eſt in renunciatione , propterea in depoſitione non habet majorem fidem . Renunciatio enim deſumenda eſt ex cognitione & ſcientia Anatomica & Phyſiologica , non vero ex prærogativa : quare perito Chirurgo major eſt habenda fides quam Medico minus erudito .

1206. Quænam differentia inter vulnus Lethale & Inſanabile ?

Vulnus lethale eſt , quod per ſe ſemper mortem infert ; ſed inſanabile vulnus non ſemper eſt lethale . Ita vulnus inteſtini conſolidati deinceps cum integumentis ventris , relinquentis immedicabilem aperturam ; aut vulnus abſcindens tendinem , qui conſolidari nequit , eſt vulnus inſanabile ſed non lethale .

1207. An vulnus abſolute lethale imperite tractatum non manet lethale ?

Imo vero , nam etiamſi vulneratus perite fuiſſet tractatus , periiſſet tamen : ſed aliter fit in per accidens lethali vulnere , nam tunc mors non fit ex vulnere , ſed ex imperitia vel commiſſo errore .

Curatio vulneris generalis.

1208. Generalis curatio omnibus vulneribus non eſt eadem . Nam 1. in levioribus ſufficit vulnus ſervare tectum aliquo emplaſtro , unguento , vel balſamo . 2. Vulnera cum ablatione partis , cum adjuncta contuſione , infectione venenata , vel aliquo urgente ſymptomate , in quibuſdam recedunt a generali methodo , quod in tranſitu adjiciemus . 3. Vulnera graviora autem ſine prædictis his exigunt , 1. *Depurationem* , 2. *Adductionem* , 3. *Conſolidationem* , 4. *Cicatrizationem* . 5. Atque ultimo *Symptomatum remotionem* .

Depuratio .

1209. Statim poſt inflictum vulnus tollendus eſt ſanguis effluens linteo carpto , vel ſpongia humectata : ſi adſint ſordes , fragmenta , infectio venena-

mata, illa ſimul tollenda : nam relicta , tumente ex ſuperveniente inflammatione vulnere, difficilius extrahi poſſunt & cum majore dolore , atque ægre minus morigeri erunt.

1210. Interdum vero non expedit ob gravius malum ſtatim inſtituere depurationem . Ut 1. ſit in ſumma debilitate per præcedentem hæmorrhagiam inducta . 2. Si thrombus claudat vas apertum . 3. Si depuratio difficilior eſt ipſo vulnere ; ut ſi globulus hæreat in cavitate ventris vel pectoris , vel inter oſſa , aut in locis profundioribus nullam moleſtiam adferens : parva etiam fragmenta latentia cum pure exeunte poſt ſuppurationem utplurimum ejiciuntur . *Depuratio defertur .*

1211. Depuratio abſolvitur variis modis . In ſimpliciſſimo vulnere requiritur 1. ſola abſterſio . Si aliquid alieni ſit in ulcere relictum . 2. id digitis vel forcipe apto eſt eximendum ſi magnum ſit fragmentum . Parvæ autem ſorditates . 3. ſunt abluendo tollendæ . 4. Digitorum preſſione ad latera vulneris exprimenda in vulnere hærentia . 5. Si plaga non ſatis pateat , ea dilatanda ſectione vel turunda dilatabili . 6. Interdum expedit protrudere retentum alienum per oppoſitum latus , ſi retrahi nequit . 7. Si nimis tumefacta inveniuntur labia vulneris , præſtat partem prius fovere *fomento laxante* & ſimilia applicare *linimenta* . 8. Veneno autem infecta vulnera probe abluenda , exprimendum inficiens ; aut in majori periculo applicandæ cucurbitæ , quæ per antliam aerem extrahunt. *Depurationis modi .*

1212. Quum reſoluta labia vulneris ſenſim magis dehiſcant , ille receſſus eſt præveniendus , aut ſi receſſerint labia , ea ſunt adducenda , quæ operatio ceſſat in Puncturis . Adductio & retentio obtinetur 1. artificioſa *ligatione* , 2. *Sutura ſicca* , 3. & *Sutura Cruenta* . *Adductio vulneris .*

1213. In vulneribus membris parallelis , aliiſque in locis , quibus vicendo ad ſe invicem poſſunt adduci vulneris labia , optima adductio fit per vincturam , modice conſtrictam , ut ſimul cohibeat effluentem ſanguinem , ſed non ſuffocet partis circulationem . In Vulneribus obliquis faſcia ita eſt ducenda ut pendulum labium ducat ad oppoſitum . In perpendiculari & profundo vulnere adhibenda faſcia duobus capitibus inſtructa , in cujus uno latete habetur ſciſſura tranſmittens alterum caput , ut ita pars ſubjecta conſtringi magis poſſit. *Ligatura uniens .*

De Suturis .

1214. In non admodum profundis vulneribus , ut & in facie ad evitandas cicatrices & dolores , adhibenda *Sutura ſicca* per *Emplaſtra tenacia* , quæ extenduntur ſupra linteum firmum vel alutam , ut inde fiant emplaſtrorum variæ figuræ . In omnibus his obſervandum , ut parum calefacta applicentur & manu opprimantur ad firmiorem cohæſionem : & ut labia vulneris adducantur dum fit applicatio : iſtius eſſe debent figuræ , ut commode medicamentum vulneri applicari poſſit . 1. Simpliciſſimum , quod in parvis vulneribus adhibetur , habet figuram ac ſi duo triangula uno angulo juncta eſſent , quæ pars juncta ponenda eſt ſupra vulnus . 2. In longioribus vulneribus ſed non profundis , plura ſimilia emplaſtra applicanda , vel ejus loco emplaſtrum intus quaſi dentatum applicari poteſt . Hoc incommodi habent hæc , quod inter deligandum facile ſolvantur , & non permittant ſine integra ſeparatione ut magis minuſve adducantur labia vulneris . 3. Propterea applicant emplaſtrum tenax utrique lateri vulneris ad diſtantiam digiti a vulnere, quæ tunc emplaſtra colligunt habenis , tali fere modo ut in ſuturis cruentis . 4. Denique glutinans medicamentum extendunt ſupra portionem faſciæ , & talia duo , ad utrumque latus vulneris unum , applicant , ut reliquis partibus faſciarum , contrahere poſſint labia vulneris (ſimili fere modo *Suturæ ſiccæ .*

ut in vinctura uniente (1213) . Hæc quoque Emplaſtra utilia ſunt cuti applicata extra ſuturas cruentas, ut nimiam cutis diſtractionem ſuſtineant.

Sutura cruenta. 1215. Si vero profundius eſt vulnus, non ſufficit ſolis emplaſtris glutinantibus attrahere cutim , ſed & ſubjacens caro eſt firmanda , quare adhibent *Suturam Cruentam* dictam , quæ fit acu vel acubus filo ceraceo vel habena inſtructis . Hanc faciunt triplicem , *Nodoſam* ſcilicet , *Clavatam* , & *Convolutam* : nam ſutura *Pellionum* non amplius eſt in uſu.

Obſervationes in nodoſa ſutura. 1216. Antequam hæ operationes inſtituuntur , ſequentes regulæ ſunt obſervandæ . 1. Ponendum eſt membrum ſeu pars vulnerata in ſitu ægro & operationi commodiſſimo . 2. Paratæ tot debent eſſe acus ſuis filis vel habenis inſtructæ , quot ad ſuturam requiruntur . 3. Si vulnus ſit anguloſum , ab angulo debet fieri initium . 4. Unumquodque filum trajectum diſtare debet ab altero ad pollicis tranſverſi circiter diſtantiam . 5. Si unum filum ſufficit , iſtud debet eſſe in medio longitudinis vulneris . 6. Si tria vel plura fila ſunt trajicienda , medium ſemper primo trajiciendum . 7. Ad diſtantiam digiti tranſverſi a margine vulneris ad minimum acus eſt imprimenda . 8. Acus tam profunde per carnem etiam imprimenda , ut fere fundum vulneris tangat . 9. Longitudo & craſſitudo filorum vel ligularum ſit magnitudini vulneris accommodata . 10. In trajectione filorum cutis eſt ſuſtentanda digitis . 11. Omnia fila trajicienda antequam in nodum colliguntur . 12. In colligendis nodis idem obſervandum quod in trajectione eſt notatum . 13. Nodi colligendi verſus latus vulneris firmius & ſuperius . 14. Primus nodus ſit ſimplex , dein interpoſito ſpleniolo cylindrico , alter nodus fiat ſimplex , qui dein firmatur nodo ſolubili . 15. Fila non nimis ſtricte attrahenda , ob ſequentem intumeſcentiam . 16. Priuſquam admovetur medicamentum vulneri , nodi omnes tegendi linteolo . 17. Si aliquid ex vulnere amiſſum eſt de portione carnis & tamen fieri poteſt ſutura , labia non ſunt ad mutuum contactum adducenda . 18. Labia vulnerum admodum contuſa vetant ſuturam cruentam . 19. In vulneribus admodum renitentibus ſuſtentatio eſt juvanda per Emplaſtra tenacia . 20. Acus firma & curva ab exteriori parte labii vulneris impreſſa trajici debet per oppoſitum labium a parte interna ut exeat externe . 21. In vulneribus autem in cavum ventris penetrantibus , unumquodque filum cera munitum vel ligula firma debet inſtructa eſſe duabus acubus , ut ſemper apex acus digito Operatoris abſconditum imprimatur ab interiore parte labii vulneris & exeat externe , hoc quoque altera acu ejuſdem fili in oppoſito labio vulneribus faciendum .

Deligatio. 1217. Vulneris ſuis filis inſtructa labia manubus adducenda, dein dicto modo fila colligenda , ut labia cruenta ſe mutuo modice tangant : ſupra vulnus aliquod *Balſamicum vulnerarium* applicandum cum plumaceola , niſi hæmorrhagia , nervus aut tendo læſus alia exigit , dein pars ſpleniolis , emplaſtro & apta deligatione firmanda .

Innovatio deligationis. 1218. Ita vulnus relinquendum in biduum vel triduum , niſi urgentia ſymptomata citiorem innovationem exigunt ; dum fit innovatio , prudenter omnia tollenda relictis filis ; ſi autem videmus fila nimis conſtricta eſſe , nodi ſolvendi , & aliquantulum dimittendi , & iterum deligandum vulnus , ut factum fuit prima vice . Poſt conſolidationem , dum extrahenda ſunt fila , nodi primo ſunt abſcindendi .

Clavata Sutura. 1219. Si vero vulnus admodum profundum , corpori tranſverſum , vehemens diſtractio labiorum fit ; ut & in abſciſſione tendinum , *Clavata Sutura* magis ſuſtentans eſt adhibenda . In qua dictæ cautelæ (1216) ſunt obſervandæ . Acus tunc inſtructa eſſe debet filo duplicato , ut anſa relinquatur in loco , quem acus tranſiit , in illa anſa linteum convolutum cera obductum craſſitudinis calami eſt immittendum , & ſi plura fila ſunt trajicienda , hoc cylindricum linteum per omnes anſas duci poteſt , quo firmantur omnes . Simile quoque

lin-

linteum convolutum in oppoſito latere vulneris adhibendum, ſupra quod extremitates filorum in nodis colliguntur. Reliqua tractanda ut in ſutura nodoſa monitum eſt.

1220. *Convoluta Sutura* dicitur, ſi acus per utrumque labium vulneris trajectum, in labiis relinquitur & labia vulneris firmantur circumvolutione fili per extremitates acus firmati. Raro venit in uſu niſi in Labio Leporino, cujus curationem annectemus. *Convoluta Sutura.*

De Labio Leporino.

1221. Dum in labro ſuperiori, raro autem in inferiore, facta eſt ex nativitate ſeparatio, ac ſi inſtrumento ſecante labium ſuperius perpendiculariter eſſet perſciſſum, & ſine coalitu ſanatum, hæc labii deformitas vocatur *Labium Leporinum*: præbens ſugendi, bibendi, & deinceps loquendi moleſtiam & adſpectui deformitatem. Huic interdum adeſt ſeparatio ipſius maxillæ ſuperioris, imo palati, vel in parte eminet dens, vel magna portio labii ſimul deficit; aut labium duobus in locis eſt fiſſum. Quæ adjuncta difficultatem curationis exhibent. *Labii Leporini definitio.*

1222. Simplex Labium Leporinum non differt a vulnere cujus oræ ſeparatæ cicatrice ſunt obductæ. Portio labii ſimul deficiens vetat operationem. Maxilla ſeparata plerumque detrahit bonum effectum operationis. Si dens vel portio maxillæ emineat, is evellendus prius vel eminentia oſſea forcipe præſcindenda. In ſenibus raro inſtituenda operatio; in infantibus, quia immorigeri ſunt, ſugere debent, & dentire, non facile ſuſcipienda operatio. Sed in pueris vel adultioribus, quando ſimul tempus temperatum eſt eligendum. Si autem in infantibus fieri debeat, hi diu vigilantes ſunt retinendi antequam inſtituitur operatio, ut finita operatione ſtatim obdormiant. *Curationis Cautelæ.*

1223. Totus ſcopus curationis conſiſtit in ablatione tegumenti oræ labii leporini, & cruentarum orarum unione, & conſolidatione. Quare poſt dictas cautelas (1222) forfice acutiſſima orarum labii leporini tegumenta, ut ſimul angulus iſtis privetur, ſunt abſcindenda: tam parum auferendum de labii ſubſtantia quantum fieri poteſt. Inter operandum caput immobile retineri debet a Miniſtro. *Operatio.*

1224. Oræ illæ cruentæ accurate ſunt jungendæ, & junctæ retinendæ per ſuturam circumvolutam (1220), quæ raro adhibetur in aliis labiorum vulneribus. Adductis itaque genis per manus Miniſtri, ut oræ labii ſe mutuo tangant, trajicere debet Chirurgus duas treſve acus, prout labium magis minuſve eſt latum, ex argento factas, quia chalybs rubiginem, & æs æruginem generans, difficilem extractionem parerent. Acus hæ ad diſtantiam circiter calami ab ora immittendæ, & trajiciendæ, & ita ut interiorem fere labii ſuperficiem tangant, una acus ab altera ad diſtantiam circiter lineæ Mathematicæ, ſeu decimam partem pollicis, eſt immittenda: prima trajicienda circa angulum, deinceps altera, & tertia ſi opus. Quia acus ex argento nimis obtuſæ ſunt, & flexiles, hæ ſunt recipiendæ acu chalybea, in poſteriore parte cavitatem habente, quæ in ſe recipit aciem acus argenteæ. Simili fere modo coqui lardo ornant carnem. Dein filum ſericeum ſatis denſum cera obductum flexuoſæ inſtar numeri ∞ tranſverſi acubus circumducitur, primo acus ſuperior, & dein reliquæ ſunt vinciendæ, ut oræ cruentæ ſe invicem tangant præprimis in angulo. Inter labium, & dentes inciſorios, ſuperiores, interponenda plumaceola, Melle Roſarum impregnata ſed in infantibus ſola ablutio cum melle roſarum ſufficit, ne deglutiant plumaceolam. Supra labium ſimilis plumaceola applicari poteſt, vel cum quodam balſamico (1217). Si acuum extremitates nimis emineant, forcipe præſcindendæ, ne lædant genas. Dein cuncta tegenda emplaſtro, & ſpleniolo. Et *Suturæ convolutæ.*

ut ſola hac futura non ſuſtineatur labiorum diſtractio, lintea duo pollicis latitudinis in extremitate Emplaſtro tenaci (1214) obducta, ad utramque genam unum, ſunt applicanda, quæ ſub naribus ſupra labrum ſuperius tranſeuntia genas adducunt.

Deligationis innovatio. 1225 Non ante tertium diem innovanda eſt deligatio, niſi accedentia ſymptomata citiorem exigunt, in quo caſu filum non eſt auferendum, ſed futura humectanda vino, vel ſpiritu vini tepido, aut melle roſarum: interim ſuſtentare debet Miniſter genas. Quarto autem, vel quinto die ſuperior acus educenda, qua eductione ſponte cedit filum. Inferior acus ultra ſeptimanam relinqui poteſt, ut eo firmior habeatur coalitus. Inter curandum eſt evitanda omnis agitatio labiorum.

Vulneris conſolidatio. 1226. Tertia pars Curationis generalis in vulneribus (1208) eſt *Conſolidatio*, quæ ſæpe vocatur *Incarnatio*. Quæ per naturam ipſam abſolvitur, modo pars retineatur in quieta unione, arceatur aer, & removeantur cauſæ conſolidationem impedientes. Ut autem promoveantur hæc, quædam interna dari poſſunt *Traumatica* dicta. Externe autem applicanda *Balſamica vulneraria*. Rariori quam fieri ſolet innovatione deligationis cum dictorum applicatione non ſolum promovebitur labiorum conjunctio, ſed, & caro ablata renaſcetur.

Cicatrizatio. 1227. Denique vulnus cicatrice eſt obducendum, quod iiſdem ſæpe perficitur, citius autem ſi paulo magis adſtringentia, *Cicatrizantia* dicta, adhibentur. Et dein factam cicatricem ſpiritu vini, vel *lavamento adſtringente* abluendo: vel ſi nimis debilis manet cicatrix, aliquamdiu *pulvere ſicco* cum linteo carpto applicato induranda.

Symptomatum curatio. 1228. Denique quædam accedunt vulneribus ſymptomata (1208) quæ curationem remorantur, & ſæpe ſpecialem curationem exigunt. Ut eſt *Hæmorrhagia* (480) *Inflammatio* (501) *Sorditas*, quæ lenia *abſtergentia*, *& corrodentia*. *Hyperſarcoſis* autem exigit *Corrodentia adſtringentia*. Plura de his auxiliis tradentur in ulceribus.

De Vulneribus particularibus.

Arteriarum vulnus. 1229. Si inſtrumentum vulnerans ſauciavit *Arteriam*, ut aperta ſit, ſanguis erumpit maximo impetu; aut brevi tempore implet cavitatem, in tunicam celluloſam effundens ſanguinem facit Aneuryſma ſpurium: non integre pertundens ſæpe generat Aneuryſma verum. Hujus vulneris præſagia, & curatio peti poteſt ex Aneuryſmatis (655) deſcriptione. Promptum eſt auxilium, ſtatim ſupra factum vulnus comprimere inſtrumento torquente arteriæ truncum; & dein ea adhibere, quæ in hæmorrhagiis (468) tradita ſunt.

Venarum vulnera. 1230. Vulnera autem venarum, utpote minori impetu urgentium ſanguinem, minus periculum portendunt, & earum hæmorrhagia facilius compeſci poteſt, facta preſſione ſub plaga inflicta, ſupra ramos venæ ſe in eum truncum exonerantes.

Tendinum. 1231. Si tendo tranſverſe ſit abſciſſus, niſi iterum conſolidetur, membrum amittit motum, quem ex eo muſculo habebat: ut partes hæ difficile conſolidantes tamen uniantur, ſequentia ſunt obſervanda. 1. Jungendæ ſunt abſciſſæ partes tendinis per futuram (1219) clavatam. 2. Superior pars tendinis calami ſcriptorii circiter latitudine ſupra alteram partem inferiorem eminere debet. 3. Acus infigenda ab externa parte ſuperioris portionis minimi digiti latitudine a plaga; & ab interiore parte ad eandem diſtantiam in portione inferiore. 4. Cutis cum tendine ſimul conſuenda. 5. Si retractus fuit tendo, cutis ad latus tendinis ſecundum longitudinem ſecanda, ut tendo adduci poſſit, nunquam vero ſecandum ſupra tendinem. 6. Extremitates

ten-

tendinis forcipe prehendendæ, & adducendæ, & tempore trajectionis cum acu ita retinendæ. 7. Membrum ita flectendum, ut ille muſculus maxime ſit adductus. 8. In vetuſtiore vulnere ante injiciendam ſuturam parva portio ab utraque extremitate eſt abſcindenda forfice. 9. Utenda acu curva non ſecante ad latera, & firmanda manubrio. 10. Poſt factam ſuturam pars eſt adducta, & quieta admodum retinenda. 11. Sola *balſamica nervina* vulneri applicanda. 12. Si eo in loco relinquitur tuberculum, ut a ganglio, & pars ſatis extendi nequit, bonum.

1232. Nervorum autem vulnera omnium periculoſiſſima, & difficillima: nam ſi nervus ſit abſciſſus, conſolidari nequit, & perit iſtius partis actio. Punctura niſi Balſamicis (1233) tractetur ſæpe Convulſiones inducit. *Nervorum.*

De Capitis Vulneribus.

1233. Capitis vulnera ſola integumenta lædentia citius curantur, quam in locis aliis. Sunt autem, licet levia videantur, periculoſiora ob adjectum Cerebrum, præprimis ſi factum ſit vulnus per inſtrumentum obtuſum, vel per validam vim. Sola integumenta eſſe læſa conjicimus 1. ex cognita levi cauſa; 2. cranii perpenſa duritie in varia ætate; 3. figura vulneris; paucitate ſymptomatum; 4. viſu; 5. tentamine per ſtilum. Si vero Cranium ſimul ſit fractum, internæque partes læſæ, hoc ſupra (301) expoſuimus. *Capitis.*

De Pectoris Vulneribus.

1234. Si vulnus ſolas externas pectoris partes læſerit; hoc ſpeciale habet, quod ſæpe faciat colligi ſanguinem inter pleuram, & coſtas: faciatque in hoc loco *Emphyſema*, ſeu *Empneumatoſin*. Propterea vulnera talia non ſunt claudenda turunda, valideque præmenda ligaturis; ſed raro deliganda, tegenda quadam membrana, ne intret aer tempore inſpirationis; æger locandus, ut vulnus partem inferiorem habeat; caveat ſuctionem, & vociferationem. *Pectoris non penetrantia.*

1235. Vulnus non penetrare conjicimus. 1. Comparatione inſtrumenti ad magnitudinem vulneris. 2. Tentamine per ſtilum, vel candelam ceraceam. 3. Injectione aquæ tepidæ ſtatim redeuntis. 4. Non intrante, vel exeunte aere cum ſibilo inter reſpirandum. 5. Abſentia ſymptomatum læſas partes internas indicantium. 6. Poſito ægro in tali ſitu in quo accipiebat vulnus. *Signa.*

1236. Quæ autem vulnera uſque ad internam lamellam pleuræ pertingunt, inter penetrantia cenſeri poſſunt, quoniam ſæpe faciunt colligi ſanguinem, vel aerem in ſacco pleuræ dilatato. Hoc conjicimus auxiliis dictis (1235) & fortiori inſpiratione, dum vulnus ſimul fuit clauſum, facta, ſi cum exſpiratione exit aer, vel ſanguis. Atque ex emphyſemate compreſſili, & ſonitum præbente ad attactum. Denique ex ſymptomatibus læſæ reſpirationis. *Penetrantia, ad pleuram.*

1237. Sanguis, vel aer ita in ſacco dilatato hærens eſt auferendus, quod fit 1. poſito ægro ut vulnus ſit in parte inferiore. 2. Suctione antliæ in vulnus immiſſæ. 3. Suctione per cucurbitam, quæ ope antliæ aere privari poteſt. 4. Artificiali reſpiratione, dum nempe tempore fortioris inſpirationis claudatur vulnus, & aperiatur in fortiore exſpiratione, quod ſæpe eſt repetendum. Rara in tali vulnere fieri debet deligatio, & vulnus obtegendum, ne intret aer, membrana quadam. *Curatio.*

1238. Vulnus autem in cavum pectoris penetrans tribus modis mala infert ſymptomata; 1. effuſione ſanguinis; 2. admiſſione aeris; 3. læſione partium internarum. *Penetrantia in cavitatem.*

1239. Penetrare vulnus detegimus auxiliis dictis (1235) 1. Reſpiratio ſenſim fit difficilior, & tandem non fieri poteſt, niſi erecte ſedeat æger. 2. De- *Signa.*

cu-

cubitus in dorſum dumtaxat commodus . 3. Facilius autem in latus vulneratum , quam oppoſitum . 4. Gravitatis ſenſus in pectore . 5. Senſus fluctuationis in pectore dum movetur corpus . 6. Corporis ſumma inducta ſubito debilitas cum pallore , & frigore . 7. Continuum incrementum ſymptomatum . 8. Parvus ſanguinis effluxus pro vulneris magnitudine . 9. Introitus , vel exitus aeris , & ſanguinis ſpumoſi ex vulnere inter reſpirandum . 10. Immiſſio liquoris ſine reditu . 11. Vulnus magnum reſpectu inſtrumenti vulnerantis .

Curatio. 1240. Sanguis , vel aer in cavo pectoris hærens , ut ex ſacco pleuræ (1237) , eſt educendus . Si vero concretus eſt , primo debet dilui , & reſolvi per *Injectionem* liquoris tepidi mollis , & reſolventis , qui dein cum effuſo ſanguine emittendus . Si vero anguſtior ſit apertura , prudenter ſectione dilatanda . Si vulnus ſit ad ſuperiorem pectoris partem , & ſanguis dicto modo educi nequit , nova facienda eſt apertura per paracenteſin (601) . *Pulmo* autem ex vulnere prominens , & læſus non eſt immittendus , ſed cum vulnerum labiis ejus tentanda eſt conſolidatio . Vulnus ipſum turunda filo alligata eſt apertum ſervandum , cavendus inter raram deligationem aeris introitus . Bibat interim æger aliquod *Apozema pectorale vulnerarium* . Si internæ partes ſimul ſunt læſæ , iiſdem apozematibus utendum , externa medicamenta nihil valent .

De Ventris Vulneribus .

Ventris vulnera . 1241. Ventris Vulnera triplicia ſunt 1. non penetrantia ; 2. penetrantia ; 3. penetrantia , & ſimul lædentia viſcera .

Non penetrantia . 1242. Non penetrare vulnus , auxiliis dictis (1235) inveſtigamus ; tunc ſpecialem non exigit curationem , niſi quod ſutura ſicca (1214) vulneris labia ſint adducenda , & locus firmandus ſplenio , & mantili , ne faciat herniam ventralem .

Penetrantia parva . 1243. Ea autem vulnera in ventris cavum penetrare , detegimus citatis auxiliis (1235.) & exitu humoris ex cavo ventris . Hæc non tetigiſſe interna viſcera , conjicimus ex ſymptomatum paucitate , reditu liquoris injecti non mutati . Hæc autem non penetrantia ſi non permittunt prolabi ventris contenta , & non admodum magna præcedente modo ſunt deliganda , & immittendo turundam , extremo ſuo molli , & obtuſo , quæ retinet plagam apertam , ut effuſus in ventre ſanguis evacuari poſſit . Turunda ſemper filo alliganda .

Latiora . 1244. Latiora autem vulnera , ſolis Emplaſtris tenacibus ſi clauſa retineri non poſſunt , exigunt ſuturam cruentam , quam vocant *Gaſtroraphiam* . Quæ fit duabus acubus uni filo annexis , unaquæque acus , quæ ſatis firma , curva , & ad utrumque latus ſecans , digito Operatoris abſcondita , eſt imprimenda , a parte interna integumentorum ventris per peritonæum , muſculos ventris , & integumenta communia , ut exeat externe ad diſtantiam pollicis ab ore vulneris : idem faciendum in oppoſito labio vulneris per alteram acum eidem filo annexam . In hac ſutura ulterius pergendum , ut in generali ſutura nodoſa (1216) præceptum eſt . Si autem veremur nimiam diſtractionem , ſutura clavata (1219) inſtitui poteſt , duabus acubus duplici filo inſtructis , dum ſimul ſuſtentetur venter emplaſtris tenacibus , & mantili . In hoc vulnere , & ſutura obſervandum , ut ad partem inferiorem immittenda ſit turunda brevis , mollis in extremo , filo alligata . Ceterum hic agendum , ut in pectoris penetrantibus vulneribus (1240) præceptum eſt . Optimum eſt ut æger poſt deligationem ita decumbat , ut vulnus ſit in parte inferiore , præprimis inter innovationem .

Cum prolapſo inteſtino . 1245. Si per vulnus hoc prolapſa ſit inteſtini portio , ea ſtatim refunden-

da . Sed ſi ſerius veniat Chirurgus inveniens inteſtinum ſiccum , & frigidum ,

an-

ante repoſitionem ea pars fovenda, & calefacienda *fomento apto*, vel animali vivente per medium ſecto. Prominens autem pars *mortificata* in ventrem non eſt refundenda, ſed utraque extremitas in parte vivente abſcindenda, & cum vulnere integumentorum conſuenda, & conſolidanda; portio mortua *Meſenterii* liganda filo, quod ex vulnere propendet. Si prolapſum *Inteſtinum* ſimul ſit *vulneratum*, quod cognoſcimus conſpectu, & ex flaccida propendente parte, illa apertura calamo ſcriptorio latior ſi ſit, cum apertura vulneris eſt conſuenda: ſi vero per medium inteſtinum ſit ſectum, utraque extremitas vulneri integumentorum eſt conſuenda per ſuturam nodoſam. In *repoſitione inteſtinorum* ſemper obſervandum, ut ultima exiens pars primo refundatur, ſimulque cavendum, ne ſimul alia pars inteſtini exeat. Si vero intus latens inteſtinum ſit vulneratum, quia mors certa eſt, ſatius erit quærere partem inteſtini vulneratam, & ea dicto modo cum integumentis conſuere, nunquam vero conſuere inteſtina per ſuturam pellionum, quia inteſtina conſuta non conſolidantur.

1246. Si autem inteſtini prolapſa pars propter vulneris anguſtiam reponi non poteſt, vulnus prudenter dilatandum, ſi ſit in parte inferiore ventris ſurſum verſus, ſed in parte ſuperiore deorſum, cavendo lineam albam, arteriam, & venam ſub muſculo recto decurrentem. Remotis itaque inteſtinis, fomento molli munitis, manu ad oppoſitum latus vulneris ductis, immittat Chirurgus ſtilum ſulcatum ſub peritonæo, qui demonſtrat viam ſectioni, quæ fieri debet forfice, vel ſecante alio acuto inſtrumento; alii autem ſine ſtilo per inſtrumentum falcatum intus ſecans, & apice obtuſo munitum, hanc dilatationem faciunt. Si vero tanta ſit vulneris anguſtia, ut falcatum inſtrumentum, vel ſtilus immitti non poſſit, remotis priori modo inteſtinis, primo prudenter integumenta, uſque ad peritonæum iterata ſectione ſunt perſcindenda, & dein prudenter peritonæum ipſum. Poſt factam dilatationem prolapſa inteſtina ſunt reponenda. Si autem repoſitio a nimis tumentibus inteſtinis, vel per feces, vel per aerem, inhibeatur, fomento dicto (1245), blanda compreſſione, vel, & tandem vulneris dilatatione repoſitio eſt facienda; numquam pars inteſtini prominens multis puncturis irritanda, ad emittendum aerem. *Quod refundi nequit.*

1247. Si Omentum ex vulnere propendeat humidum, calens & vividum eſt, iſtud ſtatim in ventrem refundendum: ſi autem ſit refrigeratum, & ſicum, eodem fomento (1245) fovendum prius. Sed ſi ſit lividum, nigrum, & mortificatum, pars prominens eſt amputanda: quia autem ſimul abſcinduntur vaſa, præſtantius eſt omentum adhuc aliquomodo protrahere, ut vivens pars poſſit ligari; ea dein liganda tranſmiſſa acu duplici filo ceraceo inſtructa, quod filum, poſtquam aliquoties circumivit omenti partem viventem, novo eſt colligendum, propendentibus extremis fili extra vulnus; dein pars mortua omenti eſt amputanda, & reliquum ſupra inteſtina eſt diſtribuendum. Poſt quintum, vel ſextum diem tentandum num filum ſuppuratione ſit ſolutum, & ſi fluctuat leniter eſt extrahendum: interim vulnus turunda apertum eſt ſervandum, quæ filo diverſi coloris quam quo ligatum eſt omentum, eſt annectenda. Poſt eductionem fili omenti, apertura eſt conſolidanda. *Cum prolapſo omenti.*

1248. Si vero ex quovis vulnere ventris ſanguis, aut quivis alius humor in cavum ventris ſit affuſus, is ſimili modo, ut ex pectore (1240) eſt educendus. Exprimitur autem ab ægro ſi conamen edit, ut alvum egerentes. *Humor in cavo ventris.*

1249. Omnia vulnera in ventrem penetrantia non lædunt viſcera, & mirum eſt inteſtina ſe tam facile ſubducere poſſe, ut raro perſcindantur. Si autem quædam intus hærentia viſcera ſunt læſa, hoc detegimus, ex dolore, febre, inflammatione, anxietate, pallore corporis, ſyncope, ſudore frigido, exitu cibi, chyli, excrementorum, urinæ, ex vulnere aperto. In his incer- *Cum viſcerum læſione.*

ta

ta eſt curatio, ſola benignitate naturæ conſervantur.

Quæſtiones. 1250. An omnia ſymptomata mala poſt ventris vulnera naſcuntur a viſceribus læſis?

A vulneribus viſcerum ceſſare & turbari functiones viſcerum quæ dicuntur ſymptomata, naturale eſt. Sed etiam 1. mala fiunt ſymptomata defectu preſſionis per muſculos abdominis ſupra viſcera. 2. Ingrediens aer; 3. effuſi humores comprimentes, & putreſcentes, alia anomala ſymptomata inferunt.

1251. Qualis Diæta vulneribus ventris propria?

Nullæ partes vulneratæ ab alimentis aſſumtis maxime agitantur, quam viſcera ventris 1. quia ab aſſumtis maxime diſtenduntur. 2. Tunc magis agitantur quam alio tempore, 3. fæces relictæ, admodum vulneratis damnoſæ. Quare cavendum ne alvus nimis ſit profuſa vel adſtricta, vel corpus impleatur cibo.

1252. Quæ differentia ſtatuenda inter punctturam & vulnus?

Utrumque fit ab inſtrumento duro acuto: ſed punctura punctim infertur, non facit dehiſcere labia, plus mali fieri ſolet ex retento humore quam effluente, ſæpe exigit dilatationem, qualia in vulneribus latioribus non fiunt, vel fieri debent.

1253. Cur punctura tendinis & nervi periculoſior ſolet eſſe quam harum partium vulnera?

Dum fit in his partibus punctura, plura ſolent mala fieri ſymptomata, quam ex latiori plaga, quare conſtat, dolorem & convulſionem non fieri per ſolutam unitatem, quæ facit ut tractionis potentia ſuſtentetur a paucioribus fibris integris, quoniam tunc ſemper illa cauſa eſſet major. Sed quoniam in punctura inhibetur humoris effluxus, ille copia collectus premit, & ſtagnando corruptus acrior factus, iſtum majorem dolorem infert, atque capſulæ contractæ ab irritamento valide premunt contentos nervos.

CAPUT II.

De Excoriatione.

Definitio. 1254. EX quacumque cauſa tam interna quam externa ſi ſolvantur vincula tenerrima, quibus cuticula cuti adhæret ut ſuperficies cutis epidermide privata habeatur nuda, talis morbus vocatur *Excoriatio*.

Cauſæ. 1255. Prout fit ex diverſis cauſis ablatio Epidermidis, ita quoque varia accipit nomina, & diverſam exigit curationem. Cauſæ hæ poſſunt referri; 1. ad attritum; 2. Corroſionem externam; 3. Corroſionem internam; 4. Mortificationem.

Attritus 1256. Si corpus durum fortiter ad Cuticulam applicatam ſupra eam moveatur, quali modo fit in frictione, laboribus manuum, ambulatione, equitatu & ſimilibus, proprie vocatur *Attritus*, & inter nates ſi fiat *Intertrigo*. Per fricationem hanc generatur calor major partis, rubedo, intumeſcentia, dolor, veſicularum elevatio, denique Cuticulæ integra ſeparatio, cum lymphæ copioſioris tranſudatione, & dolore magno ad attactum. Si continuetur illa cauſa, ipſa denique cutis deteritur, & Eſcharam contrahit. Ceſſante fricatione manent tamen aliquamdiu hæc ſymptomata. Sed, niſi diutius continuetur cauſa, aut fiat in corpore morboſo, brevi tempore curatur. Natura tunc ſibi relicta format cruſtam, ſub qua renaſcitur ſenſim epidermis.

Curatio. 1257. Curatio hæc eſt vel præſervatoria vel curatoria; nam ſi partis expectamus Detritum, illa pars eſt præmunienda *oleoſo & pingui molli*. 2. Si vero continuatus Attritus produxerit rubedinem, dolorem, & tumorem, compeſcendus eſt nimius ille inductus motus ſimilibus *pinguibus refrigerantibus*

bus anodynis, & ſi nimis urget, inſuper *Cataplaſma* vel *fotus laxans* applicari poteſt, ne pars nimis agitata inflammationem & eſcharam contrahat. 3. Si veſicula ſimul fuit excitata, ea eſt pertundenda, ut effundatur collectus humor, ne ſtagnando reddatur acris, relicta epidermide tegente. 4. Sed ſi epidermis fuit ablata, quum cutis tunc ad quemcumque attactum vehementer doleat, pars illa *linimento molliſſimo* ſupra ſyndonem extenſo prius tegenda, & in innovatione relinquenda, ſupra quod dicta applicari poſſunt. 5. Vehementior autem attritus Eſcharam inferens, poſtquam per recenſita ſedatus eſt motus, Eſchara eſt ſeparanda per lenia *abſtergentia*.

1258. Dum vero per acria applicata, uti ſunt omnia Corrodentia & Veſicatoria, epidermis corrodendo ſit ablata, Curatio a præcedente non differt, niſi quod pars ea primo ſit abluenda *Lavamento molli*, quod omne tollit acre. *Corroſio externa.*

1259. Simili fere modo ab acri humore interno corroditur cuticula, & a ſubjecta cute ſeparatur. 1. Si aliquod corpus in ſe contentum acrem humorem evacuare ſolet per cutim, impeditur exhalare per pinguia applicata, qualia corpora inveniuntur, quæ ad cuncta emplaſtra vel unguenta applicata, ſtatim patiuntur partis colorem, rubedinem, pruritum, & dein puſtulas & Excoriationes: ſtatim hoc in caſu tollendum eſt iſtud pingue, & pars abluenda *Lavamento adſtringente antiſeptico*. Si autem hi homines propter ulcera vel alios morbos medicamenta applicata gerere debent, ex Emplaſtris, Unguentis, talia ſunt applicanda quæ *Excoriationem arcent*. 2. Si vero ex corpore fluentes humores; ſive quod naturalia excrementa, fæces alvinæ, vel urina, nimis diu applicata hæſerint, vel acriora fuerint: ſive Ichor fluens ex ulcere, fiſtula, cancro, ſupra partem aliquam, pars talis corroſa eſt abluenda lavamento antiſeptico citato, & dein debemus partem inungere, vel ad eam applicare *unguenta & emplaſtra antiſeptica*. Eadem quoque valent ad muniendam partem, ne acri fluente corrodatur. *Corroſio interna.*

1260. Quæ vero in parte ſphacelata fit Excoriatio, a præcedente curatione recedit; nam exſtincta vita partis validiora medicamenta exigit, ut conſtitit ex ſphaceli curatione (640). Sed ſi pars per combuſtionem & congelationem privetur epidermide, hoc infra tradetur. *A Mortificatione.*

CAPUT III.

De Contuſione.

1261. SI per inſtrumentum obtuſum, vel corpus quoddam obtuſum tam valide ad noſtrum corpus applicatum; ſive corpus in iſtud feratur, ſive fiat compreſſura, ſive ictu, quædam fibræ & vaſcula diffringantur, in parte molli, talis ſoluta unitas vocatur *Contuſio*. *Definitio.*

1262. Notabilis obſervatur differentia, ſi talis in minimis partibus duntaxat habeatur comminutio, vel ſi ſimul quædam partes integre ſeparantur, nam tunc utplurimum ad vulnera refertur Contuſio. *Differentia.*

1263. Nulla fit Contuſio, quin quædam vaſcula ſanguinem continentia diffringantur, quæ ſanguinem effundentia faciunt maculam lividam, quam vocant *Sugillationem* & *Ecchymoſin*. Si ſanguis manet reſolutus ſenſimque diſſipatur, livor ſenſim evaneſcere incipit, commutaturque in cinereum, dein flavum colorem, & ita ſine integra diſruptione partium evaneſcit. Si vero effuſus ſanguis concreſcit & exſiccatur, relinquit veſiculam lividam epidermide tectam, quæ dein magis ſiccata a cute ſubjecta ſeparatur, relinquens partem ſanam. Quod raro niſi in parvis contuſionibus. Nam Contuſiones majores & profundiores ſenſim concepta putrilagine commutantur plerumque in *ulcus ſordidum*. *Effectus.*

Effectus pro diversitate partium.

1264. Ut varii fiunt in Vulneribus (1193) effectus ex partium diverſitate, hoc quoque obſervatur in validioribus contuſionibus, quare Lethalitas (1196.) æque ex Contuſione quam vulnere eſt deponenda.

1. *Arteriæ* ramus major contuſus ſæpe intulit *Aneuryſma*.

2. Totum membrum valida contuſione deſtructum, ſæpe *ſphacelatum* perit.

3. *Glandula* contuſa plerumque indureſcit & fit *ſcirrhoſa* vel *cancroſa*.

4. *Oſſium* contuſio plerumque commutatur in *Cariem*.

5. *Muſculorum* valida contuſio interdum facit *Contracturam*, & *Induration-nem*.

6. *Nervorum* contuſio vel inducit *Stuporem*, vel *Paraliſin*, vel *Dolorem* intolerabilem.

7. *Tendinum* contuſio ſæpe facit *Rigiditatem* & *Ganglion*.

8. *Viſcerum* Contuſiones, pro functione varia viſcerum, diverſa ſymptomata inferunt, & non raro ita deſtruunt viſcera, dein viſcera ſphacelo vel ſordido ulcere correpta mortem inferunt, quam ob rem *Ventris* contuſiones ſæpe mortem intulere.

Detectio.

1265. Partem aliquam Contuſione eſſe deſtructam dignoſcimus 1. Ex comparatione magnitudinis cauſæ ad partis firmitatem. 2. Ex partis mutatione ſi faciat tumorem lividum vel nigrum. 3. Ex dolore, ſtupore, gravirate, & immobilitate partis. 4. Ex ſanguinis effuſione per aures, nares, fauces, alvum, pudenda.

Curatio.

1266. Partis contuſæ ſemper tentanda Reſolutio, quæ ſi obtineri non poſſit, contuſa pars ad Suppurationem eſt deducenda, ſed in validiſſima contuſione interdum cogimur partem amputare.

Reſolutio.

1267. Ut pars contuſa reſolvatur, prævenienda eſt ſanguinis effuſi Coagulatio, & nimia fibrarum ſolutarum Accurtatio. Hoc obtinemus ſi ſervemus partem in modico calore, & applicemus medicamenta *Laxantia*, *humida*, & *pinguia*. Si vero major obſervatur durities aut ad partes glanduloſas, applicanda quæ magis *Reſolvunt*. Et ut promptior reſoluti humoris fiat Abſorptio, conducit venam ſecare, atque dare *purgans antiphlogiſticum*: multum quoque juvat partem mulcere ſeu leniter fricare. Abſtineat ſe æger a carnis eſu ob promptam putredinem ſed habeat pro victu olera, ut Endiviam, Acetoſam, Scorzoneram, Chærefolium, Lactucam, Betam, Radicem Fœniculi, & ſimilia, parva copia ſimul aliquoties de die.

Suppuratio.

1268. Contuſio autem major ſi ſit, & plura vaſcula diſrupta quam ut ſperare poſſimus reſolutionem, ſtatim applicanda ſunt, quæ partem contuſam cito commutant in purulentiam, ut ſunt *Pus moventia*. Si autem pars quædam mortificata ſit, ut Eſcharam faciat, hæc multis inciſionibus eſt pertundenda, & partes ſcarificatæ *Lavamento* eluendæ, & applicanda ea, quæ pus movent. Si vero ſimul vehemens urget dolor, *Anodyna* ſunt applicanda.

Mortificatio.

1269. Membrum autem ita contuſum, ut conſervandi ſpes nulla ſuperſit, eſt amputandum (644). Tentando prius num non poſſit in ſuppurationem converti; ſi autem multa offícula in pede vel manu fuere comminuta, præſtantius valentibus viribus ſubire amputationem, quam poſt multas miſerias toleratas, dum corpus fuit factum debile.

Quæſtiones.

1270. Quæ fides habenda arcanis datis, ut eſt Lapillus cancrorum, Sanguis hircinus, Corallia rubra, Sperma ceti, Cereviſia Brunſvicenſis?

Cuncta multis extolluntur encomiis, quia poſt hæc data feliciter ſanata fuit contuſio: ſed quia contuſio cadit in corpore ſano, per ſe ſatis cito reſolvitur, quæ reſolutio non fit dictis aſſumtis. Si v. gr. Sanguis hircinus ſiccatus & ita viribus privatus ad drachmam aſſumtus tantum præſtaret, multo plus polliceri poſſet, ſi quis carnem hircinam cum multo ſanguine ederet.

1271. An ad validas contuſiones applicanda Defenſiva adſtringentia ad intercipiendum confluxum humorum?

Ita concipiebant Veteres inde naſci contuſionis tumorem: ſed quia pars contuſa irritatur, & liber non eſt transfluxus humorum, in ea parte format tumorem: hinc ſi applicetur adſtringens, accurtabuntur fibræ laceratæ magis, & coagulabitur effuſus ſanguis, adeo ut qui tumor ex arte tractatus fuiſſet reſolutus, per hæc applicata ſæpe convertatur in putrilaginem.

1272. An preſſione corporis frigidi eſt cohibendus tumor ex contuſione naſcendus?

Nihil promptius eſt quam ſi puer cecidit in caput, ne naſcatur tumor, cultrum vel aliquod corpus frigidum apprimere ad locum contuſum, ut inhibeant tumorem. Sed nihil eſt quod majorem tumorem facit, nam non ſolum frigus accurtando fibras & coagulando ſanguinem, effuſi ſanguinis reſorptionem inhibet, verum etiam preſſione ſuffocat exiguam quæ ſupereſt circulationem.

1273. Cur ex Contuſione ulcus ſordidum?

Sive Contuſio integram ſive imperfectam ſolutionem faciat, modo deinceps formetur ulcus, iſtud propterea ſemper erit ſordidum, quum margines partis contuſæ conſtent vaſis ſemilaceratis in ſe continentibus humores concretos, qui ſorditatem exhibent non facile ſeparandam. (Conf. 1263.)

CAPUT IV.

De Combuſtione.

1274. SI per ignem actualem, lucentem in flamma, vel non lucentem in aqua, aliiſque corporibus, quædam partes firmæ noſtri corporis vel humores immutantur, talis mutatio vocatur *Combuſtio*. *Definitio.*

1275. Talis actio ignis applicata ad partem mollem animalis mortui corporis 1. iſtam partem accurtare & corrugare facit, & vaſcula conſtringit: tunc talis pars tenſa facile rumpitur; ſed malaxata humido & pingui in priſtinum ſtatum redigi poteſt. 2. Validior ignis actio, relinquit partem duriorem & contractam, non facile relaxandam. 3. Si adhuc validior fiat, magis contracta & dura invenitur pars & multis rimis diſrupta. 4. Sed validiſſimus ignis gradus totam partem deſtruit & in maſſam confuſam convertit. *Effectus in ſolidis mortuis.*

1276. Quum duplex genus humorum contineatur in cadavere, coagulabilis ſcilicet & non coagulabilis, effectus in his differunt. Lympha enim & pinguedo levi gradu ignis liquefacta, non multum mutantur, ſed per ſummum gradum corrumpuntur. Altera autem pars 1. levem inducit ſed iterum ſolubilem *Coagulationem*. 2. Inducta coagulatio non niſi longo tempore ſolvitur. 3. Inducta coagulatio in bonum humorem reſolvi nequit. 4. Si pergit vehementior gradus, is primo coagulat, dein coagulatum deſtruit in maſſam combuſtam, ſeu ignis actione deſtructam. *In Liquoribus.*

1277. Quatuor iſti ignis gradus ad noſtrum corpus applicati ſimilia in partibus firmis & fluentibus faciunt; ſed præterea ex vitæ actione quædam alia accedunt, quæ in quatuor his gradibus ſunt enumeranda cum adjecta curatione. *In viventibus.*

1278. Primus gradus in viventibus producit dolorem, colorem & rubedinem, quæ brevi tempore tolluntur applicatione *pinguis & humidi* cum modico calore. *A Gradu primo.*

1279. Major autem ignis gradus, vel diutius continuatus, majorem dolorem, calorem, & rubedinem inducit, ſimulque elevatur veſicula latice plena. Eadem ſunt applicanda, quæ in gradu primo ſed veſicula elevata eſt perunden- *A Gradu ſecundo.*

da, relicta epidermide. Si vero Epidermis ſimul fuit ablata, ſupra partem denudatam prius applicanda carbaſus *molli linimento* obducta ad evitandum attactum. Si vero ſimul impreſſa ſunt nigra ſtigmata a *Pulvere pyrio*, illa ſtatim eluenda blande per *Lavamentum molle abſtergens*. Si vero ſatis elui non poteſt, applicanda ſunt parva *Emplaſtra veſicatoria*, quæ magnitudini ſtigmatum reſpondeant, ut eliciatur macula nigra: reliqua pars ſuperius recenſitis tegenda. Quum nimis vehemens urgeat dolor, ex generalibus allegatis applicanda *Anodyna*.

A Gradu tertio. 1280. Si vero vehementior ignis actio deſtruxerit cutim, firmabitur ſtatim ulcus ſordidum, & admodum dolens, cum marginibus rubris dolentibus, & contractis. Statim eadem ut in gradu ſecundo applicanda medicamenta. Poſt inductam laxitatem ſolitam marginibus partis combuſtæ, ulcus id ſordidum eſt abſtergendum, *ſed lenioribus abſtergentibus*, quam in aliis ulceribus adhiberi ſolent.

A Gradu quarto. 1281. Vehemens autem ignis gradus deſtruens totam cutim, & ſæpe etiam ſubjectam carnem, coagulans ſanguinem, exprimens, quod coagulari nequit, unico momento partem viventem in Eſcharam mortuam convertit. Statim non eſt tentanda Eſcharæ ſeparatio, ſed pars fovenda præcedentibus, quibus ſæpe margines combuſtæ ſervantur, quæ ſi relictæ in Eſcharam quoque fuiſſent converſæ. Quare poſt biduum, ſi invenimus *Eſcharam* ea eſt ſcarificanda, & tractanda, ut monuimus (642), ſed *Leniora*, *& minus adſtringentia* adhibenda.

Quæſtio. 1282. An recte faciunt, qui Adſtringentibus, vel acribus, vel actu frigidis conantur temperare combuſtionis ardorem, & dolorem?

Ad temperandum dolorem combuſtionis nihil promtius eſt, quam applicare atramentum, vel emplaſtrum aliquod adſtringens, quod vel Defenſivum, vel Aduſtum vocant. Talia equidem quia augent contractilitatem fibrarum, & coagulant humorem, ſemper augent combuſtionis mala, etiamſi in principio videantur lenire dolorem. Sed mirandum eſt toties applicari ſaponem nigrum, & alia acria, quum hæc augeant dolorem, calorem, & majorem deſtructionem faciant. Nihil damnoſum eſt, quam actuale frigus, quod ſtatim leniter combuſtos humores ita condenſat, ut deinceps nunquam ſolvantur. Miror tamen apud probatos Medicos Spiritum vini, vel & Camphoratum, atque oleum Terebinthinę applicata inveniri.

CAPUT V.

De Congelatione.

Definitio. 1283. SI per frigus externum alicujus partis viventis motus vitalis exſtinguitur, & humores in tali parte concreſcunt, talis pars dicitur *Congelata*.

Proprietates gelationis. 1284. Humores aquoſi ut & ſanguis a frigore glaciali 1. magis expanduntur, ut vaſa quibus continebantur diffringant, & glacies aquæ fluenti ſupernatet. 2. Amittunt non ſolum fluorem, ſed veluti in chryſtallos oblongas commutantur. 3. Partes gelu concretæ tarde ſolvuntur in paulo majore calore, quam qui congelare permittit. 4. Humores preparati ex variis partibus conſtantes, ſi poſt congelationem iterum ſolvuntur non ſervant eandem indolem. 5. Non omnes partes gelu in tali humore unitæ a calore ſubſequente ſolvuntur. 6. Quo majore calore regelantur humores, eo magis deſtruitur naturalis indoles, & eo magis diffringuntur vaſa, quibus continentur hi humores.

Coagulationis ſpecies. 1285. Congelatio commode ad duas ſpecies referri poteſt, quarum prima in corpore vivente etiam generatur a frigore minore, quam quod aquam

in

in glaciem convertit. Altera autem ſpecies a majori gradu frigoris, quod frigus ſtatim extinguit vitam iſtius partis, & humores in glaciem convertit.

1286. Prima ſpecies vocari poteſt *Pernio*, ſeu *Cheimethlon*, in quo plerumque a minori frigoris gradu, quam qui format glaciem, in partibus extremis, & aeri nudo expoſitis formantur tubercula dura, in majore calore admodum prurientia, ſenſim cum continuato frigore facta majora, & dolentia, primo rubentia, & dein liveſcentia. Ut evitetur Pernio, egregium eſt partes iſtas magis gerere tectas, aut tegere *Emplaſtro*, vel *Linimento calefaciente*, quibus præſentes Perniunculi curantur, & inſtante frigidiore tempeſtate præveniuntur. Tandem perſeverante frigore ſenſim totum membrum tumere incipit, liveſcere, & frigeſcere ad attactum, & admodum dolere in calore, & cuticula ſeparatur a ſubjecta cute, quæ exhibet maſſam ſordidam, lividam, ulceroſam, frigidam, tamdiu durantem ac durat frigus, imo uſque in æſtatem. Ita factum ulcus ex frigore ante dictis tegendum, & *Abſtergentibus calefacientibus* depurandum, bene muniendum contra externum frigus. Si vero ob nimiam aeris inclementiam, vel debilitatem partium non reſolvitur Pernio dictis auxiliis, pars illa fovenda *Cataplaſmate*, & *Fomento calefaciente* calido conſervato. *Pernio.*

1287. Si vero per frigus glaciale pars combuſta ſit, cavendum ne ſtatim exponatur calori, cito enim deſtruetur, ſed pars fricanda eſt nive, vel aqua frigida, donec ſenſus redeat parti. Si gelu non admodum alte penetravit, neque minus diu duravit, ſæpe redit pars ſine ulla labe ad perfectam ſanitatem. Si autem tunc remanet pars quædam mortua, illa *Eſchara* eſt ſeparanda medicamentis in Pernione citatis. Hoc quoque faciendum etiamſi totum membrum gelu ſit mortificatum, niſi quod interdum cogamur amputare partem. Quando ſatis magna pars gelu combuſta fuerit, vel & totus homo, poſtquam præcedente modo vita fuit reſtituta, quædam medicamenta *Calefacientia*, ſunt danda, ut præparentur iterum humores, & expellantur corrupti. *Congelatio.*

1288. Cur omnibus hominibus in eodem aere degentibus non æque frequentes Perniones?

Invenimus pueros, feminas, & quoſdam homines, quam primum paulo major fit aeris frigiditas, ſtatim vexari Pernionibus, alios autem ne quidem in ſæviſſima hieme: quare cauſa non latitat in aeris frigiditate, ſed in corporibus diverſis: quorum enim corporum, vel eorum partium facilius per frigus exſtinguitur motus vitalis, eæ partes facilius pernionibus corripiuntur. Quare monemur applicatis calefacientibus, ſed non corrodentibus prævenire Perniones.

1289. Cur Pernio prurit, & dolet in calore?

Quum humores concreti in Pernione hærentes, & circulationi inepti a calore in motum adigantur, primo leniter diſtendendo, & irritando vaſa pruritum inferunt; ſed magis agitati tantum diſtendunt vaſa, ut faciant dolorem, imo deſtructionem partis. Quare cavendum ne pernio nimis cito calore, vel calefacientibus agitetur. *Quæſtiones.*

CAPUT VI.

De Fiſſuris.

1290. SI in cute externa, papillis mammarum, ano, labiis, & aliis partibus fiant rimæ oblongæ, quæ dicuntur *Rhagades*, ac ſi eſſent a cauſa vulnerante factæ, ſponte ſua, quod partes illæ molles minus ſequaces ſint, talis ſoluta unitas vocatur *Fiſſura*. Quæ autem fiſſuræ fiunt in oſſibus ſpeciali titulo (256) pertractantur. *Definitio.*

1291.

Cauſa. 1291. Generantur fiſſuræ. 1. Defectu pinguedinis, ut in frequenti abſterſione, & lotione partium, Lue Venerea, Impetigine, Lepra, Scabie. 2. Aere frigidiore, & ſicciore omnem humiditatem tollente. Quando itaque cutis ita facta rigida, & arida movetur, facile rimam contrahit.

Curatio. 1292. Quæ fiſſuræ oriuntur a cauſis internis non perſanantur, niſi curato illo morbo; ſed ſi fiant defectu pinguedinis, aut humiditatis per aerem ſicciorem, & frigidiorem, vel frequentiorem abſterſionem, illa pars eſt primo depuranda *Lotione molli abſtergente*, dein pars inungenda *Linimento molli*. Eodem linimento, vel quodam *Emplaſtro molli conſolidante*, pars ſervanda tecta. Sed ſi fiat ex ſcabie, impetigine, vel Venerea Lue, adhibenda ſunt *Linimenta*, *& Lavamenta Mercurialia*. Sed ſi mammarum papillæ in lactantibus fiſſuris vexantur, *mollia*, *& tuta* applicanda, quæ ab infante deglutiri poſſunt.

CAPUT VII.

De Ulceribus.

Definitio. 1293. SOluta unitas in parte molli noſtri corporis, cum quadam deperdita ſubſtantia, ab interna corrodente, vel conſumente cauſa producta vocatur *Ulcus*. Ita etiam ulcera dicuntur, quæ relinquuntur poſt vulnera, Combuſtiones, Contuſiones, Congelationes, Excoriationes, quamvis a cauſa externa fuere nata.

Differentia a conſimilibus morbis. 1294. Ulcera a Vulneribus, contuſionibus &c. ſola vetuſtate differunt. Sed modo apertura partis amiſſæ ſit ſatis magna, ſive contineatur in ea cavitate Pus, Ichor, ſordes, caro ſpongioſa, cruſta, nomen tamen ulceris ſervat. Si vero apertura ſit anguſta, & deſcendat profunde inter partes molles, frequentius vocatur *Fiſtula*. Sed ſi ſub anguſta apertura magna invenitur cavitas plerumque pure plena, tunc vocatur *Sinus purulentus* (564) Quamdiu externe nulla eſt apertura etiamſi intus ſit cavitas ampla pure plena, non vocatur ulcus, ſed *Abſceſſus*.

Genera. 1295. Ad Prognoſin, & indicationem curativam formandam juvat Ulcera in ſua genera diſtinguere. 1. Recentia, vel vetuſta. 2. Magna vel parva. 3. Plana, profunda, rotunda, anguloſa. 4. Benigna, maligna. 5. Purulenta ſanioſa, ſordida, putrida, Cacoethes, Hyperſarcotica, ſicca, rheumatica &c. 6. Variis in locis corporis, quia loca hæc ſæpe ſpecialia medicamina exigunt. 7. Denique pro diverſitate ſymptomatum, quæ ulceribus junguntur mutatur prognoſis, & curatio. 8. Ut & cauſæ variæ ulcera producentes.

Prognoſis mala. 1296. Multæ ſunt regulæ generales malam prognoſin in ulceribus præbentes. 1. Ulcera in corpore cacochymico, hydropico, valetudinario. 2. Ad loca ubi multi confluunt humores, ut ad pudenda, anum, articulos, os, nares, oculos. 3. Ad partes nervoſas, tendinem, articulos, ligamenta. 4. Circa vaſa majora, arteriam, venam, vel nervum. 5. Penetrantia in quandam cavitatem. 6. In loco, ad quem non ſatis commode medicamenta admoveri poſſunt. 7. In locis, quæ aeri ſunt expoſita, ut cava narium, fauces, palatum, pulmones. 8. In parte glanduloſa, vel parte acuto ſenſu prædita. 9. Ulcera profunda, vetuſta, ſordida, circularia. 10. Ex metaſtaſi nata, vel quæ morboſum humorem evacuant ex toto corpore, ut in menſibus, hæmorroidibus ſuppreſſis. 11. Supra tibiam, ad malleolos, ubi varia fit cutis diſtractio. 12. Quorum facta cicatrix ſecedit, aut quæ recrudeſcunt. 13. Quorum color, pallidus, lividus, niger. 14. Fundentia Ichorem fœtidum, ſpecillum, vel plumaceolam applicatam tingentem. 15. Quorum oræ calloſæ ſunt. 16. Ad attactum admodum dolentia. 17. Cum duritie, oſſis carie, vel alio modo ſymptomate juncta. 18. Admodum ſicca in periculoſe decumbentibus mortem præſagire ſolent.

1297. Si recenſita mala abſint, ſed ulcus invenitur impletum Pure albo, puro, ſubpingui, æquali, non mali odoris, & copia mediocri, nec nimis tenui, aut ſpiſſo, tale ulcus citam ſanationem promittit. *Bona.*

1298. In ſimplicis ulceris curatione aliud nihil requiritur, quam ut apertura impleatur firma carne, quæ dein cicatrice eſt obducenda. *Curatio.*

1299. Quæ medicamenta applicata vel & interne data faciunt, ut ulcus citius, & firmiore carne impleatur, huc pertinent; ſed quoniam ulcera varias occupant partes, *Sarcotica* quoque *in forma varia* eſſe debent, paulo magis, minuſque adſtringentia, prout laxiorem, vel ſtrictiorem detegimus carnem. Multum juvant cita deligatio, ut arceatur aer a nudo ulcere; rarior quam fieri ſolet innovatio; non nimis accurata puris abſterſio, ne lædantur tenella vaſcula; impletio æqualis per linteum carptum; modica ſuſtentatio partis per faſcias. *Sarcotica.*

1300. Si innata caro ad debitam altitudinem pervenerit, medicamentis paulo magis adſtringentibus inducenda eſt cicatrix, qualia dicuntur *Cicatrizantia*, quorum multa quoque recenſita ſunt in ſarcoticis. *Cicatrizantia.*

1301. Quum variæ ulcerum inveniantur ſpecies, quæ ſpecialem curationem exigunt, ex his præcipuas delibabimus. Inter has ſimpliciſſimum eſt, quod ſine corroſione magnam puris copiam fundit, inde *Purulentum* dictum. Hoc curandum eſt medicamentis *pus cohibentibus*. Et quoniam hæc tam interna, quam externa habentur, varia genera medicamentorum poſtulant. *Purulentum.*

1302. Quando ex ulcere loco puris effluit humor tenuis, rodens, plerumque fœtens, utplurimum flaveſcentis coloris, vel & lividi, aut nigri, tale ulcus vocatur *Ichoroſum*, plerumque habens ſubjectum os carioſum, vel carcinoma latens, vel latentem alicubi ſinum, qui tamdiu retinet pus, donec per ſupervenientem putredinem convertatur in Ichorem. Quare talia ulcera nunquam ſanantur, niſi putredo totius corporis emendetur, & præveniatur puris illa corruptio. Itaque applicanda, & ulceri indenda medicamenta, atque ulcus tale abluendum *antiſepticis*: nam cohibendo effluxum exaſperabitur malum. *Ichoroſum.*

1303. Si vero ex ulcere continuo ſtillat humor tenuis, aquoſus, pellucidus, acris, ab copioſo illo effluxu vocatur ulcus Catarrhoſum, & Rheumaticum, plerumque eſt talis humor tenuis in toto corpore natus, qui ad ulcus deponitur; rarum eſt ſi ex vaſe lymphatico rupto tale fit ſtillicidium. Quare ad ulcus applicanda *adſtringentia abſorbentia*, & tentanda ductio hujus lymphæ per alvum, urinam, vel cutim *Purgantibus Diureticis*, atque *Sudoriferis*, ut pars ea liberetur a confluxu: multum ſæpe juvat liquorem illum intercipere fonticulo. *Catarrhoſum, ſeu Rheumaticum.*

1303. Interdum ex ulcere circa articulos, & tendines magna copia liquoris ſpiſſioris inſtar albuminis ovi effluit, quale ulcus vocatur *Synovia*. Videtur gelatina, vel mucilago lubricans tendines, & articulos per ulcus evacuari, quam ob rem facit membri exareſcentiam, & rigiditatem. Difficulter ad curationem deducitur, quum perpetuam ſcaturiginem habeat, & illa gelatina diutius ſtagnans liqueſcens abeat in Ichorem, quo corroduntur adjacentes partes, quæ poſtea inter ſe concreſcunt. Indenda ſunt, & applicanda *Nervina conſolidantia*. *Synovia.*

1304. Interdum tota ulceris cavitas impletur materia tenaci glutinoſa, quæ tam firmiter lateribus, & fundo ulceris adhæret, ut nec abluendo, nec abſtergendo auferri poſſit; hæc facit, ut tale *ulcus ſordidum* vocetur. Hoc glutinoſum tenax interdum in finibus vaſculorum ſuperficiei ulceris ſubſiſtens non poteſt tolli, niſi ſimul quædam portio de cute, vel carne auferatur. Quod ſi in ſordibus his quædam ſimul habetur acrimonia corroſiva, late depaſcendo admodum auget ulceris magnitudinem. Quoniam præſente illa ſorditate ulcus, neque carnem generat, neque ad cicatricem deduci poteſt, iſtæ ſordes omnino ſunt abſter- *Ulcus ſordidum.*

ſtergendæ, primo *Abſtergentibus* mitioribus, dein, ſi his non cedunt, acrioribus; & quando his ne quidem auſcultant, ad Corrodentia deveniendum. Si vero ſordes nimis craſſæ ſunt, ut præſcindi poſſint, juvat ſordes tractare ac ſi eſſet Eſchara. Depuratum dein ulcus Sarcoticis implendum, quæ aliquomodo ſunt ſimul abſtergentia.

Ulcus putridum. 1306. Ex fœtore cadaveroſo ſpirante ex ulcere vocant tale *Ulcus putridum*, exhibens oleum putredine corruptum cum ſale alcalino volatili. Quamdiu talis adeſt putredo, ulcus conſolidari nequit, quum affluentes humores, & tenella vaſcula in putrilaginem ſimilem convertantur. Horum ulcerum tria genera inveniuntur, quæ ſpecialia medicamenta exigunt.

Putredo calida. 1307. Si enim ex ulcere fluit humor tenuis, rodens calorem, & pruritum cum rubedine inferens, illa putredo calida vocari poteſt, & exigit medicamenta *antiſeptica*, *refrigerantia*, *adſtringentia*.

Putredo frigida. 1308. Sed ſi fœtens effluens humor ſimul inducit partis refrigerationem cum pallore, adhibenda ſunt *antiſeptica calefacientia*, quæ majorem motum inferunt.

Putredo ſordida. 1309. Sed ſi cum putredine illa, magna copia ſordium adſit, ſimul videndum num vergat magis ad putredinem calidam, vel frigidam, ut ita eligantur medicamenta *Abſtergentia frigida*, vel *Calida antiſeptica*. In tali ſorditate ſæpe cogimur applicare Corrodentia, ut in ulcere ſordido (1305) monuimus.

Malignum ulcus. 1310. *Ulcus malignum*, quod vocant *Cacoethes*, denotat omne genus ulceris quod vix non, vel difficulter ſanari poteſt, reſpuit omnia probata medicamina, recrudeſcit, multa mala, & anomala ſymptomata infert, unde etiam dicuntur *Pertinacia*, *Contumacia*, *Virulenta*.

Corrodens. 1311. Si effluens ichor tantam poſſidet acrimoniam, ut partes circumjacentes conſumantur, ſenſimque fiat ulcus latius, hoc vocant *Corrodens*, vel *Comedens*, aut *Depaſcens*. Cutim præcipue corrodens vocant *Ambulativum*. Sed quod etiam ſubjectam carnem conſumit dicitur *Phagedæna*, *Nome*, *Lupus*, præprimis ſi ad tibias hæret: ſed nares occupans ſæpius vocatur *Noli me tangere*; in ore vocatur *Cancer aquoſus*.

Cancroſum. 1312. Si vero ulcus habeat labia retorrida, livida, tumentia, vaſis, & tuberculis lividis ſtipata, ad quævis medicamenta ſe exaſperans, *Cancroſum* vocant ulcus. Et præter annumerata multa finxerunt Veteres nomina, ut malignitatem, corroſionem, & difficultatem curationis exprimerent. Sed pauca hæc ſufficere poſſe ad Curationem exiſtimo.

Curatio. 1313. Hæc ulcera maligna ſi præcedente methodo curari non poſſunt, tentanda eſt curatio *Mercurialibus*, *Decoctis ſudoriferis*, & *alvi ductione* ſemel, aut bis in ſeptimana. Sed ſi ulcus ſit factum Cancroſum omnem medelam reſpuens, curatio palliativa, eſt inſtituenda, abluendo partem *lavamento molli antiſeptico*, ut liberetur ab acrimonia rodente, & applicando *abſorbentia antiſeptica*. Si vero nimis urget dolor, ſæpe debemus applicare, & ingerere *Anodynum*, ut ulcus tolerari poſſit.

Hyperſarcoticum. 1314. Si ex ulceris fundo, vel ad margines, excreſcat maſſa rubra fungoſa, ad attactum admodum dolens, facile fundens ſanguinem, vocatur Caro luxurioſa, & tale ulcus vocant *Hyperſarcoticum*. Raro ad ungues habetur ulcus, quin talis maſſa excreſcat, aut ſi ſubſit oſſis caries.

Curatio. 1315. In locis, & ulceribus, in quibus exſpectamus talem excreſcentiam, debemus per plumaceolas ſiccas, vel *pulveres*, aut *lavamenta antiſeptica* prævenire hanc luxurioſam carnem, cavendo omnem applicationem pinguium. Si vero his coercere non poſſumus incrementum, ſimilia ſunt adhibenda, ſed *magis corroſiva*, quibus præſens ſæpe ſupprimitur. Si autem ad magnam molem increvit, & his ſupprimi non poſſit, tota moles, vel eſt abſcindenda, vel ligando tollenda, in quo caſu applicanda *ſtyptica* ad compeſcendam hæmorrhagiam.

1316. Cur ulcera cum labiis duris curatu difficiliora? *Quæſtiones.*

Indurata labia in ſe continent humorem in pus non reſolubilem, ſed qui ſtagnando liqueſcens præbet ichorem rodentem, quo potius conſumitur caro. Unde optimi Chirurgi monent calloſa labia eſſe tollenda, ſi velimus ad curationem deducere ulcus.

1317. Cur ulcera circa articulos difficulter ſanantur?

Circa articulos varia habetur fibrarum diſtractio, qua ſæpe tenella vaſcula concreta diſrumpuntur; atque non raro ex cavo articuli, vel vaginis tendinum ſuppeditatur humor conſolidationem impediens.

1318. Cur ulcera vetuſta, rheumatica, ſanata, vel recrudeſcunt, vel pejores morbos inferunt?

Talia ulcera rheumatica non ſolum exonerant alienum humorem in ulcere ipſo confectum, ſed & ſerviunt pro artificiali emunctorio totius corporis. Si ergo ſanantur, humor morboſus, hic ſolitus evacuari, collectus erumpit ſanatum ulcus; vel ſi hoc facere nequit, non raro ad alias partes magis principes fertur, ubi pejores morbos infert.

CAPUT VIII.

De Fiſtula.

1319. ULcus vetuſtum, profunde penetrans inter partes molles, figuræ oblongæ inſtar cannulæ, cujus latera pellicula, vel tenaci muco, vel callo obſeſſa non coaleſcunt, fundens majorem copiam puris, vel ichoris, quam in tam parva cavitate potuiſſet confici, vocatur *Fiſtula*. *Definitio.*

1320. Quum omnis fiſtula anguſtum habeat orificium, vel multos cuniculos, ejus differentia eſt inveſtiganda ſtylo, cathetere flexili, candela ceracea, injectione liquoris, & artificiali expreſſione puris, vel injecti liquoris. *Detectio.*

1321. His auxiliis detegimus, num fiſtula 1. rectam, obliquam, flexuoſam, vel quamcumque aliam ſequatur viam. 2. Num unum plureſque cuniculos habeat. 3. Si immiſſo ſtylo detegimus corpus durum, ſed æquale, judicamus pertingere ad os perioſteo adhuc tectum. 4. Si vero id durum ſimul detegitur aſperum, & inæquale, deſignat os ſubjectum eſſe carioſum, quod ulterius ex cariei (210) ſignis confirmatur. 5. Sed ad extremum ſtyli corpus molle detectum non admodum dolens, judicamus fiſtulam deſinere in partem carnoſam. 6. Sed ſi tunc ex tali fiſtula major copia puris, aut ichoris exit, quam fieri poteſt pro ratione magnitudinis, ſentiendum eſt, vel plures eſſe cuniculos, vel latitare ſinum. 7. Si vero ſtylo tangamus corpus molle, quod attactu magnum dolorem, & veluti horrorem inducit, judicandum eſt tangi nervum, vel tendinem: ex tali tunc fiſtula fluere ſolet liquor gelatinoſus inſtar albuminis ovi. *Differentia.*

1322. Fiſtula recens; in carnem deſinens; cruentas, & non admodum tumentes habens oras; in corpore ceteroquin ſano; ad cujus fundum pervenire poſſumus; cujus cavitas ſpleniis, & faſciis poteſt comprimi, facilem curationem promittit. *Præſagium bonum.*

1323. Sed fiſtula vetuſta; multum ichoris fundens; cum caloſis oris; in tendinem, nervum, vel os deſinens; ex cavitate corporis, vel articuli principium habens, vel ex inteſtino recto; in loco ubi comprimi non poteſt; ad attactum dolens; magnum fœtorem ſpirans, difficultatem curationis promittit. *Malum.*

1324. Fiſtula benigna (1322) eandem cum ulcere exigit curationem, niſi quod fiſtulæ indenda ſint medicamenta. Quare ſtatim applicanda, & indenda *Conſolidantia*. Si vero latera aliquo tenaci muco, vel ſorditate obſeſſa *Curatio fiſtulæ ſimplicis;*

ſunt, eligenda ſunt quæ magis *abſtergunt*. Quæ induntur turundæ ſenſim ſunt minores faciendæ, ut concedatur coaleſcentia.

Calloſæ. 1325. Si vero latera fiſtulæ, vel quod tunica alicujus vaſis ſit relicta; vel quod tenax gluten lateribus nimis adhæreat; vel quod fluens liquor per fiſtulam latera in ſpeciem Eſcharæ calloſæ convertat; impediantur conſolidari, id alienum, ſi *abſcindi* poſſit, forcipe eſt tollendum: vel applicandum eſt *Corrodens*. Hoc repetendum, donec pura habeantur latera, & dein antecedentibus Abſtergentibus, & Conſolidantibus (1324) curanda fiſtula.

Profundioris. 1326. Si vero admodum profunda ſit fiſtula, interna cavitas eſt depuranda *lavamento abſtergente* injecto: aliquid autem de ultima injectione relinquendum in cavo fiſtulæ, & tum inſuper formanda eſt *Turunda* aperturæ magnitudine reſpondens, quæ eſt immittenda, & ope ſtyli trudenda uſque ad fundum: quod ſingulis deligationibus eſt repetendum.

Anguſtioris. 1327. Si autem orificium fiſtulæ nimis ſit anguſtum, quam ut curationem poſſimus ſperare, iſtud eſt 1. dilatandum *Turunda* compreſſa ſponte tumente. 2. Si autem tali modo non ſanatur, fiſtula eſt perſcindenda uſque ad fundum, ſi locus *Sectionem* permittit, immittendo conductorem crenatum per orificium fiſtulæ, qui ſcalpello, vel volſellæ monſtrat viam. Sed in inteſtino recto, ſi pateat *fiſtula Ani*, per fiſtulam immittendum inſtrumentum ſecans falcatum cujus apex globulo eſt munitus, qui globulus ponendus ſupra indicem digitum alterius manus in ano immiſſum, atque ita unica ſectione portio fiſtulæ, & inteſtini recti inter falcatum ſecans, & digitum in ano immiſſum, eſt perſcindenda, dein abſtergentibus conſolidantibus recenſitis (1324) fiſtula curanda. 3. Qui autem metuunt ferrum, aut ſi ſecari non facile poteſt, mittenda eſt acus plumbea admodum flexilis, filo tenaci cera obducto munita, in fiſtulam, ut digito alterius manus in inteſtino recto immiſſo tangatur, eo dein digito flectatur acus, ut per anum redeat: pars tunc per filum intercepta ſenſim fortius ſtringenda, ut denique filum excidat, relicta apertura, quæ dein præcedenti modo eſt curanda.

Cum oſſis carie. 1328. Si vero ad fundum fiſtulæ hæret Caries (208), quam cognoſcimus ex ſignis (210) fiſtulæ junctis; antequam tentatur fiſtulæ conſolidatio, Caries eſt curanda recenſito modo (211): quoniam coalita fiſtula aliter recrudeſcet. In tali fiſtula multum juvat, indere Turundas (1326) recenſitas, aut immittere *pulveres ſiccos*.

Interna medicamenta. 1329. Si vero ſolis externis medicamentis non facile obtinetur curatio, vel ſi in partibus interioribus habeantur fiſtulæ, medicamenta interna, vel *Abſtergentia*, vel *Conſolidantia* ſimul ſunt propinanda: ſemel in ſeptimana alvus laxanda *mercuriali purgante*.

Quæſtio. 1330. Cur fiſtula frequentior circa articulos, anum, & carunculam lachrymalem?

Quoniam ibidem ſunt cavitates naturales pro ſcaturigine fiſtulæ; & confluunt excretorii humores.

LIBER VIII.

CAPUT I.

De Pruritu.

1331. ALtera claſſis morborum in Cute (1187) aliquam inferens mutationem continet *Pruritum*, ut mutationem inductam in Tactu. Hujus definitio data eſt (1164).

A levi attactu. 1332. Multæ autem ſunt cauſæ Pruritum inferentes, inter quas notiſſima eſt,

eſt, quæ fit per levem attactum pilorum, plumarum, muſcarum, pulicum, pediculorum, & aliorum inſectorum, quæ papillas tactus leviter movent. Ex his conſtat ad Pruritum inferendum tantum requiri, ut Papillæ tactus leviter moveantur. Unde docemur internas latentes cauſas etiam poſſe tali modo inferre pruritum. Hujus nulla requiritur curatio, quum ſponte ceſſet ablata titillatione.

1333. Quædam vero applicata, vel cuti impreſſa diuturniorem pruritum faciunt; unde patet ſolum hic non eſſe factum attactum, ſed vel læſionem, vel impreſſum eſſe liquorem pruritum facientem, ut in applicatione *Aluminis plumoſi*, *Urticarum*, *Cantharidum*, aut ictu *muſcarum*, *apum*, *cephenum*. In his utplurimum ſufficit partem abluere, ut tollatur acre impreſſum, vel auferatur aculeus relictus: ſi autem non ceſſat, applicandum eſt aliquod *antiſepticum refrigerans*, quod compeſcit motum majorem, calorem, rubedinem, & pruritum. *Applicatione.*

1334. Pars ſenſilis modice tenſa, vel preſſa pruritum facit: uti in dentientibus ſi dens ſit erupturus: in inſtante hæmorrhagia narium ab impetu, vel copia majore: in calculoſis pudendorum pruritus ſi calculus vexat veſicam: pars quæcumque fortius ligata ſi reſolvitur: aut ſi frigore glaciali fuit conſtricta, & regelare incipit, quum novus accedens ſanguis vaſa dilatet. *Tenſione vel preſſione.*

1335. Frequentiſſima cauſa interna eſt perſpiratio prohibita, dum humor ille ſubſiſtens in cute titillat. Inde applicata pinguia oleoſa, & emplaſtica pruritum inferunt, ut & aer, vel aura frigidiuſcula, præprimis in corporibus bilioſis, aut quibus materia perſpirans eſt acrior. In his ſi pinguia fuere applicata, pars eſt abluenda *abſtergente*. Sed ſi per aerem frigidiorem prohibitum fuit exhalare perſpirabile, dandum eſt *Diaphoreticum*. *Perſpiratione prohibita.*

1336. Quum Cutis ſub forma ſudoris, vel perſpirabilis materiæ ſæpe evacuet humores acres in corpore natos, qui varii ſunt, admodum differens eſt curatio: ex his igitur præcipuas ſpecies delibabimus. 1. Si ex *alvo conſtipata* acris humor ad cutim delatus pruritum infert diuturnum, alvus laxanda *purgante*. 2. Sed acris materia ulceris ſuppreſſi ad cutim delata ulterius eſt *Sudoriferis* expellenda, & ſi non ceſſat, ulcus eſt renovandum. 3. Qui morbi criticam materiem ad cutim pellendo evacuant, uti circa finem *febris podagræ*, *febris ſcarlatinæ*, *miliaris*, & *morbillorum*, nullam exigunt curationem, ſed *Variolæ* ſi nimium pruritum inferunt, frequenti ablutione abſtergentis (1235) temperari poteſt. 4. Humor tenuis acer calidus *Bilioſus*, uti in robuſtis, & juvenibus, in poris cutaneis ſubſiſtens temperatur ſanguinis miſſione, & *purgante refrigerante*. 5. Acrimonia autem *Acida* in pueris frequens pruritum inferens *antacidis* eſt exſtinguenda, ut & ille pruritus, qui poſt abuſum fructuum horæorum oritur. 6. In acrimonia autem *Scabioſa*, & in pruritu pertinaciſſimo juvat aliis medicamentis admiſcere *Mercurialia*, 7. Debilitatorum ſcorbuticorum, & ſenum pruritus, quod humores ſponte corrupti ad cutim delati pruritum inferant, curandus *roborantibus*, & *Diaphoreticis antiſcorbuticis*. 8. Pruritus autem ab ichore fluente ex ulcere, fiſtula, vel cancro exigit *antiſeptica*. *Ab Acrimonia ad Cutim delata.*

1337. Ex dictis concludendum. 1. Cauſam pruritus tantum differre a cauſa doloris, magnitudine. 2. Internas cauſas pruritum inferentes eodem modo ut externas levi applicatione pruritum facere. 3. Pruritum remanentem poſt urticarum attactum indicare, vel aliquid in cute manſiſſe, vel læſionem eſſe factam. 4. Homines, quorum materia perſpirabilis eſt acris, a vento frigido, & applicatione pinguium facile pruritu corripi. 5. Puerorum pruritum generari plerumque ex acido, ſed robuſtorum potius ex ichoroſo. 6. Senum pruritum difficulter curari. *Corollaria.*

CAPUT II.

De Aſpredine.

Definitio. 1338. SI cutis æqualis ſuperficies ab aliqua cauſa reddatur inæqualis, quod ſquamulæ epidermidis elevatæ faciant, ut pars illa ad attactum doleat, vocatur *Aſpredo*: nam cutis ab humore concreto exaſperata pertinet ad Cruſtam, vel Sorditatem.

Cauſæ. 1339. Ita elevantur, & inverſe intorquentur per exſiccationem externam cum pinguedinis defectu, uti in frequentiori lotione cum ſapone, aere ſicco, & frigido, atque in morbis, qui pinguedinis depoſitionem ad cutis ſuperficiem impediunt, uti in ſcabie, impetigine, & ſimilibus.

Curatio. 1340. Omnium primo in curatione obſervandum, ut ſorditates inter erectas ſquamulas collectæ auferantur *lotione molli ſaponacea*. Dein pars inungenda eſt *molli linimento*, quod pingue ſuppeditat, deinceps pars tegenda, ne facile iterum exſiccetur, & evitanda frequens lotio, & exſiccatio.

CAPUT III.

De Callo.

Definitio. 1341. PArs corporis noſtri tenacior, & compactior, palleſcentis coloris, ſenſu carens, ex membrana, vel carne ita mutata facta, vocatur *Callus*.

Partes. 1342. Vix ulla eſt pars mollis in noſtro corpore, quin ita commutari poſſit, ut experimur in arteria aorta, pulmonali, corde, veſica urinaria, & cute tota. Oſſium autem callus eſt alia concretionis ſpecies, qua oſſa fracta inter ſe conferruminantur.

Species. 1343. Duæ Calli ſpecies occurrunt. 1. Si latera vaſorum expulſo intus humore, contracta coaleſcunt, ut in canali arterioſo, canali venoſo, vaſis umbilicalibus, & in multis vaſis ſenum. 2. Si vaſa cum ſuo humore concreto concreſcunt, vel quædam partes liquidæ inter concreſcendum cum parte firma compinguntur, ut fit in calli generatione ex attritu; unde circa os fractum, vel luxatum, vel globum alicubi in corpore hærentem, vel calculum in veſica urinaria, generatur callus.

Effectus. 1344. Quoniam callus eſt tenacior, & minus flexilis, pars ipſa amittit ſenſum, & ſæpe motum. Effectus autem differunt pro uſu partis. 1. Vaſa privata circulatione poſt nativitatem in infante faciunt circulationem in natis requiſitam: ſed in ſenibus concreſcentia impediunt neceſſarias vitæ actiones. 2. Aorta, vel pulmonalis arteria calloſa minus dilatabilis, eſt impedimento circulationi: hoc in ligamentis articulorum, & tendinibus, impedit mobilitatem articuli. 3. Sed in cute, & epidermide, in locis, ubi corpus validum attritum ferre debet, eſt magni uſus, ad ferendum attritum, ſed & facit hebetiorem ſenſum.

Curatio. 1345. Si callus ſit ſanitati impedimento, per *Emollientia* externa, & interna eſt diu laxandus, donec emolliatur, aut ſi in parte externa detegitur, abſcindi poteſt quantum requiritur, & dein pars illa aliquo emplaſtro tegenda, ut caveatur attritus & exſiccatio.

CAPUT IV.

De Eſchara.

1346. DUm quædam pars mollis, antea vivens, per cauſam aliquam amittit potentiam vivendi, ita tamen, ut totum membrum vita non ſit privatum, pars illa mortua *Eſchara* vocatur, atque ita diſtinguitur a Sphacelo perfecto, Cruſta, Carie, & Sorditate. *Definitio.*

1347. Generalis cauſa Eſcharæ eſt exſtincta actio vitæ, ſed quoniam diverſis modis illa actio exſtinguitur, Curatio quoque in omni Eſchara non eſt eadem. *Cauſa proxima.*

1348. Nam ſi generatur ex *Inflammatione*, ſeu gangræna, dum motus vitalis validior fecit deſtructionem (642) medicamenta *Suppurantia* ſunt applicanda, quæ lentorem convertunt in pus. *Ex inflammatione.*

1349. Si autem acre gelu combuſſerit partem, ut in Pernione (1286) traditum, magis *Calefacientia* exigit. *Ex Gelu.*

1350. Sed ſi ſumma virium *Debilitas* permittit, ut quædam portio moriatur, uti interdum fit poſt longas febres, magnas evacuationes, & in decrepita ætate, non ſolum externa *Stimulantia*, & *Calefacientia* ſunt applicanda, verum etiam interne dantur *Cardiaca*, quæ vires erigunt. *Ex Debilitate.*

1351. Dum vero ex *Putredine*, uti ſæpe in locis calidis, & humidis in quibuſdam partibus generatur Eſchara, hæc eſt coercenda *Antiſepticis acidis*, & *adſtringentibus* applicatis, dando ſimul interne *Cardiaca acida*. *Ex putredine.*

1352. Si vero in morbis *Epidemicis*, vel & *Peſtilentialibus*, pars quædam Eſcharam contrahit, Externa, & interna antiſeptica, quæ in tali ſpecie peſtis valent, ſunt adhibenda. *Ex morbis malignis.*

1352. Si vero his auxiliis facta Eſchara non vel tardiſſime ſeparatur, illa eſt multis inciſionibus ſcindenda, quam operationem *Scarificationem* vocant, uſque ad partem viventem; ut partes ſubjacentes contractilitate Eſcharæ non ſuffocenrur; ut præbeatur exitus ichori ſub Eſchara hærenti; & ut virtus medicamenti ad partem vivam pervenire poſſit. Cæterum Eſchara pro diverſitate cauſarum tractanda. *Scarificatio.*

1354. Sed ſi experimur Eſcharam latius ſerpere, conducit margines partis viventis per *Cauſticum* corrodere, ut ita ſiſtatur progreſſus, quod fieri ſolet ſi acris humor in Eſchara hærens progreſſum, ſeu ambulationem facit, ſed in aliis ſpeciebus potius augeretur ambulatio. *Corrodens.*

CAPUT V.

De colore mutato.

1355. MUtatur etiam Cutis ad externum adſpectum, dum naturalis ejus color candidoroſeus, in varium alium colorem convertitur. Hæc mutatio præcipue dependet a diverſo colore liquorum transfluentium, qui per vaſcula pellucida conſpecti exhibent varium in cute colorem, cum ipſæ partes firmæ omni humore privatæ, ubique ſibi ſimilem colorem exhibeant, ſeu potius decolores ſint.

1356. Hæc autem coloris mutatio obſervatur per totum corpus in multis morbis, uti in *Chloroſi*, *Ictero*, *Leucophlegmatia*, *Cachexia*. Quoniam vero hi omnes morbi a Chirurgis non tractantur, in hoc loco non ſunt exponendi. *Totius Corporis.*

1357. Sed ſi coloris mutatio in quibuſdam partibus corporis detegitur, ut *Maculas* exhibeat, utplurimum per auxilia externa chirurgica curandæ ſunt, quare præcipuas ſpecies in hoc loco ſumus exhibituri. *Particularis.*

CA-

CAPUT VI.

De Maculis.

Definitio. 1358. CUtis alieno colore ſine conjuncta intumeſcentia infecta, vel per parva interſtitia, vel latiora, *Macula* vocatur.

Varietas. 1359. Meretur, & ad cognitionem, & curationem, macularum diſtinguere varias ſpecies. 1. Quæ fiunt a materia febrili in cute depoſita rubro colore efloreſcentia, uti in *Scarlatina*, & ante perfectum puſtularum proventum, in *Variolis*, & *Morbillis*, *Exhanthemata* vocari poſſunt, quæ autem raro a Chirurgis tractantur. 2. Interdum etiam lata plaga fugaci rubedine corripitur, ut ab ira, pudore, vel alio animi pathemate, atque in phthiſicis, ſuppuratis, febricitantibus, cacochymicis, facies non raro rubedine ſuffunditur, quæ *Phlogoſis* dici poteſt. Neque hæc ad Chirurgiam refertur. 3. *Nævi*, & *maculæ matricales* raro ad curandum proponuntur, cum omnes maculæ, ſive aliquem tumorem habeant, ſive nullum, cum quibus naſcitur homo non niſi ſectione, vel corroſione tolli poſſint. 4. Maculæ lividæ, vel & nigræ plerumque latiores ſubito in *Scorbuticis* natæ, internis *Antiſcorbuticis* curandæ. 5. Maculæ latæ luridi, & fuſci coloris, gravidarum feminarum faciem deturpantes, quas *umbram* vocant, ſponte poſt partum evaneſcunt. 6. *Stigmata* artificialia cutim dehoneſtantia, Corrodente applicato tolli poſſunt. Quæ autem ex pulvere pyrio ſunt facta, ſuperius (1279) expoſuimus. Reliquæ ſpecies particularibus titulis tradi ſolent.

De Ephelidibus.

Ephelides. 1360. Quæ maculæ obſcure flaveſcentes lentis colorem referentes in facie præprimis, & aliis partibus nudis, ſolis radiis expoſitis, conſpiciuntur, vocantur *Ephelides*, *Lentigines*, & *Æſtates*, frequentiores in feminis, quam viris, & quibus ſunt capilli ruſſi. Videntur ſolis radii craſſiores ſimul cum tenuioribus humoribus ad cutim trahere, & craſſiores ibidem ſubſiſtentes exſiccare, atque ſimul ejus colorem immutare. Quare optima eſt prophylaxis partem gerere tectam, & ſi adſint eam inungere, & abluere bis de die Linimento, & Lavamento *antiſeptico*, & *abſtergente*.

De Ecchymoſi.

Ecchymoſis. 1361. Macula major, & minor livida, vel & nigra permanens a ſanguine in cutis ſubſtantia collecto, vaſculis ruptis, vocatur *Ecchymoſis*, ſeu *Sugillatio*, ad differentiam *Enchymoſis*, quæ ſubito etiam evaneſcit, & a nobis Phlogoſis vocatur (1359) quamdiu livet vocatur *Pelioma*; ſed nigreſcens *Melaſma*, oblongas ſtrias faciens, vocatur *Vibex:* tandem vero ſi ſanguis effuſus ſolvi incipit, flaveſcit, indicans inchoatam ſolutionem.

Cauſæ. 1362. Tria occurrunt præcipua genera cauſarum Ecchymoſin inducentium. 1. Omnis validior compreſſio, aut contuſio (1263). 2. Ablatio ſuſtentaculi externi, aut impetus internus major. 3. Acrimonia humorum corrodens, aut vaſculorum fragilitas, quæ cauſæ frequentiſſimæ in ſcorbuto. Harum cauſarum curationes quoniam expoſitæ ſunt (1267. & 1359. n. 5.), non erit opus eas repetere.

De Maculis rubris.

Maculæ rubræ. 1363. Interdum acrimonia calida ſtimulans, in poris cutaneis ſubſiſtens,

facit

facit ut ſanguis intrans arterioſa lymphatica, cutis rubedine permanente ſuffundatur; interdum pulicum, vel aliorum inſectorum morſus ſimiles maculas rubras infert. Quæ curantur *Adſtringente acido*. Sed ſi tales fiunt in febribus eryſipelatoſis, & ſæpe mutant locum, dicuntur *Maculæ volaticæ*, quæ ad interiora repulſæ periculoſæ fiunt; harum curatio ex Eryſipelate petenda.

De Maculis Hepaticis.

1364. Maculæ obſcuri coloris ex flavo nigricantis, minores, & majores, ut interdum palmæ manus magnitudinem ſuperent, recurrentes, & evaneſcentes cum quadam plerumque deſquamatione, & pruritu, collum utplurimum, pectus, & dorſum infeſtantes, ex colore dicuntur *Maculæ Hepaticæ*. Frequentes ſunt in cacochymicis, atque valetudinariis, in quibus videtur ſanguis vel ſerum corruptum in vaſculis cutaneis ſubſiſtens, hos alienos colores proferre. Itaque corpus purgandum *alvi ductione*, & cacochymicum e maſſa ſanguinis expellendum *apozemate ſudorifero*; Deinceps maculam abluere, & inungere debemus, *antiſeptico abſtergente*. *Maculæ hepaticæ.*

De Petechiis.

1365. Inter maculas omnium peſſima ſpecies eſt, quam *Petechias* vocant, dum nempe in febribus maculæ parvæ, flaveſcentes, vel lividæ, vel nigræ, quæ omnium peſſimæ, cutim deturpant, ſemper indicantes humoris majorem, vel minorem corruptelam. Hæ in morbis acutis humorum ſphacelum indicant, quando vetant venæ ſectionem, & tunc oborta hæmorrhagia necat, ſed *antiſepticis refrigerantibus* ulterior corruptio eſt cohibenda; quæ medicamenta quoque valent, ſi in regionibus calidis, & humidis oboriuntur Petechiæ. In morbis autem peſtilentialibus, quando ſunt peſſimi ominis, in malignis, & ſumma debilitate cum corporis refrigeratione, adhibenda ſunt *Antiſeptica Calefacientia*. *Petechiæ.*

De Vitiligine.

1366. Inter macularum ſpecies curatu difficillima eſt, quam vocant *Vitiligine*m, quoniam ipſam cutis ſubſtantiam ſimul cum colore mutat. Numerant tres vitiliginis ſpecies. 1. *Alphos*, quem etiam vocant *Morphæam albam*; cognoſcitur maculis albis inſtar guttarum per cutim diſperſis, ſenſim latius ſerpentibus, non admodum alte in cute penetrantibus, neque colorem pilorum innaſcentium immutantibus: cutis hoc loco puncta ſanguinem ſtillat: habet autem paulo obtuſiorem ſenſum, abire, & redire ſolet; in ſuperficie quandam aſperitatem habet, ſed non ſquamoſam. 2. Altera ſpecies *Melas* dicta in ſignis duntaxat ab Alpho differt, quod color ſit niger, &, ſi erumpit ſudor; ſentiant calorem, punctionem, & pruritum, vocatur etiam *Morphæa nigra*; at *Albaras nigra* eſt *Lepra Græcorum*. 3. Tertia ſpecies, quæ *Leuce* vocatur, vel *Albaras alba*, eſt morbus præcedens major; nam maculæ ſunt latiores, minus diſtinctæ; cutis color albidus inſtar carnis oſtrearum; pili innaſcentes fiunt lanuginoſi, & mutant colorem; cutis in ea parte foveam contrahit, & quaſi conſumitur; ſi fricetur, non rubet; puncta non exit ſanguis, ſed liquor ichoroſus, lymphaticus; ſenſus ſtupidior in parte; manet conſtans non abiens, & rediens; furfures ſæpe ſecedunt de parte. *Vitiligo.*

1367. Ex phænomenis in his tribus morbis obſervatis conſtat, vitalem actionem in partibus cutis exſtingui ſenſim, ut pars vivens, & ſentiens exa- *Cauſæ.*

re-

reſcat, & tanquam in callum convertatur; hæc calloſitas ſuperficialis obſervatur in Alpho, profundior in Leuca: Melas autem nigredinem habet ex ſangnine rubro ſimul concreto.

Curatio. 1368. Motus vitalis languidior inſtigandus per interna *Calefacientia*, *Antiſcorbutica*, & *Sudorifera* ad cutim determinantia: ipſaque cutis *Abſtergentibus calefacientibus* a lento adhærente humore eſt depuranda, atque languens motus eſt provocandus. Si autem Leuca adſit, *Validiora Calefacientia*, *Veſicatoria*, imo *Mercurialia* ſunt adhibenda. Imo in malo pertinaciſſimo ſuadent nonnulli tentare curationem ſalivatione. Conducit etiam alvum ſervare laxam *purgantibus calefacientibus*.

LIBER IX.

CAPUT I.

De Sordibus.

1369. CUti, vel Epidermidi ſi aliquid novi adhæret, plerumque ab humoribus tranſſudantibus ſiccatis vocatur *Sorditudo*: ſi vero concreſcat in ſquamas, *Cruſta* vocatur; ſed ſi humores concreſcunt cum vaſculis mortuis, potius dicuntur *Eſchara*: ſimile autem ſenſim naſcens in abſceſſu, ulcere, vel etiam in cavo oris, *Sordes* dicitur. Hujuſmodi tenax humor eſt tollendus *abſtergentibus* externis, & internis. Si autem tenaciſſime adhærent, *Corrodentia* ſunt adhibenda.

De Cruſta.

Cruſta. 1370. Si vero hi humores effluentes firmiter ita concreſcunt, ut faciant corpus continuum ſiccum, & durum, non cuti adhærens vocatur *Cruſta*, quæ ſi per parvas lamellas ſeparatur, uti in ſcabie, impetigine, herpete, *ſquamæ*, vel *furfures* dicuntur. Sed ſi ipſa vaſcula mortificata ſimul concreſcunt, potius vocatur *Eſchara*. Curatio non differt a præcedente ſorditudine, niſi oriatur ex recenſitis morbis, qui tunc ſuis ſunt appropriatis tollendi.

CAPUT II.

De Herpete.

Definitio. 1371. HErpeti a ſerpendo dicto proprium eſt, quod tegat cutim cruſta quadam utplurimum ſquamoſa, non coinquinante accumbentes, ſed admodum prorepente cum pruritu, & poſt feceſſum non relinquente cicatricem, ſed rubedinem ſenſim evaneſcentem; maxime infeſtus eſt infantibus in facie, & interdum quoque reliquis partibus.

Herpes Infantum. 1372. In his regionibus quædam Herpetis ſpecies detegitur, Belgice *Douvvorum* dicta, in infantibus, & pueris, ſponte evaneſcens in adultioribus, quæ utplurimum incipit cum rubris maculis pruritu, & tranſudatione humoris tenuis, & acris, interdum cum exiguis puſtulis prurientibus: dein pars illa tegitur cruſta admodum cuti adhærente, & pruritum inferente; ſub cruſtis ex poroſa cute pergit interim manare humor ichoroſus, qui ſi tangit alias partes, iſtas in ſimilem morbum convertit, unde late ſerpere ſolet. Si tollitur cruſta, cutis invenitur poroſa, fundens ichorem, & interdum ſanguinem, qua avulſione latius ſerpit malum, & redditur pertinacius, tunc ſolent

lent cruſtæ quoque magis nigræ fieri, & denſiores.

1373. Hujus ſpecies eſt, quæ vocatur *Herpes milliaris*, ſi incipiunt illæ cruſtæ cum puſtulis prorepentibus inſtar ſeminis millii, ex quibus ruptis liquor ichoroſus fluit, ſed paulo ſpiſſior, magis prurit, quam corrodit: interdum in circularem figuram proſerpit, unde tunc dicitur Belg. *Ringvvorm*. Hic Herpes etiam infeſtus eſt adultis, magiſque pertinax. *Herpes milliaris.*

1374. Si vero humor ad cutim delatus, & in ea ſubſiſtens, eſt acrior, tam in infantibus, quam adultis, ut inde fiant ſuperficialia ulcera prorepentia, cum pruritu, & roſione, hæc ſpecies dicitur *Herpes Eſthiomenos*, *fera*, *excedens*. Nam ſi profundiores fiunt corroſiones, ad ulcera referri debent. *Herpes Eſthiomenos.*

1375. In Infantibus plerumque eſt humor Crudus aſſumtorum alimentorum, qui ad cutim delatus, ſtagnans, ſuſcepta ſpontanea corruptione Herpetem facit: ſed in adultioribus utplurimum eſt pertinacior corruptela, minus in acidum vergens. Inde ſi materia a cute ad alias partes feratur, multa anomala ſymptomata infert. *Cauſæ.*

1376. Quum in pueris fere ſemper ex cruda, & acida acrimonia generetur Herpes, illa exſtincta ſponte evaneſcere ſolet: itaque ſi cacochymia ſit in primis viis, illa eſt evacuanda *leni purgante*; acre acidum in maſſa ſanguinis hærens expellendum *Diaphoretico antacido*; remanens acre in corpore emendandum *alcalicis*, *& antacidis internis*. Externe autem pars eſt abluenda, & dein inungenda *Lavamento*, & *Linimento* apto. Sed in adultioribus, & pertinaciore malo lenia *Mercurialia interna*, & *externa* ſunt adjungenda. *Curatio.*

1377. Ab Herpete vix differunt *Achores*, qui etiam dicuntur *capitis manantia ulcera*, nam, ablata cruſta, cutis apparet ſpongioſa, multis foraminulis pertuſa, liquorem ichoroſum fundentibus, conſiſtentiæ inter aquam, & mel, inferentem pruritum, & fœtorem, præprimis in parte capitis capillata. *Achores.*

1378. Si vero in cutis parte capillata illa foraminula ſunt majora, ex ſimilitudine vocatur *Favus*, *Cerion*, & *Meliceria*; liquor tunc effluens eſt inſtar viſci, vel mellis. *Favus.*

1379. Ex cute autem tranſſudans humor in parte capillata capitis infantum, majores cruſtas faciens, *Lactumen*, & *Cruſta lactea* vocatur. *Lactumen.*

1380. Squamulæ autem ſicciores, & inſtar furfuris fricando a capite decidentes vocantur *Furfuratio*, & ſæpiſſime *Porrigo*. *Furfuratio.*

1381. Si ab humore in parte capillata tranſſudante ſimul corroduntur Capilli, ea ſpecies vocatur *Tinea*. Hæc diſtinguitur in Tineam ſiccam, & humidam ex majori minorive adjuncta humiditate. Belg. *Hairvvorm*. *Tinea.*

1382. Si vero in lacunis cutis hujus loci ſimul concretus inſtar granorum fici exit, eum tunc morbum vocant *Ficum*, *ficoſam*, & *Sycoma*. *Ficus.*

1383. Horum omnium curatio quoniam ex Herpetis curatione (1376) intelligi poteſt, non eſt opus ſingulis his novam adjicere.

CAPUT III.

De Impetigine.

1384. Cruſtæ ſiccæ cutaneæ cum cutis induratione, & levi intumeſcentia, non contagioſæ, omni ætati infeſtæ, *Impetigo* vocantur, quæ varias habet ſpecies. *Definitio.*

1385. Leviſſima ſpecies eſt, quæ incipit cum cutis duritie, & aſperitate, ſupra quam parvæ limpidæ naſcuntur veſiculæ, cito commutantes in cruſtulas cum magno pruritu. Hæc ſpecies a Fernelio vocatur *Pruritus*. Abit, & redit diverſis anni temporibus. *Prima ſpecies.*

Secunda ſpecies. 1386. Altera ſpecies pertinacior, ſola hyeme, vel æſtate infeſtans, vel, & continuo afficiens, vocatur a Vvilliſio *Impetigo*, ſed a Celſo *Impetigo rubra*, Græcis *Lichen* interdum Latinis *Serpigo*. Incipit puſtulis rubicundis diverſis in locis corporis, præprimis in membris externis; novæ deinceps accedunt aliæ puſtulæ prioribus conjunctæ, ut fiant tubercula cohærentia ſquamoſa, ſenſim majora, externe aſpera, pallida, quæ fricata deponunt ſquamulas, atque interdum ichorem, qui brevi in cruſtam ſiccatur: perſeverante morbo ſenſim fiunt tubercula cruſtoſa majora, & plura in variis corporis partibus.

Tertia ſpecies. 1387. Tertia ſpecies adhuc pejor eſt, nam cutis eſt durior, tumidior, ſiccior, multiſque in locis contrahit fiſſuras, magis corrodit, & ſerpit, raro abit, ſed manet conſtans, ejus cruſtæ plerumque ſunt nigræ, quare vocatur *Impetigo nigra*, & a Græcis *Pſora*.

Quarta ſpecies. 1388. Quarta autem ſpecies, adhuc deterior, habet albidum cutis colorem, pallidas, & flaveſcentes cruſtas; transſudat humor tenuis, cutis eſt dura, & rimas contrahit. Sæpe *Elephantiaſis Arabum* vocatur.

Quinta ſpecies. 1389. Ultima teterrima, & horrenda ſpecies, habet cutim aſperam rugoſam, inſtar cutis Elephantis, quamobrem vocatur *Elephantiaſis*, atque *Lepra*, quoniam cutim admodum aſperam facit. Hæc ſpecies faciem deturpans *Mentagra Satyariaſmos*, atque *Leontiaſis*, ex figura faciei horum animalium vocatur. Cutis in hac ſpecie quibuſdam in locis tumet, aliis autem extenuatur, mollior, & durior, ubique ſquamis deturpata, alte in cutis ſubſtantiam penetrantibus: multæ fiunt maculæ, & tubercula, quæ ex rubedine ſenſim in nigredinem abeunt. Manus, & pedes tument; multis in locis perit ſenſus, quando vocatur *Malum mortuum*.

Cauſæ. 1390. Ex Lue Venerea atque ſcorbuto vetuſto ſimiles cruſtæ in cute naſcuntur, quæ non recedunt ſine his morbis appropriatis medicamentis: ſed ſi ſine his morbis prægreſſis generatur Impetigo, videtur humor ſpecialis acris, qui in cryptis cutaneis deponitur, & una cum cutis ſubſtantia concreſcit, hujus morbi cauſa; illa materia eſt lenta, & tenax, quæ amiſſa parte tenuiore, cum vaſculis quibus continetur in corpus firmum tranſit.

Curatio. 1391. Ut difficilis hic morbus curetur, primæ viæ ſunt liberandæ *purgantibus reſolventibus, & mercurialibus*. Tota maſſa humorum per medicamenta *Reſolventia interna* eſt attenuanda, & in obſtinatiori malo addenda *Mercurialia*. Dein ad cutim determinandus humor *Reſolventibus ſudoriferis*. Ad Cutim vero depurandum adhibenda *Abſtergentia validiora*, ut *Mercurialia externa*, imo *Corrodentia*, quæ malum latentem humorem penitus invertunt, & eliciunt. Quidam contendunt ſalivatione concitata ſanari, ſed per experimenta didicere deinceps rediiſſe.

CAPUT IV.

De Scabie.

Scabiei definitio. 1392. SCabiei duas faciunt ſpecies, alteram *Siccam*, quam ad Impetiginem retulimus, & quæ vix eſt contagioſa, alteram *Humidam*, quæ hoc loco proponitur. Cutis, ubi puſtulæ ſcabioſæ ſunt erupturæ, primo rubet, prurit multum, & aliquomodo indureſcit, dein erumpunt puſtulæ, vel pallidæ, vel ſublividæ, quibus ruptis effluit ichor, relinquentes ulcuſculum humidum pruriens admodum, quod dein tegitur cruſta, in cujus ambitu cutis rubet, & prurit, cum calore ſæpe, & dolore. Utplurimum primo naſcuntur inter digitos, & in flexuris articulorum. Hæ puſtulæ non in omnibus ſunt ſibi ſimiles; quædam ſunt parvæ ichoroſæ, aliæ majores lentum humorem continentes, aliæ maximæ, & in ambitu inflammatæ.

Li-

Liquor effluens tangens alia corpora, iſta ſimili labe inficit. Vix poſſunt puſtulæ ſcabioſæ diſtingui ab Herpete, niſi quod fiant etiam in adultis, magis inter digitos quam in facie, & quod ſint contagioſæ.

1393. Scabiei recentis curatio facilis eſt, modo primum ſolvatur alvus *purgante apto*; dein reſiduum expellatur per cutim *Sudoriferis*. His peractis, medicamentis *Specificis internis*, & *externis* exſtinguatur acre ſcabioſum. Si vero ex materia ſcabioſa retropulſa generentur anomala ſymptomata, materies illa ad cutim revocanda ſudoriferis, veſicatoriis, & rubefacientibus. *Curatio.*

CAPUT V.

De Puſtulis.

1394. PUſtulæ ſunt parvi tumores in cutis ſuperficie ſubito natæ, non diu perſiſtentes, ſed plerumque abeuntes, & redeuntes. *Definitio.*

1395. Puſtulæ pro diverſo humore in eo contento, phænomenis externis, & locis, quæ occupant, varia accipiunt nomina: harum præcipuas ſpecies delibabimus. Ab his ſeparavi 1. iſtas, quæ fiunt ex prægreſſa febre, uti ſunt *Variolæ*, *Morbilli*. 2. Quæ ſolent promte in cruſtas commutari, ut *Herpes*, *Impetigo*, *Scabies*. *Diviſio.*

1396. Per *Exanthemata* duplex genus morborum intelligitur, vel notant maculas rubras parvas non elevatas; vel puſtulas parvas eminentes rubras, quæ *Efflorescentiæ* dicuntur, quales obſervantur in morbillis, & principio variolarum: tali modo per totam fere cutim incipiunt, ac ſi cutis urticis eſſet agitata, vel muſcis, aut pediculis morſa; non diu perſtant, plerumque abeunt ſine ſuppuratione. Hæ ſi non ſint variolarum aut morbillorum præſagia, vel criticæ febrium, ſed ſponte natæ ſine ægritudine corporis, & diutius manentes, alvus eſt ducenda, & laxa ſervanda *Purgante antiphlogiſtico*; reliqua materia evacuanda *Diaphoretico*: Dein pars abluenda *Lavamento apto*. Interne ſimul dari poſſunt *Temperantia*. *Exanthemata.*

1397. In facie, & præprimis circa naſum quædam puſtulæ, ſeu potius tubercula rubicunda oriuntur in ſpirituoſorum potatoribus, quæ faciem dehoneſtant, vel ut loquuntur, ornant, quæ dicuntur *Roſſantia*, & ex figura fructus rubi *Rubeola*, atque ex colore *Roſalia*, ſeu *Gutta roſacea*. Hæ puſtulæ ſunt minuendæ ſingulis ſeptimanis dato *purgante antiphlogiſtico*, & applicatione, & ablutione per *adſtringentia*, *refrigerantia*, *abſorbentia*, interdicto omni ſpirituoſo, & aromatico. *Rubeola.*

1398. Parvæ puſtulæ ſubito in cute oborientes, liquore limpido, vel flavo plenæ, inſtar bullarum ab igne productarum, ſine magno dolore, non diu durantes, quæ ruptæ obducuntur cruſta, ut in herpete, vocantur *Phlyctænæ*, quaſi ab ignis ardore, vel *Pſydracia* ab urente frigore. Generantur ab acri tenui rodente humore in cutis ambitu ſubſiſtente; ſæpe fiunt a pinguibus, & acribus applicatis, & tunc late ſerpunt, quare tunc vocatur *Ignis ſylveſter*. Quia Herpes, & Scabies ſimilibus puſtulis incipiunt, cum his morbis ſæpe confundunt Phlyctænas. Pars ſtatim abluenda *Lavamento antiſeptico*, dein pars tegenda *Medicamentis antiſepticis*. *Phlyctænæ.*

1399. In Juvenum facie, & interdum puellarum ſi frequentes oriuntur puſtulæ rubicundæ ad cutim, in ſummitate albicantes, continentes lentam albicantem materiem inſtar puris craſſioris, hæ dicuntur *Vari*, ſeu *Jonthi*. Hæ puſtulæ quoniam naſcuntur ex abundantia, exigunt alvum laxiorem per *alvum laxantia refrigerantia*, & ſanguinis miſſionem: atque in facie puſtulæ ſunt exſtinguendæ linimento, & lavamento *adſtringente*, & *refrigerante*. Si vero pertinacius perſiſtunt, *leniora mercurialia* ſunt admiſcenda. *Vari*, ſeu *Jonthi*.

1400. *Sudamina*, *Sudorum papulæ*, ſeu *Hidroa*, ſunt puſtulæ millii grani *Sudamina.*

circiter magnitudinem habentes, æstate, & temperamentis calidis frequentes, præprimis si sudant: in ambitu sunt rubicundæ, in summitate habentes vesiculam limpidam. Horum curatio vix differt a Varis, nam venæ sectione, & alvi ductione, & laxitate per *Laxans alvum* inducta, atque ablutione, & inunctione *adstringentium*, *& refrigerantium* curantur; evitando nimium calorem.

Sirones. 1401. Quæ pustulæ plantis pedum, & volis manuum æstivo tempore maxime infestæ, cum multo pruritu, apertæ eructantes parvum vermiculum, *Sirones* dicuntur: quamvis hoc nomen etiam tribuitur Sudaminibus. Hæ ut curentur, optimum est partem depurare *lixivioso antiseptico*, ut destruatur nidus, & expurgetur mucosum in cryptis hærens.

Hydatides. 1402. Si autem in parvis cutis punctis generantur sub epidermide parvæ vesiculæ aquosæ, illæ dicuntur *Hydatides*, quales sæpe fiunt in visceribus internis a vasis lymphaticis dilatatis. Hæ si fiunt a fortiori ligatione, pars laxius cingenda, pertundendæ Hydatides, & ad partem applicandum *antisepticum*. Si vero in hydropicis continentur Hydatides, pulveribus siccis *absorbentibus*, pars est exsiccanda, non pertusis hydatidibus.

LIBER X.

CAPUT I.

De Clavo.

Tuberculum. 1403. IN cute excrescentes tumores pustulis majores, minores autem quam qui tumorum titulo tractari solent, *Tubercula* dicuntur. Interdum vero tumores parvi non superantes pustulas, ad Tubercula referuntur, ut patet in Clavo, & Verruca.

Clavus. 1404. *Clavus* dicitur Tuberculum parvum durum, rotundum, callosum, albidum, in cujus medio, quasi parva macula alba exsucca dura, *cornicis oculus*, dicta; quæ macula est externa pars corpusculi duriſſimi instar clavi infixi, usque ad subjectum periosteum, vel perichondrium pertingentis, quasi ex eo oriretur: raro dolet nisi irritando inflammetur in ambitu, sed acute dolens si apprimitur periosteo. Generatur in locis sæpe compressis, ut sub plantis pedum, digitis pedum, & eminentiis aurium, quare est Callus (1341) exiguæ molis. Qui manens doloroſum attactum facit. Clavus ille prehendendus forfice, attollendus, circumcidendus sensim, ut corculum istud totum exscindatur: aut si prehendi non possit, usque ad vivum clavus est scindendus, & dein tegendus *Emplastro*, tam diu, donec pars sit emollita, & ita totus clavus evanescat, evitando attritum.

CAPUT II.

De Verrucis.

Verruca. 1405. LOcus elevatus, & asper, a Veteribus *Verruca* dictus, in Medicina notat Tuberculum supra cutim eminens duriusculum quasi ipsa cutis substantia, ita excresceret, vasis omnibus ditatum, figuræ conicæ, cum latiore basi. Sæpe copiosæ crescunt verrucæ in puerorum manibus.

Porrus. 1406. Hujus fastigium si sit præruptum uti sunt Porri Plantæ radices, talem verrucam vocant *Porrum*.

Acrochordon. 1407. Si vero talia Tubercula verrucosa angustam basin habent, ac si a filo

filo penderent, ea vocant *Acrochordon*, & *verrucam penſilem*.

1408. Verruca autem latior alte cuti inhærens, ut exſcindi non poſſit, vocatur *Myrmecia*. *Myrmecia.*

1409. Si vero naturalis color verrucæ, tam ſeſſilis, quam penſilis, vergit in rubedinem, eaque vaſis cruentis majoribus ſtipata eſt, ex colore *Thymion* vocatur. *Thymium.*

1410. Quoniam ſæpe, ut ſponte naſcuntur, ſponte abeunt, & vix ullam moleſtiam inferunt, niſi turpitudinem, raro Chirurgi conſilium exigunt, præprimis cum multa inania extollantur arcana. Si vero Chirurgi petunt auxilium, verrucæ ſeſſiles tangendæ toties *Corroſivo*, donec uſque ad cutis ſuperficiem conſumtæ ſint, dein *Adſtringentibus* cicatrix conſolidanda, quum alias ſæpe redeant. Verruca autem penſilis ligando debet ſuffocari, radix dein cauſtico dicto conſumenda. Si vero in Thymio nimia hæmorrhagia concitetur, illa eſt *Styptico* cohibenda. *Curatio.*

CAPUT III.

De Tuberculo inflammatorio.

1411. ALiud genus tuberculorum eſt, quod ex cute excreſcens dolorem, & rubedinem habet, humorem morboſum continens, in quo genere diverſæ ſunt ſpecies ſeorſim pertractandæ, uti *Phygethlon*, *Phyma*, *Terminthon*, *Furunculus*, & *Carbunculus*. Reliquæ autem ſpecies, uti *Parulis* (914) *Epulis* (914) *Parotis* (571) recenſitæ ſunt. Quæ vero tubercula afficiunt glandulas, infra tradentur.

De Phymate.

1412. Etiamſi *Phyma* late denotet abſceſſum, vel tuberculum inflammatorium, ut *Phlegmone* inflammationem generalem, ſtricte tamen denotabit tumorem inflammatorium, circumſcriptum, præprimis in ambitu corporis, furunculo ſimile, ſed planius, brevi tempore in ſuppurationem tendens, quando totus ejus ventriculus plenus invenitur pure. Frequentius oboritur in pueris, quam in alia ætate. Tegendus eſt tumor Medicamento *Suppurante*, & poſt eruptionem, ut ulcus tractari debet. *Phyma.*

De Phygethlo.

1413. *Phygethlon*, quod Latinis dicitur *Panus*, eſt etiam tuberculum inflammatorium, ſed latius, & planius Phymate, raro, & tarde ad maturitatem venit, at dolorem majorem movet. Utplurimum partem glanduloſam occupat, uti in collo, ſub alis. In Inguinibus, quando vocatur *Bubo*, pone aures veniens appellatur *Parotis*. Quod fiat in parte glanduloſa, non raro mutatur in tuberculum durum diu manens. Applicanda ſunt *fortiora ſuppurantia*. Sed ſi nimius dolor urget, applicanda, quæ magis *laxant*. Dum vero comperimus abire in indurationem, applicanda ſunt *reſolventia*. Poſt aperturam locus depurandus *abſtergentibus*. *Phygethlon.*

De Termintho.

1414. *Terminthos* etiam eſt Tuberculum rubicundum calens & dolens, ſed quod in ſummitate habet puſtulam vel nigram, vel lividam, quæ exareſcit in cruſtam; ſi aperiatur Terminthos, in ſuo ventriculo habet pus. Ex innaſcente puſtula fructui Terebinthinæ non abſimili nomen obtinuit. Frequentiſ- *Terminthos.*

tiſſime membra inferiora occupat. Per *laxantia ſuppuratoria* ad citam maturitatem eſt deducendus, & dein ut ulcus curandus.

De Furunculo.

Furunculus. 1415. Tuberculum in cute dolens, rubrum, & calens ad attactum duriuſculum, raro ſuperans magnitudinem ovi columbini, ſæpe multis in locis ſimul, vel ſucceſſive increſcens, tarde ad maturitatem veniens, utplurimum nono, vel decimo die, vocatur *Furunculus*, ſeu *Dothien*. Si rumpitur, ſpeciem cruoris cum dolore fundit, intus tunc apparet maſſa albida; inſtar puris tenacis concreti, totum ventriculum furunculi implens, tarde admodum ſecedens; ſed ſi ſeceſſerit, locus ille brevi impletur, & conſolidatur. Uno ſanato, ſæpe alii novi ſuccreſcunt, magis tamen ſunt moleſti quam periculoſi. Ipſe furunculus ad citam maturitatem eſt deducendus, *Suppurantibus*: dein apertus furunculus *Digeſtivis* eſt detergendus. Ut autem regeneratio præveniatur, conducit ſemel ſecare venam, & alvum ſervare laxiorem per *Laxantia refrigerantia*.

De Carbunculo.

Carbunculus. 1416. Tuberculum durum, aridum, circumſcriptum, furunculo majus, admodum dolens, in cujus ambitu cutis ſæpe late diffunditur rubedine, & dolore, utplurimum in ſuperficie puſtulis igneis ſæpe lividis, vel nigris ſtipatum, in quibus ſanies videtur, vocatur *Carbunculus*, *Carbo*, & *Anthrax*, quia, ſi aperitur, invenitur ventriculus alte carni inſidens plenus maſſa nigra quaſi eſſet caro exuſta. Si veniat peſtis tempore, dicitur *Antrax peſtilentialis*. Poſt ſeparationem maſſæ nigræ contentæ relinquit ulcus ſordidum. Statim ac conſpicitur Carbunculus, ad citiorem ſuppurationem eſt ducendus *Maturantibus*. Dein *Digeſtivis antiſepticis* eſt ventriculus depurandus. Si autem nimis doleat, *anodynum* applicari poteſt.

CAPUT IV.

De Eryſipelate.

1417. LAtiores tumores in cute, qui etiam alias internas partes corporis aggrediuntur, multi ſunt. Horum quidam ſuperius ſunt traditi, uti *Inflammatio* (503) *Abſceſſus* (550) *Oedema* (719) *Ecchymoſis* (1361). Qui vero reſtant, ut *Eryſipelas*, & *Empneumatoſis*, hoc loco exponendi. Qui autem reſtant Tumores folliculoſi, & Tunicati duri, poſt ſtructuram Glandularum exhibitam ſunt proponendi.

Eriſipelatis definitio. 1418. Si per cutim ſubito diffunditur rubedo, aliquomodo ad flavedinem vergens, late ſe diſpergens, preſſione digitorum dimittens colorem, ſed ſtatim rediens ablato digito premente, ſæpe mutans locum, & priorem ſæpe repetens, cum exigua intumeſcentia, ſatis facile digitis comprimenda, cum mordaci, & acri ardore, exigua, vel nulla pulſatione, plerumque poſt febrem erumpens, vocatur *Eryſipelas*.

Eryſipelas bulloſum. 1419. In his regionibus poſt febrem, vel cum febre, in facie præprimis, & collo, ſimilia naſcuntur phænomena, poſt quæ naſcuntur veſiculæ latæ ichore, ſeu liquore flaveſcente tenui plenæ, quo exareſcente ſenſim, cutis relinquitur furfuribus obſita, qui dein abſtergi poſſunt. Quibuſdam hominibus hic morbus valde familiaris vocatur *Eryſipelas Bulloſum*, Belg. *Belroos*. Similis fere morbus paſſim in cute naſcitur ab applicatis pinguibus, qui tunc

ad-

admodum ſerpit, quando Belg. vocatur de *Vvorm*, forſan a prorependo: eſt tunc Herpetis ſpecies.

1420. Si vero talis levis intumeſcentia, & cutis rubra multis puſtulis ſtipata invenitur, ex quibus ruptis effluit liquor conſiſtentia inter pus, & ichorem, relinquens ulcus admodum planum, & prorepens, eam ſpeciem voco *Eryſipelas puſtuloſum*; a Celſo *Ignis Sacer*, & *Serpens* dicitur, a quibuſdam ad Herpetem refertur. Hæc ſpecies ſupra pectus, latera & ſub plantis pedum, atque volis manuum detegitur. *Eryſipelas puſtuloſum.*

1421. Major autem in eo humore eſt acrimonia, ut non ſolum cutim leviter rodat, ſed etiam latius depaſcat, quo profundius ſimul generetur ulcus lividi coloris, quod interdum in medio conſolidatur, ſed in ambitu prorepit, & conſolidatum facit recrudeſcere, eam ſpeciem voco *Eryſipelas ulceroſum*, eſt Celſi altera ſpecies *Ignis Sacri*. A quibuſdam pro Herpetis etiam ſpecie habetur, ſed malignioris. *Eryſipelas ulceroſum.*

1422. Interdum verum Eryſipelas jungitur aliis morbis, unde naſcuntur phænomena ex conjunctis morbis nata, quæ omnia perperam referuntur ad Eryſipelas, propterea a Veteribus non inepte tradita ſunt *Eryſipelas Phlegmonodes*, *Oedematodes*, & *Scirrhodes*, ſi iſtorum morborum ſigna ſimul aderant. *Eryſipelas compoſitum.*

1423. Ut eruatur cauſa proxima Eryſipelatis, & ejus vera proponatur methodus medendi, ſigillatim ponderandæ ſunt notiones Eryſipelatis inſeparabiles, & perſcrutandæ cauſæ remotæ Eryſipelas inferentes.

1424. Levis eſt, & fugax Rubedo non limitata in Eryſipelate, quæ denotat vaſcula arterioſa lymphatica ſanguine rubro eſſe ita impleta, ut preſſione tamen evacuari poſſit, quod fieri non potuiſſet ſi ille ſanguis in vaſculis his infractus ſubſiſteret. *Rubedo.*

1425. Quod autem color ille in flavedinem vergat, demonſtrat cauſam potius latitare in tali modo colorato humore, & acri, qui irritatione ſua facit ut globuli rubri ingrediantur arterias lymphaticas. Ita coloratus humor invenitur in cacochymia magis corrupta, putrefactis, & bile acri, quare non ſine ratione in Eryſipelate Veteres accuſarunt bilem. *Flavescens.*

1426. Quum non admodum valida obſervetur tenſio, ut inde concludere poſſimus provenire dolorem, is potius deducendus erit ab acrimonia in flavo illo humore hærente. *Dolor.*

1427. Calor in eryſipelate minus urens quam moleſtus, & mordax, manum tangentem tandem inficiens, arguit non ſolum aucto motu vitali generari calorem, ſed acrimoniam ſimul rodentem adeſſe, quæ manui applicatæ communicari poteſt. *Calor.*

1428. Vix ullus invenitur fugacior, faciliuſque mutans locum morbus, quam Eryſipelas; & quam primum aliam occupat partem, in ea ſimilia phænomena infert. Unde ſatis conſtat Eryſipelatis materiem eſſe tenuem acrem, & irritantem, flavi coloris. *Fugacitas, ſeu metaſtaſis.*

1429. Sanguis, vel ſponte manans, vel arte eductus ex morbo eryſipelatoſo non concreſcit, ut in inflammatoriis, ſed manet rubicundus, & interdum omnino ſolutus. Ex quo deducitur, materiem Eryſipelatis eſſe, vel ſaponaceam, vel putridam, qua naturalis major concretio ſanguinis, ex majori motu naſcenda, exſtinguitur. *Sanguinis obſervatio.*

1430. Si perſcrutemur remotiores cauſas, hæ quoque conſpirabunt, eum eſſe humorem acrem, tenuem, vel excrementitium, vel morboſum. Nam 1. in ceteroquin ſanis corporibus ſi prohibeatur perſpiratio, vel per aerem frigidiorem, & humidum, vel per pinguia applicata, cutis contrahit Eryſipelas. 2. Hoc etiam fit, ſi prohibitus ichoris effluxus per ulcus ad cutim deponitur. 3. Aut humor aliquis retentus ex putredine corruptus, uti in cacochymicis, ſcorbuticis, hydropicis, in cutis ambitu ſubſiſtens. *Cauſa remota.*

1431.

Cauſa proxima.

1431. Ex antecedentibus colligi poteſt, proximam cauſam Eryſipelatis eſſe materiem acrem, tenuem, irritantem, ſaponaceam, quæ ex pinguedine præprimis corrupta naſcitur, cum ſanguine reliquo ad cutim, vel aliam partem delata, irritando facientem calorem, rubedinem, & dolorem facile locum mutantem, degenerantem in materiem ichoroſam, nunquam in pus commutanda, ſolventem concreſcibilem ſanguinis indolem, & partes interdum corrodentem.

Curatio per actu frigida.

1432. Quoniam nimius calor partis promovet converſionem in putrilaginem tenuem, ille eſt temperandus actu frigidis, tam diu, donec pars ad naturalem calorem, & colorem redeat, ſæpe renovando applicata, quia a partis nimio calore ſimul caleſcunt. Si autem timor ſit metaſtaſis ad aliam magis principem partem, tepida potius adhibenda. Si per refrigerationem naſcitur partis Livor, indicans ſubſiſtere ſanguinem, & in ſphacelum tendere, abſtinendum a frigidis, ſed tunc potius actu calida ſunt applicanda, ut revocetur vita in ea parte.

Incraſſantia abſorbentia.

1433. Si per poros cutaneos poſſimus elicere *abſorbentibus incraſſantibus*, id tenue & acre, ſæpe feliciter tollitur Eryſipelas ſine ullo relicto veſtigio.

Alvum ducens.

1434. Conducit quoque laxam ſervare alvum *lenioribus purgantibus*, quæ ſimul refrigerant, ut corporis temperetur calor, & eliminetur bilioſum, & cacochymicum corruptum ex inteſtinis.

Temperantia.

1435. Quoniam nimia adeſt ſanguinis tenuitas, cum mordaci, & calefaciente acrimonia, illa eſt *Temperanda* medicamentis variis internis, & externis, prout totum ſit affectum corpus, vel quædam ejus pars.

Diaphoreticum.

1436. Si ſpes ſit leni Diaphoreſi nos e corpore eliminare poſſe id acre, ex *Diaphoreticis refrigerantia* ſunt eligenda.

Dolor vehemens.

1437. Interdum vero cogimur aliquomodo a recepta methodo recedere præ nimio urgente dolore, qui tunc *Anodyna* exigit.

Ulcus.

1438. Quando per Eryſipelas pars in ulcus ſordidum ſit mutata, iſtud tunc *adſtringentibus antiſepticis* eſt depurandum.

Quæſtiones.

1439. Cur Eryſipelatis metaſtaſis ad interiora periculoſa?

Si ſponte fiat, ſignum eſt ſummæ debilitatis, ſed per frigida vel adſtringentia facta, periculoſa, quia internarum partium functiones præſtantiores turbantur, & quia hic ſubſitens evacuari non poteſt.

1440. Cur in oſſis carie toties Eryſipelas?

Ichor ex carie fluens eſt pinguedo medulloſa liquefacta, corrupta, quæ ad cutim applicata ſua pingui acrimonia irritante rubedinem Eryſipelatoſam facit.

1441. Cur Eryſipelas in hydropicis, & circa ulcera cancroſa malum indicium?

In Hydropicis notat non ſolum eſſe aquæ abundantiam, ſed quod pinguedo, quæ reſtat, in putrilaginem fuerit converſa. In ulceribus autem Cancroſis indicat materiem illam non ſolum eſſe acrem, ſed & ſparſam per partes ambientes.

1442. Cur Eryſipelas erumpens periculoſior?

Quoniam materia Eryſipelatis non ſemper convertitur in pus conſolidans, ſed in ichorem rodentem: & quoniam ſignum eſt acrimoniæ corrodentis.

1443. Cur venæ ſectio in Eryſipelate damnum, dum in Inflammatione ſummum emolumentum infert?

Venæ ſectio in morbis calidis non ſolum minuit impetum, ſed ſimul permittit ſanguinem liqueſcere, quæ utraque egregia ſunt in inflammatione, ſed in eryſipelate, ubi ſimul nimia adeſt tenuitas, hac in parte nocet ſanguinis evacuatio.

1434. Cur in acutis cum ardore, ſiti, & rubedine, ſi ſanguis emiſſus non format cuticulam phlogiſticam, ægri ex ſanguinis miſſione non levantur, & vetatur repetita venæ ſectio?

Tria

Tria hæc primaria ſigna, tam Inflammatione, quam Eryſipelate habentur, ſed ſi non formetur ſupra ſanguinem emiſſum cuticula phlogiſtica, ſignum eſt eum morbum acutum eſſe Eryſipelatoſum, inter quos multi ex hodiernis nullum ponunt diſcrimen.

1445. Cur tumor ruber ex Eryſipelate plerumque evaneſcit ſine ſubſequente abſceſſu?

Frequens eſt poſt inflammationem, ut ſequatur Abſceſſus, ſed quia humor in Eryſipelate eſt tenuis, ille non abiens in purulentiam, ſed potius evolans abſceſſum relinquere nequit.

1446. Cur Delirium ex eryſipelate lethale?

Delirium probat materiem eryſipelatoſam delatam eſſe ad interiora encephali, quæ partes contentæ ſi agitantur ab eryſipelate, ita perturbant actionem vitæ, ut homo moriatur.

1447. Cur pinguia non applicanda Eryſipelati niſi adſtringentibus, & antiſepticis miſta?

Pinguia niſi muniantur adſtringentibus, & antipſeticis, per materiem tenuem Eryſipelatoſam brevi commutantur in ſimile liquamen, quod dictis miſtum inhibetur.

CAPUT V.

De Empneumatoſi.

1448. QUando in quadam corporis parte, & præprimis ſub cute, naſcitur tumor facile cedens digitis, ſed ſtatim rediens, ut veſica aere plena ſi fuerit compreſſa; minus decliviorem partem petens quam ceteri tumores; totiuſque partis minuens ſpecificam gravitatem, vocatur *Empneumatoſis*, quia continet aerem elaſticum, a multis *Apoſtema ventoſum*. Quod ſi tumeat venter *Tympania*, ſed in ſcroto *Pneumatocele*, in umbilico prominente dicitur *Pneumatonphalos*. *Definitio.*

1449. Generatur Empneumatoſis 1. ſi nos ambiens aer ſe inſinuat in panniculum adipoſum, ut frequens fit in pectoris vulneribus: quod æmulantur agyrtę facientes in cute capitis aperturam, per quam ope fiſtulæ celluloſam cranii inflantes, capitis molem aſpectu horrendam faciunt, ſed facile ſanandam. 2. Altera cauſa frequens eſt ex Putredine, qua aer a liquoribus, quibus antea intricatus hærebat, liberatur, & in magnam molem ſe extendit. In ventriculo autem, & inteſtinis ſimilis aer formatur ex efferveſcentia, fermentatione, & motu inordinato. *Cauſæ.*

1450. Si naturalis aer eſt intromiſſus, is iterum eſt extrudendus, vel ſuctione tollendus: ſed ex putredine natus non ſuperabitur niſi applicatione, & injectione Antiſepticorum, quæ ulteriorem putredinem inhibent. Sed quoniam magna invenitur differentia inter putredinem calidam, & frigidam, *Antiſeptica* ſunt eligenda *Calefacientia*, & *frigefacientia* ad differentiam hanc. *Curatio.*

1451. Cur poſt viſcerum ventris abſceſſum ſæpe Tympanites?

Quia pus ex tali abſceſſu rupto effuſum, in ventre collectum, ſtagnans, putreſcens, multum aeris elaſtici producit, qui ventrem in tumorem attollit. *Quæſtiones.*

1452. Cur ablato putrefacto humore, ſponte evaneſcit Empneumatoſis relicta?

Ut ex putredine generatur aer elaſticus ſeparando aeris particulas humoribus intricatas, ita ſublata illa cauſa putrefaciente, motus vitalis remanens jungit particulas aeris elaſticas humoribus, & partibus firmis, ex qua conjunctione aer non amplius exercet elaſticitatem, ut videatur evaneſcere.

LIBER XI.

CAPUT I.

De Glandulis.

Definitio. 1453. GLandula eſt pars firma, organica, mollis, figurata, albicans utplurimum, & glandis figuram habens, conſtans carne ſingulari glandulosa dicta, per quam diſperſa ſunt arteria, vena, nervus, conficiens ex allato generali humore, liquorem ſpecialem, quem emittit, vel per amplum emiſſarium, vel per anguſtum, quod vocatur ductus, qui ſæpe ex multis veniens in communem ductum majorem ſe exonerat; vel ſtatim tradit tranſeunti lymphaticæ venæ.

Crypta. 1454. Simpliciſſima ſpecies glandularum eſt, quam vocant *Cryptam*, *Folliculum*, *Lacunam*, vel *Ampullam*: eſt quædam ſimplex cavitas ſpeciali membrana glandulosa formata, in quam cavitatem ab omni ambitu deponitur liquor, qui dein, plerumque prius inſpiſſatus, emittitur per emunctorium. Hujuſmodi cryptæ ubique copioſiſſimæ in cute, diverſis tamen in locis varios ſecernentes humores, inveniuntur.

Glandula ſimplex. 1455. In quo autem corpuſculo glanduloſo huc uſque detegere cavitatem non potuere, ſed ſimplex emunctorium deferens liquorem tenuem, iſtud corpuſculum vocant *Glandulam ſimplicem*.

Glandula compoſita. 1456. Si vero multæ hæ glandulæ ſimplices congregantur in unam molem, generali membrana cinguntur, atque per multas fibras inter ſe nectuntur, talis moles vocatur *Glandula Compoſita*. Eam diſtinguunt in *Conglomeratam*, & *Conglobatam*.

Conglomerata glandula. 1457. Si ex glandulis his ſimplicibus confectus, & ſegregatus humor feratur per emunctoria, cuicumque glandulæ ſimplici particularia, in communem ductum ita factum ramoſum, & ſenſim ampliorem, qui tandem in amplum emiſſarium ſuum deponit humorem, uti pancreas, ſalivales glandulæ, & forſan renes, & hepar, talem glandulam vocant *Conglomeratam*.

Conglobata Glandula. 1458. Si vero multæ glandulæ ſimplices in unam molem coagmentatæ confectum humorem non corrivant in commune emunctorium, ſed per ſua ſpecialia emunctoria deponunt: tales glandulæ dicuntur *Conglobatæ*. Hujuſmodi inveniuntur ſparſim per totum corpus, & maxime in meſenterio, per quas tranſeunt vaſa lactea, hæ videntur ſecernere liquorem tenuem, eumque permiſcere tranſeunti lymphæ, vel chylo. Aliæ autem inveniuntur in cavis articulorum ſmegma conficientes.

Fabrica glandularum. 1459. Quamcumque glandulam adit *Arteria*, ea variam diviſionem facit, & varium curſum ſequitur in diverſis glandulis, allatum ſanguinem tradit *Venis*, ut probat injectio; & in glandulis meſenterii, ut & in hepate, per venas ibi valvulis carentes injectione facta, redit liquor per arterias. Multo copioſiores quoque *Nervi* adeunt glandulam, quam ad quamcumque partem aliam ejuſdem magnitudinis. Hæ partes inter ſe junguntur, & nectuntur quibuſdam *fibris* ſolidis ſpecialis fabricæ, cum interpoſita *Tunica celluloſa*, & denique particulari *Membrana* cuncta hæc cinguntur. Ex omni acino glanduloſo ſimplici glandulæ conglomeratæ emergit principium *Ductus communis*. An vero hæc principia oriantur ex cavitatibus, an vero ſint continuationes arteriarum, non conſtat inter Anatomicos celeberrimos. Sed quoniam in hepate injectus liquor ex poro bilario tranſit in arteriam portarum, & radices venæ cavæ, maxime probabilis eſt ſententia, principia emunctorii continuata eſſe extremis arteriarum, & venarum: ſimulque probabile eſt liquores per nervos allatos huic ſecreto humori admiſceri:

ri: atque per fibras nectentes in quacumque glandula fieri motum particularem, a generali motu vitali arteriarum distinctum, per quem, & per varium cursum arteriarum, diversi humores secernuntur in glandulis.

1460. Est ergo in nobis multiplex secretio. 1. Extremitates arteriarum lymphaticarum, & nervorum sine structura glanduloſa deponunt humores distinctos. 2. Cryptæ primo retinentes inspissandos humores, tandem exonerant. 3. Glandulæ compositæ non solum diversum a præcedentibus deponunt humorem, sed & inter se non secernunt humores similes. Quare humorum secretorum magna est varietas. *Secretio multiplex.*

CAPUT II.

De Glandularum morbis.

1461. GLandulæ omni genere vasorum instructæ generalibus quoque morbis corripi possunt: sed quia insuper in glandulis peculiaris est structura, motus, & humor, quosdam quoque patiuntur morbos, qui non ita in ceteris partibus occurrunt. Veteres autem per phænomena distinguentes morbos, his specialibus morbis certa imposuerunt nomina: atque his non contenti, ex loco, quem illi morbi occupant, alia excogitarunt nomina. Nos vero hos omnes reducemus ad *Lupiam*, *Strumam*, *Scirrhum*, *Cancrum*, & *folliculosum tumorem*. *Divisio.*

CAPUT III.

De Lupia.

1462. TUmor parvus, duriusculus, sub cute hærens, mobilis, nodi, glandulæ, vel ganglii figuram habens, vocatur *Glandula*, & *Lupia*, forsan ex Lupuli fructus figura, multum differens a Lupo ulcere (1311) & distinguenda a glandula sana, ganglio nervi, & morboso, scirrho, & similibus tumoribus. *Definitio.*

1463. Videtur materia lenta glutinosa concreta cruda in quadam glandula singulari hærens, eam infarciens, ut tota interna substantia glandulæ sit impleta humore lento non facile corruptibili; & quia glandula solis suis vasis ambientibus partibus est annexa, talem liberum tumorem exhibet. *Causæ.*

1464. Hujusmodi tubercula bis de die sunt fricanda cum saliva, vel alio *resolvente Linimento*, & tegenda simili *emplastro*. *Curatio.*

CAPUT IV.

De Struma.

1465. STruma, *Schrophula*, seu *Chœras* est etiam tumor frigidus glanduloſus durus ut Lupia, sed plerumque major, magisque adhærens partibus circumjacentibus, & sæpe multas partes glanduloſas simul afficiens; omni dolore caret, nisi durius tractetur, vel suscepta corruptela perrodatur, quando effluit humor tenuis instar laticis, manente parte indurata: quando etiam proserpit. *Definitio.*

1466. Videtur materia viscida tenax, a veteribus Pituita (*Comp.* T. 11.) dicta, in glandulæ substantia collecta, tunicam ejus celluloſam implens, strumas inferens, & quoniam invenitur insipida, gypsea, vitrea, & salsa, idem tumor ex eadem materia natus varia phænomena præbet. Ipsa forsan gelatina *Causæ.*

ſana ſanguinis in glandulis concreta ſimiles tumores infert.

Curatio. 1467. Quoniam naſcitur ſtruma in corporibus pituitoſis frigidis, interne danda medicamenta *Reſolventia*. Alvus ducenda *reſolventibus*. Fovendo partem eam *Reſolvente calefaciente*. Si vero aperta ſit ſtruma, ut ulcus durum ſordidum eſt curanda.

CAPUT V.

De Scirrho.

Definitio. 1468. SCirrhus etiam eſt tumor durus glanduloſus, inæqualis ſuperficiei, a parvo tumore ſenſim increſcens, difficilis ſolutionis, vix dolens niſi duriter tractetur, vel acrimoniam ſuſcipiat, quando vocatur Cancer. Non ſolum aggreditur partes proprie glandulas dictas, ſed etiam alia organa ſecretoria, uterum, hepar, lienem, & ſimiles partes.

Cauſa. 1469. Videtur ſcirrhus natura materiæ a præcedentibus differre, quod ſit pinguedo concreta, & corrupta, hærens in tunica celluloſa glandulæ, quæ inæqualiter tumens hujus glandulæ exhibeat externam inæqualitatem, & duritiem. Hæc materia diu retenta non facile patitur reſolvi: ſi autem per putredinem ſupervenientem liqueſcit, convertitur in non domabilem acrimoniam cancroſam. Hæc pinguedo corrupta acris, quia induit nigrum colorem, veteribus dicta fuit Atra bilis. Ad hujus generationem, & collectionem in glandula multæ recenſentur cauſæ.

Prognoſis. 1470. *Diſcutientibus* applicatis minuitur magnitudo, ſed ſimul redditur irreſolubilis, quia omni ſolvente humiditate privatur.

1471. Omnes valde *duri Scirrhi* ſunt diuturniores, & curatu difficiliores; quia reſolvi nequit niſi fluxilis primum reddatur concretus humor, quod difficulter obtineri poteſt.

1472. *Durus* & admodum *Aſper*, frequentius abit in cancrum, cum eminentes partes lædentes viventia adjacentia lædant ſimul: quod ſi tunc ſimul aliquis dolor accedat, vocatur Cancer occultus.

1473. Scirrhus *emollientibus*, & *laxantibus* liquefactus utplurimum abit in carcinoma; quia humidum accedens liquefaciens diu concretum humorem facit, ut fiat teterrima putrilago.

1474. Scirrhi aſperi ſolutio non tentanda *frictione*, quia partes viventes ad corpus id aſperum preſſæ deſtruuntur.

1475. Omnis *vetus Scirrhus*, etiamſi ejus materia in fluorem poſſet redigi, periculo non caret, nam diuturnitate temporis ſummam acrimoniam acquiſivit.

1476. *Dolor* in ſcirrho præſagit cancrum, quia notat jam incipi corroſionem partium ambientium.

1477. Scirrhus oleis *aromaticis*, & *ſtimulantibus* exaſperatur, ſtruma autem iiſdem reſolvitur.

Curatio. 1478. Scirrhi curatio eſt triplex. 1. Reſolutio, 2. Ablatio, 3. Palliatio.

Reſolutio. 1479. Si recens ſit ſcirrhus, & in corpore ceteroquin ſano, non dolens, nec admodum durus, aut aſper, ejus tentanda eſt *Reſolutio per appropriata externa*, dum interim per interna *alvum ducentia*, *& emendantia* tenaces alieni humores ſimul evacuantur.

Ablatio. 1480. Si his internis, & externis non obtemperat Scirrhus, hærens in loco apto; neque annexus partibus ambientibus; neque ſtipatus magnis vaſis, vel alia parte principe; eſt abſcindendus, arripiendo totum ſcirrhum cum communibus integumentis, detrahendo eum, ut totus inſtrumento acuto tolli poſſit; Enucleatio enim ſcirrhi non procedit; eum aggredi corroſivis, non eſt tutum; atque ligando ſuffocare, nimis doloroſum eſt, & infidelis curatio.

1481.

1481. Si vero dictis auxiliis tolli non poteſt ſcirrhus, ejus augmentum, & commutatio in Cancrum eſt prævenienda: quod fit iiſdem Medicamentis internis, ſed *externis abſorbentibus adſtringentibus antiſepticis*, ut ita inhibeatur putredo, quæ ſponte fieret relicta humiditate: quali methodo ad multos annos geſtari poteſt ſine multa moleſtia. *Palliatio.*

1482. Quæ differentia inter indurationem, lupiam, ſtrumam, & ſcirrhum? *Quæſtiones.*

Id commune habent hi omnes tumores, ut ſint duri, indolentes, non mutantes colorem cutis, intus ſolidi, in parte glanduloſa, ſenſim increſcentes, diu durantes. Sed *Induratio* intus interdum habet tenuem infarctum humorem, vel ſanguinem coagulatum, vel lac ut in mammis. *Lupia* ſolitariam glandulam occupat, & oritur ab humore cruſto congeſto. *Struma* ſæpe multas glandulas infeſtat, continet materiem pituitoſam concretam, non abiens in verum cancrum. *Scirrhus* ſuperficiem inæqualiorem habet, & continet materiem vix ſolvendam, ſed commutandam in Cancrum.

1483. An differentia Lupiæ, ſtrumæ, & ſcirrhi, ex variis partibus in glandula obſtructis?

Materia retenta in arteriis, venis, nervo, emunctorio, vel tunica cellulari hærens poteſt ratione phænomeni, & curationis aliquam differentiam exhibere, ſed ratione commutationis, in purulentiam, ichorem, vel cancroſum non valet iſtam producere differentiam, quoniam ex diverſitate humoris contenti poſt corruptelam, majora vel minora mala fiunt.

CAPUT VI.

De Cancro.

1484. *Cancer*, qui etiam *Carcinoma*, & *Carcinus* vocatur, eſt Tuberculum, ſeu tumor quandoque in principio piſi, vel ciceris magnitudinem non ſuperans, ſed ſenſim major, durus, inæqualis, aſper, glanduloſus, ſolidus, dolens, præprimis, ad contactum, plerumque rotundus, mobilis, vel immobilis prout partibus adjacentibus magis minuſque adhæret, cutis colorem huc uſque non mutans. Talis vocari poteſt *Cancer incipiens*, a quibuſdam *Cancer ſanguineus*. *Definitio Cancri incipientis.*

1485. Senſim ille tumor durus redditur major, increſcens in mirandam molem, ſimulque increſcit dolor, mutari incipit cutis color, in fuſcum lividum, nigrum, & pars calere incipit, venæ livere incipiunt, & turgere circumquaque, ut referant Cancri pedes, unde ſortitur nomen, manens in tumore duities, & inæqualitas, interdum loco doloris generatur ſtupor, ſeu indolentia, ſi nervus comprimitur. *Cancri ſævientis.*

1486. Tandem a corroſivo in cancro hærente, cutis, & caro exedi incipit, & aperitur cutis, unde formatur ulcus craſſum, malignum, horrendum, fœdum, fœtidum, habens labra prætumida, dura, retorrida, cum effluxu ichoris virulenti, quando dicitur *Cancer manifeſtus*, apertus, ulceroſus, Lupus, Phagadena. *Cancri aperti.*

1487. Quia in omnibus corporis partibus inveniuntur glandulæ, cancer in omnibus partibus poteſt inveniri, frequentiſſime autem in mammis mulierum: non tamen mutat nomen niſi habeatur in naribus, quando vocatur *Noli me tangere* (Ch. 889.): in ore, *Cancer aquoſus*: in glandulis ani, *Condyloma*. *Nomina ex loco.*

1488. Cancri humorem eſſe acerrimum, ex dolore, corroſione, & reſiſtentia contra quævis medicamenta facile colligitur; ſed ex quonam humore naturali conficiatur non ſatis conſtat inter Auctores. 1. Si *Sanguis* concreſcit, & dein corrumpitur, uti in Contuſione (1264) nunquam in tantam *Cancri humor.*

tam acrimoniam convertitur, qualis in vero cancro obſervatur. 2. *Serum*, & *Lympha* non concreſcunt ſtagnando, & propter magnam adjunctam copiam aquæ non tam acria fiunt. 3. *Pinguedo* autem ſtagnans, & corrupta in vehementem rancorem cum colore nigro commutatur, pars liqueſcens, & abiens relinquit maſſam tenacem piceam nigram, quæ a veteribus vocatur Melancholia. Inde in Crudi abundantia ſæpe Lupia. Viſcidi abundantia Struma; ſed in Melancholicis frequens Cancer.

Cancri cauſæ. 1489. Si materia melancholica, ſeu pinguedo corrupta tenax ſubſiſtat in tunica celluloſa glandulæ, longiori mora in ſummam convertitur acrimoniam, ſic generatur ſcirrhus, vel ſtatim ab initio formatur Cancer. 2. Sed ſi præceſſerit Lupia, aut Struma, non accedente melancholia, vel pinguedine, hi morbi non convertentur in cancrum: ſed quando pinguedo ejuſdem glandulæ ſubſiſtens ſimul corrumpi incipit, hujuſmodi tumores etiam in Cancrum degenerant. Adeoque vera cauſa proxima Cancri eſt materia pinguedinoſa, lenta, tenax, dein longiori mora corrupta, ut non ſit opus multa arcana rimari ad eruendam cancri cauſam.

Humoris cancroſi natura. 1490. Pinguedo igitur longa putredine in ſummam acrimoniam corrodentem converſa, ſimulque tenax, & picea, tenaciſſime glandulæ ſubſtantiæ adhærens, ſenſim liqueſcens, convertitur in Ichorem rodentem, nullo quod ſcimus antidoto emendandum; qui novam accedentem pinguedinem in ſimilem corruptelam invertit, relinquens ſemper materiem tenacem acrem: ſic corroduntur adjacentia, coagulatur ſanguis in venis ambientibus, atque denique traditur etiam circulantibus humoribus, qui tunc ſæpe ſimiles glandulas, aliaſque partes inficit eadem cancroſa labe, donec tandem poſt multas miſerias æger emaciatus moriatur.

Curatio. 1491. Quum acre cancroſum nullo antidoto cognito emendari potuerit, Curatio conſiſtit 1. in Ablatione, 2. Palliatione. 3. Symptomatum mitigatione.

Ablatio. 1492. Ablatio duplici modo fieri poteſt. 1. Applicatione *Corrodentis*, ſed quoniam magnum dolorem movet, tarde procedit, atque incertum eſt, nemo hodie per Corrodens tentabit curationem. 2. *Sectione*, quæ inſtituitur ſi Cancer ſit mobilis; in corpore ceteroquin ſano; ſolitarius in corpore; non nimis vetuſtus; neque exulceratus; hærens in loco ubi ſine periculo partium adjacentium totus tolli poteſt. Dicta ſectione ſi ſimul cuncta infecta tolluntur, homo liberatur a Cancro: ſed ſi Cancroſum ſimul ſit diſperſum per corpus, poſt operationem alias glandulas aggreditur, & recidivam facit.

Ablationem vetant. 1493. Hæc autem ſalubris curatio inhibetur. 1. Si pluribus in locis inveniuntur Cancri, indicantes cancroſum eſſe per corpus diſperſum. 2. Si cancer adhæreat arteriæ, venæ, vel nervo, ut abſcindi nequeat ſine vitæ periculo. 3. Firmiter adhærens carni, cujus tota moles exſcindi ſimul non poteſt. 4. Natus in loco operationi inepto. 5. Externe venis lividis ſtipatus, indicantibus ſanguinem infectum eſſe. 6. In corporibus valetudinariis, quæ ferre non poſſent operationem, vel indicarent corpus cancroſo eſſe infectum.

Ablationis modus. 1494. Si Cancer ſit parvus, non ſtipatus malis indicantibus ſignis, totus cum integumentis, ut in Scirrho (1480) monuimus, eſt tollendus. Si autem Cancer ſit major, locus incidendus primum notetur atramento, dein, vel manu prehendatur cancer; vel trajiciatur acus filo firmo inſtructa, cujus fili ope crucialiter trajecti Cancer attrahi poteſt; vel trajiciatur furca bidens; retracta deinceps pars, a parte inferiore ſurſum procedens cultro acuto, ſecundum lineam ductam, tota eſt tollenda. Hæc operatio in mammis facilius fit quam in aliis partibus, quia mammæ carni ſubjectæ laxæ adhærent.

Poſt operationem. 1495. Poſt ablatum cancrum cavendum, ne quid cancroſi remaneat, quare ſtatim hemorrhagia non eſt ſupprimenda, ſed dein applicandum *ſtypticum* ad vaſa aperta, ad reliquas cruentas partes plumaceolæ ſiccæ. Deinceps curari debet ut ulcus.

1496.

1496. Si Cancer tolli non poteſt, talis curatio eſt adhibenda, quæ inhibet nimium Cancri progreſſum: hoc obtinetur *antiſepticis abſorbentibus*, quæ tollunt humiditatem, & inhibent putredinem. Si autem Cancer ſit exulceratus multum ichoris fundens, conducit tollere rodentem ichorem *lavamentis antiſepticis*. Interne interim ſemel in ſeptimana alvus ducenda *purgante apto*, & bibendum dandum *Apozema antiſepticum*. *Palliatio.*

1497. Præcipua ſymptomata, quæ Chirurgi auxilium exigunt, ſunt: 1. Hæmorrhagia, quæ compeſcenda applicatis *ſtypticis*. 2. Dolor, qui exigit ſæpe *anodyna ſtupefacientia externa*, & *interna*. *Symptomatum mitigatio.*

1498. An acre cancroſum eſt acidum, vel alcali?

Qui omne acre corrodens deducunt ex acido vel alcali, hoc quoque conati ſunt demonſtrare in Cancro: ſed quoniam non extinguitur, aut mitigatur acre cancroſum applicatione acidi, vel alcali, neque cum his effervescit, ſatis patet eam ſententiam ex inani hypotheſi eſſe deductam. Verum videtur pinguedo corrupta, quæ nullo antidoto emendari poteſt. *Quæſtiones.*

1499. An dolor, & corroſio cancri a vermiculis?

Hoc quidam putarunt, quoniam ex cancro interdum viderunt prodiiſſe vermiculos: ſed tale quid etiam obſervatur in carne putreſcente. Si vero eſſent vermiculi, facile eſſet per corrodens applicatum iſtos necare, dum tamen a corrodente exaſperatur cancer.

1500. Cur exaſperatur Cancer ſi totus non tollitur ſectione?

Sectione aperiuntur clauſtra, quibus occludebatur cancroſum, quod nunc aeri expoſitum, & alluente humore liquatum in majorem corruptelam cito commutatur; & tunc applicatum ad partes viventes vehementiorem dolorem infert.

1501. Cur in curatione Palliativa pars externe munienda ne tangi poſſit?

Colliſio externa premeret viventes partes ad maſſam cancri duram unde conciperent inflammationem: & etiam quædam repagula colliſione rupta, idem facerent quod imperfecta ablatio.

1502. Cur feminis intra 45. & 50. annum ætatis frequentiores cancri mammarum?

Hoc tempore ætatis naturaliter menſes ſubſiſtere incipiunt, quæ feminæ ergo cum menſibus corruptum pinguedinoſum evacuabant, his ſuppreſſis, ob maximum conſenſum inter uterum, & mammas, id corruptum ſæpe colligitur in mammis, ubi tandem cancrum generat.

CAPUT VII.

De folliculoſo Tumore.

1503. DUm in follicula, ſeu ampulla Cryptæ (1454) morboſus colligitur humor ſpiſſus clauſo emiſſario, ſimulque ſenſim increſcente ſubſtantia, quæ latera criptæ format, generatur Tumor ſpecialis, qui ex varia retenta materia diverſa obtinuit nomina. Hi omnes tumores variam magnitudinem habent, & in magnam molem increſcere poſſunt: raro mutant cutis colorem: plerumque mobiles ſunt ſub cute, & fere ſemper ſine dolore. *Deſcriptio.*

1504. Si talis tumor in ſe continet materiem pultaceam, ac ſi eſſet puls ex farina concocta, vocatur *Atheroma*. Si vero hæc materia referat ſebum, *Steatoma* dicitur. Sed mellis colorem, & ſubſtantiam habens vocatur *Meliceris*. Interdum alia materia, lapidea, granulata, & coloris diverſi continetur, quæ non ita mutat hujus folliculoſi tumoris nomen. *Atheroma.*

1505. Si vero hujuſmodi tumores in cute cranii nati, infra complanati ob cranii duritiem, ſuperius convexi, ex figura nominantur *Teſtudo*. Idem *Teſtudo.*

tu-

tumor paulo durior vocatur *Talpa*. Non raro hi tumores ſubjectum cranium ſimul afficiunt.

Natta. 1506. Sed tumor folliculoſus, atheromati ſimilis, ex dorſo, humeris, brachiiſve excreſcens, interdum ad ingentem molem, ſæpe a pedunculo pendens, vocatur *Natta*, *Nata*, & *Napta*.

Curatio. 1509. Hujuſmodi tumores, quamdiu parvi, & recentes ſunt, leniter ſunt fricandi *Linimento reſolvente*, ſimilique *emplaſtro* tegendi. Sed ſi non cedit tumor reſolventibus, optimum eſt tenſam ſupra tumorem perſcindere cutim, & ita totum tumorem cum membranoſa ſua ampulla enucleare, dein inſuper ad radicem tumoris in relicta cavitate locare cauſticum, quod principium corrodit; reliquum ut ulcus curare.

LIBER XII.

CAPUT I.

De Herniis.

Definitio 1508. PEritonæi lamellæ portio prolongata, ut ſpecialem ſaccum formet, vel in umbilico, vel inguinibus, vel inter abdominis muſculos recedentes, vel etiam ubi egrediuntur vaſa Iliaca, vocatur *Hernia*, vel *Cele*, ſive ſacculus ille prolongatus contineat aerem, aquam, vel omentum, aut inteſtinum.

In partibus variis. 1509. Ex ſimilitudine dilatationis in aliis partibus idem retinuerunt nomen; uti portio inteſtini, vel uteri, vel veſicæ urinariæ, aut felleæ, & ventriculi, novum ſaccum formans ex priori quaſi eminens. Sed ſi fiat in venis, vocatur *Varix* (694), in arteriis *Aneuriſma verum* (655).

Herniæ nothæ. 1510. Ex ſimilitudine tumoris, qui per herniam formatur, alii etiam tumores in umbilico, vel inguinibus, imo ad anteriora colli, Herniæ nomen obtinuerunt. Quæ ſpecies phænomenis multis conveniunt, ſed curationem diverſam exigunt.

Nomina varia. 1511. Ad varias ſpecies herniarum deſignandas multa excogitarunt nomina. 1. In Inguinibus eſt *Bubonocele*; per inguines in ſcrotum deſcendens *Oſcheocele*; in umbilico, *Omphalocele*; in reliqua ventris parte *Gaſtrocele*. Quæ vocatur *Bronchocele*, ex ſtrumarum genere eſt. Vid. *Comp.* T. 35. XXVII. 2. Mutarunt nomina ex partibus firmis in herniam prolapſis, ut in Inguinibus, & ſcroto, *Enterocele*, *Epiplocele*, & *Entheroepiplocele*, ſi inteſtinum, vel omentum, vel utraque cavum herniæ implent: In umbilico autem *Enteromphalos*, *Entiplomphalos*, *Enteroepiplomphalos*, ab iiſdem partibus prolapſis. 3. Si vero humores, vel tumor morboſus tumorem hernioſum format in inguinibus, & ſcroto numerantur *Pneumatocele*, *Hydrocele*, *Sarcocele*, *Variocele*, prout aer, Lympha, moles carnea, aut venæ tumentes iſtum tumorem formant: Idem tumor ſi habetur in umbilico, vocatur *Pneumatomphalos*, *Hydromphalos*, *Sarcomphalos*, & *Varicomphalos*.

Herniæ locus. 1512. Locus conſuetus pro herniis in feminis frequens eſt umbilicus, in quo viri raro patiuntur herniam. Sed viris frequentior fit in inguinibus Hernia, quæ tandem in ſcrotum deſcendit: per eandem viam, quam tranſeunt vaſa ſpermatica: In feminis autem, quod rarius fiunt ſecundum curſum ligamentorum uteri, tandem ulterius diſtendunt inguines, vel ſub cute per femoris interiora deſcendunt. Quia his in locis omnibus peritonæum minus ſuffultum eſt. Minus conſueta loca ſunt reliquæ abdominis partes, vel ubi egrediuntur iliaca vaſa.

Cauſæ. 1513. Herniæ veræ cauſæ ſunt omnes illæ 1. quæ ſuſtentacula laxant, uti pue-

puerilis ætas, hydrops, laxitas fibrarum, contuſio, læſio, vulnus. 2. Quæ contenta ventris magis urgent ad umbilicum, & inguines, ut dilatent lamellam peritonæi, nam raro rumpitur: veluti clamor, cantus, riſus, ſternutamentum, tuſſis, vomitus, alvi egeſtio, fortis nixus, partus, flatus, ſaltus, equitatio.

1514. In ſimplici hernia inguinis, & ſcroti, interna lamella peritonæi prolongatur, ut ſacculum formet, nam raro rumpitur, in quo tunc ſacco ſæpe colligitur Aer, vel Lympha, ut generetur ſimplex *Pneumatocele*, & *Hydrocele*, quæ in ventrem retrudi poteſt. *Bubonocele, & Oſcheocele.*

1515. Si autem Omentum ſimul exit, ut impleat formatum peritonæi ſaccum, tumor ſentitur mollis, & nodoſis, preſſus veſtigium pro tempore relinquens, minus evaneſcens comprimendo, in ventrem reducta Hernia *Epiplocele* dicta, non generat murmura, ſenſim in majorem molem excreſcit hic minus ſuſtentata pinguedo, vix dolens, ſed interdum reponi non poteſt ſi cum dicto ſacco concrevit. *Epiplocele.*

1516. Duplici modo Inteſtinum format herniam, quæ Enterocele vocatur. 1. Si quædam plica inteſtini duplicata ex cavo ventris intrat ſaccum hernioſum, talis ſi remittatur in ventrem ſæpe murmura facit, ad attactum doloroſior, ſi illa pars inteſtini, vel impletur fecibus, vel inflammatur, vel conſtringitur in annulo, præter dolorem, ſummam anxietatem parit, & interdum ſyncopem, tunc vix reponi poteſt, & intercipiens contentorum in inteſtinis tranſitum, non raro inopinate mortem intulit. 2. Sed ſi ex latere inteſtini formetur ſacculus, qui herniæ ſaccum implet, non intercipitur excrementorum curſus etiamſi inteſtini illa portio in hernia maneat. *Enterocele.*

1517. Si inteſtinum, & Omentum ſimul herniam format, quæ vocatur *Enteroepiplocele*, utraque ſigna, & pericula conjuncta habentur, tunc ſæpe retruſo inteſtino relinquitur tamen tumor ab omento, & ſacco peritonæi reſiduo. *Enteroepiplocele.*

1518. *Omphalocele*, quæ etiam *Exomphalos*, vocatur, ſimiles etiam partes in ſe recipit, aerem, aquam, inteſtinum, & omentum, unde tunc generatur *Pneumatomphalos*, *Hydromphalos*, *Enteromphalos*, & *Epiplomphalos*, cum ſuis compoſitis ſpeciebus, *Enteroepiplomphalos* &c. quæ ſimiles agnoſcunt cauſas (1513). *Omphalocele.*

1519. Bubonocele, & Oſcheocele protinus in ventrem eſt refundenda, preſſione unius manus ſupra tumorem, & artificiali preſſione, & directione verſus annulum per digitos alterius manus, dum interim æger ſupinus jaceat, trunco corporis ſuperiore decliviore, cruribus non admodum divaricatis. *Curatio.*

1520. Si vero vel per annuli nimiam conſtrictionem, vel impletionem Inteſtini non ſatis commode in abdomen ita refundi nequit hernia, pudenda ſunt inungenda *linimento molli*, & inſuper fovenda *fotu*, vel *cataplaſmate humectante*, *& laxante*; dein malaxatæ partes præcedente modo ſunt refundendæ in ventrem. Hoc ſi non ſuccedit, *fumus Nicotianæ* præſtantiſſimæ per appropriatam fiſtulam in anum eſt inflandus, ut magis moveantur inteſtina ſuo motu periſtaltico. Si ne quidem hoc auxilio adhibito reponi poſſunt inteſtina, quidam ſuadent applicationem *Aquæ frigidæ*, ut inteſtina frigiditate retrahantur, ſed hoc fieri poteſt in recenti hernia, nam in vetuſta incarcerata hernia actuale frigus mortificationem inducere poſſet. *In Hernia incarcerata.*

1521. Si vero ultra viginti quatuor horas hernia fuit incarcerata, & reponi nullo alio auxilio poteſt, tandem ſectio eſt inſtituenda, doloroſa, moleſta, & periculoſa, quæ vocatur *Celotomia*. Quæ fit elevando integumenta ſupra herniam, faciendo parvam in iis aperturam, ne tangatur pars ſubjacens; in hac mittendus ſtilus ſulcatus, qui inſtrumento ſecanti monſtrat *Celotomia.*

viam, dein forfice vel alio ſecante inſtrumento perſcindenda integumenta ſecundum corporis longitudinem; primo ſurſum aliquomodo verſus lineam rectam, ne lædantur vaſa iliaca, dein etiam deorſum per ſcrotum uſque ad finem herniæ, ut totus ſaccus pateat. Dein videndum num inteſtinum ſacco peritonæi ſit tectum: hoc ſi invenitur, ſaccus præcedenti etiam modo eſt aperiendus prudenter ne tangatur inteſtinum; in parva ea facta apertura immittendus ſtylus ſulcatus, qui demonſtrat viam & cavet inteſtina; tunc inſtrumento apto aperiendus eſt ſaccus & tantum de annulo conſtringente, ut incarceratum inteſtinum liberetur & in ventrem retrudi poſſit. Sæpe, dum aperitur ſaccus, aliquis humor in ſacco contentus erumpere ſolet, quod multis inanem timorem incuſſit. Inteſtinum nudatum in ventrem dein eſt ducendum, atque apertura facta turunda craſſa, ſed brevi, ad extremum molli, & filo alligata, eſt claudenda, ſenſim minuendo turundæ craſſitudinem, donec omnia inter ſe conferruminata ſint. Interim ſtatim & per aliquot annos hic locus firmandus plenio & ſubligaculo, ne iterum excidant inteſtina. Si vero deficit ſaccus peritonæi, quod interdum fit, non eſt incidendum inteſtinum. Cognoſcimus inteſtinum eſſe, ex craſſitudine membranæ, figura inteſtini prolapſi, & rubedine.

Singularia obſervata.

1522. Si inter operandum comperimus Inteſtinum eſſe vel mortificatum, vel ſimul læſum, tunc ea pars tali modo tractanda, ut in Vulneribus (1245), traditum eſt. Id quoque obſervandum in propendente Omento (1247). Si vaſa ſpermatica ſint ſimul læſa vel abſciſſa; applicandum eſt *Stypticum*, aut digito vas apertum comprimendum.

Quæſtiones.

1523. Cur refuſa hernia remanet funiculus ſpermaticus craſſior?

Mercur. dulcis drach. i. cum dim.
Ung. alb. Camphor. unc. i.
Ol. Ligni Rhod. gutt. viii.
M. Illiniatur.

Form. 343. *Linimentum.*
R. *Plumbi uſti*,
Mumiæ ana unc. ii.
Pulv. præcipit. drach. xii.
Litharg. aur. unc. iv.
Antimonii,
Camphoræ ana unc. iii.
Ung. alb. Camphor. unc. xvi.
M.
V E L
R. *Picis navalis* unc. i.
Butyri,
Axungiæ porci ana unc. dimid.
Mell.
Terebint. ana drach. ii. cum dim.
Aceti vini drach. ii. cum dim.
Salis marin.
Vitriol. Roman.
Tartari,
Carthami ana drach. i.
Æris uſti.
Sulphur. ana drach. ii.
Fuligin. camini drach. iii.
M.
V E L
R. *Scoriæ ferri pulv.* unc. iv.
Butyri,
Picis navalis ana unc. iii.
M. Coquantur in unguentum.
Cum linteo applicetur, vel affricetur.

Form. 344. *Linimentum.*
R. *Fol. Abrotani maris*,
Capill. Veneris ana m. i.
Favi Mellis,
Ladani ana unc. i.
Myrtyll. drach. i.
Sem. Fœnugræci,
Lini ana drach. iii.
Ol. Amigd. dulc.
Vini alb. dulc. ana unc. iii.
Poſt infuſionem ebulliant ad humidi conſumptionem.
V E L
R. *Olei abrotani cocti*,
Mellis ana unc. ii.
M. Inungatur capiti ubi capilli deficiunt.

Form. 345. *Lavamentum.*
R. *Scoriæ, vel ferrugin. ferri* q. ſ.
Ol. Vitrioli lib. i.
Miſta efferveſcant, adde *aquæ comm.* pint. ii. digere 24. horas, liquori filtrato adde
Aluminis crudi unc. ii.
Serva uſui. Applicetur cum linteis, vel plumaceolis.

Form. 346. *Linimentum.*
R. *Axungiæ porcinæ rec.* unc. i.
Terebinth. drach. iii.
Balſam. Peruv. drach. dimid.
Ceruſſæ drach. i.
Aluminis uſti ſcrup. ii.
Flor. Sulphur.
Minii ana ſcrup. i.
Moſchi gr. i.
M. Illiniatur parti.

Form. 347. *Linimentum.*
R. *Aloes*,
Aceti fortis,
Sulphur. ana drach. iii.
Axungiæ unc. i.
Argenti vivi ſalivæ extincti drach. dimid.
M.

Form. 348. *Pulvis.*
R. *Ocul. Cancr.* drach. i.
Mercurii dulcis drach. dimid.
Nitri,
Flor. Sulphur. ana drach. i.
M. F.

M. F. pulveres xii.
Capiat unum bis de die.

Form. 349. *Lavamentum*.
℞. *Mercuri ſublimati* unc. dimid.
Aq. Plantag. unc. x.
Roſarum unc. v.
Ebulliant ſimul, liquori refrigerato adde.
Succi citri drach. iii.
M. Abluatur eo pars affecta bis de die.

Form. 350. *Infuſio*.
℞. *Rad. Bugloſſ.*
Polypod. quern. ana unc. dim.
Fumariæ,
Scolopendriæ,
Linguæ cervinæ,
Agrimoniæ,
Cariophyll.
Capill. Vener. ana m. i.
Tamariſci,
Flor. Bugloſſ.
Violarum ana p. i.
Turpeth. drach. i.
Rhabarb. drach. i. cum dimid.
Fol. Sennæ unc. i.
Vini unc. xxxvi.
Fiat infuſio.
De colatura capiat uncias duas omni mane, vel donec alvus laxetur.

Form. 351. *Pilulæ*.
℞. *Pil. Coch. mai.* drach. dimid.
Calomelan. ſcrup. i.
Reſinæ Jalappæ gr. vi.
Syrup. e Chalib. q. ſ.
M. F. *Pilulæ* xii.
Una, vel duabus vicibus aſſumi debent, prout plus, minuſve eſt purgandum.

Form. 352. *Pulvis*.
℞. *Olibani*,
Coralli rubri ana ſcrup. dimid.
Laud. Opiat. gr. i.
M.
VEL
℞. *Spermatis Ceti*,
Corall. rubr.
Antimon. diaphoret. ana ſcrup. dimid.
Laud. Opiat. gr. i.
M.
VEL
℞. *Cornu Cervi uſti*,
Maſtiches,
Antimonii diaphoret. ana ſcrup. dimid.
Laud. Opiat. gr. i.
M. pro doſi.

Form. 353. *Pulvis*.
℞. *Gallarum*,
Balauſtior. ana drach. i.
Sang. Dracon.
Ceruſſæ,
Æruginis ana drach. dimid.
Alum. uſti,
Thuris,
Mirrhæ ana drach. i.
M.
VEL
℞. *Æs viride*.
Alumen uſtum,
Mercurius præcip. ruber.
Helleborus niger.
Spongia uſta,
Thus,
Tutia.
Chalcitis,
De his aliquid ulceri inſpergendum.

Form. 354. *Pulvis*.
℞. *Euphorbii* drach. i.
Rad. Iridis,
Ari ana drach. i.
M. F. Pulvis.
VEL
℞. *Mumiæ*,
Sarcocollæ ana drach. dimid.
Euphorbii drach. i.
M.
VEL
℞. *Rad. Ariſtoloch. long.*
Bryoniæ,
Peucedani,
Iridis ana drach. i.
M.

Form. 355. *Clyſma*.
℞. *Aquæ Calcis vivæ* unc. vi.
Terebinthinæ unc. dimid.
Vitelli Ovi num. i.
Mell. Roſar.
Syrup. e Symph. Fern. ana unc. i.
M.

VEL

VEL

℞. *Summitat. Hyperici*,
Vincexotici,
Plantag. ana m. i.
Flor. Roſar. rubr. p. i.
Aq. Calcis q. ſ.
Coquantur, colaturæ unc. viii. adde
Mell. Roſarum unc. i.
M.

VEL

℞. *Summit. Hyperici* m. i.
Flor. Roſar.
Balauſtior. ana p. ii.
Plantag. m. i.
Lactis dulcis q. ſ.
Coquantur, colaturæ unc. viii. adde
Gum. Tragacant. unc. dimid.
M.

VEL

℞. *Theriac. And.* drach. ii.
Terebinth. unc. dimid.
Vitell. ovi num. i.
Lactis dulcis unc. viii.
M. Iniiciatur tepide.

Form. 356. *Clyſma.*
℞. *Mell. Roſarum* unc. i.
Vitell. ovi num. i.
Terebinth. unc. dimid.
Lactis dulcis unc. viii.
M.

VEL

℞. *Lactis Vaccin.* unc. viii.
Mell. Roſarum unc. i.
Theriac. Androm. unc. dimid.
M. Iniiciatur tepide.

Form. 357. *Pilulæ.*
℞. *Gum. Galbani* drach. ii.
Pulv. Myrrhæ,
Maſtich. ana drach. i.
Ol. Saſſaff. gutt. v.
Balſ. Peruv. q. ſ.
M. F. Pilulæ mediocres.
Capiat duas quater de die.

Form. 358. *Collutio.*
Lavamentum.
℞. *Mell. Roſarum* unc. i.
Sp. Cochleariæ unc. dimid.
Aq. Roſarum unc. iii.
Alum. uſti drach. dimid.
M.

VEL

℞. *Muriæ Limon.*
Mell. Roſarum ana drach. ii.
Sp. Sal. dulc. drach. dimid.
Aq. Rutæ unc. ii.
M.

VEL

℞. *Sp. Theriacal.*
Cochleariæ ana unc. i.
Mell. Anthos. unc. dimid.
M. Abluatur pars aliquoties de die.

Form. 359. *Pulveres.*
Mitiores.
Rad. *Peucedani*,
Vitis albæ,
Ariſtolochiæ,
Myrrhæ,
Maſtiches,
Olibani,
Colophoniæ.
Fortiores.
Rad. Iridis Florentinæ,
Aloes,
Pumicis uſti,
Scoriæ æris,
Corticis pini.
Fortiſſimi.
Euphorbii,
Vitrioli Romani.
Aliquid de his inſpergatur, vel applicetur cum plumaceolis.

Form. 360. *Pulvis.*
℞. *Rad. Tormentillæ* unc. dimid.
Nucis Moſcatæ drach. ii.
Sem. Plantag.
Terræ ſigillatæ ana drach. i.
M. F. Pulvis.
Capiat ter de die drach. dimid.

Form. 361. *Pulvis.*
℞. *Rhei electi* ſcrup. ii.
Nucis Moſchat. ſcrup. dimid.
M. F. Pulvis.
Unica vice capiendus.

Form. 362. *Apozema.*
℞. *Rad. Acetoſæ* unc. i.
Fol. Acetoſæ m. ii.
Hordei mundati unc. i.
Aq. comm. unc. xl.
Coque. Colaturæ adde
Succi Acetoſæ rec. unc. ii.

Rob. Ribeſiorum,
Syrup. Granatorum ana unc. i.
M. F. Apozema.
Bibat unciam unam ſæpius de die.

Form. 363. *Apozema*.
℞. *Rad. Biſtortæ*,
Tormentillæ ana drach. iii.
Polypodii querni unc. dimid.
Flor. Roſarum rubr. pug. ii.
Cinamomi drach. dimid.
Caſſiæ lignææ drach. i.
Aq. communis unc. xx.
Coque. Colaturæ adde
Syrup. Diacodii,
Papaveris rohead.
Cydonior. ana unc. dimid.
M. F. Apozema.
Capiat unciam unam aliquoties de die.

Form. 364. *Electuarium*.
℞. *Conſ. Roſar. rubr.* unc. i.
Bol. armen.
Croci martis adſtr. ana drach. i.
Maſtichis.
Terræ Japonicæ ana ſcrup. ii.
Spec. Diat. Santal. ſcrup. iv.
Syrup. e Symphyt. q. ſ.
M. F. Electuarium.
Capiat drach. i. ter de die.

Form. 365. *Pulvis*.
℞. *Rad. Biſtortæ*,
Tormentillæ ana drach. ii.
Croci martis drach. dim.
Terræ ſigillatæ,
Sem. Oxylapathi,
Plantaginis ana drach. i.
Cornu Cervi uſti ſcrup. dimid.
M. F. Pulvis.
Capiat ſcrup. i. ter quaterve de die.

Form. 366.
℞. *Spongiam humidam ligatam, & dein ſiccatam, unguento aliquo obductam uſus tempore.*
V E L
℞. *Pergamenam madidam convolutam & dein ſiccatam.*
V E L
℞. *Rad. Symphyti ſicci.*
Formetur inde turunda.
Hæ Turundæ ab imbibito humore tumentes dilatant aperturam, cui inditæ fuere.

Form. 367. *Turundæ*.
℞. *Colophoniæ pulv.* drach. i.
Olibani,
Myrrhæ,
Ceruſſæ ana drach. dim.
Mucil. gum. Tragacanth. q. ſ.
Ex hac maſſa formari poſſunt Turundæ aut ſuppoſitoria parva.
V E L
℞. *Mell. com.* unc. ii.
Coquatur in conſiſtentiam, calenti adde
Maſtichis,
Olibani,
Boli rubri ana drach. i.
M. Uſus eſt ut prioris.

Form. 368. *Clyſma*.
℞. *Rad. Althææ* unc. ii.
Fol. Malvæ,
Flor. Meliloti ana m. i.
Aq. Hordei q. ſ.
Coque. Colaturæ unc. viii. adde
Elect. Diacatholici unc. i.
Ol. Roſarum.
Liliorum alb. ana unc. dimid.
M. F. Clyſma tepefactum iniiciendum.

Form. 369. *Lintus*.
℞. *Mellis Roſarum*,
Syrupi Violarum ana unc. i.
M. F. Linctus.
V E L
℞. *Mellis Roſarum*,
Julapii Roſarum ana unc. i.
Terræ Catechu. drach. i.
M. F. Linctum.

Form. 370. *Collutio*.
℞. *Decocti Raparum* unc. v.
Nitri depurati drach. i.
Mellis albi unc. i.
M. F. Collutio.
Aliquoties de die hoc liquore colluatur os, vel & eo gargarizari poteſt.

Form. 371. *Infuſio*.
℞. *Cor. Peruviani* unc. i. cum dimid.

Ci-

Cinamomi,
Rad. Galangæ minoris ana unc. dimid.
Vini Rhenani lib. ii.
Stent in infuſione tepida per duos dies.
De colatura capiat unc. ii. ter quaterve de die, tempore apyrexiæ.

Form. 372. *Emplaſtrum.*
℞. *Empl. de mucilaginibus* unc. i.
Cantharidum drach. ii.
Terebinthinæ q. ſ.
M. F. Emplaſtrum.
Formari poteſt magnitudinis requiſitæ, & tam diu applicatum hærere donec veſicam concitaverit.

Form. 373.
℞. *Laudani opiati* gr. i.
Formetur inde pilula, quæ cavo denti indi debet.

Form. 374. *Pulvis.*
℞. *Herbæ Majoranæ.*
Meliſſæ,
Flo. Lavendulæ ana drach. i.
Rad. Irid. Flor. drach. ii.
Euphorbii gr. iii.
Ol. Maioran.
Meliſſæ ana gutt. iii.
M. F. Pulvis ptarmicus.
Aliquid de eo attrahatur naribus, bis aut ter de die.

Form. 375. *Pulvis.*
℞. *Amyli* unc. i.
Ceruſſæ drach. ii.
Sacchari Saturni ſcrup. i.
Cretæ albæ drach. dimid.
M. F. Pulvis.
Aliquid de eo excipiatur linteo ſicco, ter quaterve de die applicandum.

Form. 376. *Emplaſtrum.*
℞. *Empl. Diapalm.* unc. ii.
Aceti unc. i.
Sacchari Saturni drach. ii.
M. F. Emplaſtrum.
Extendatur ſupra linteum, & applicetur.

VEL

℞. *Empl. Diapalm.* unc. ii.
Vitrioli,
Sacchari Saturni ana drach. i.
Ol. Olivarum unc. dimid.
M. F. Empl. Uſus ut prioris.

Form. 377. *Turunda.*
℞. *Terebinthinæ coctæ* unc. i.
Olibani drach. ii.
Far. Rad. Symphyti q. ſ.
M. F. Turunda, vel parvum ſuppoſitorium. Quod fiſtulæ vel ano indi poteſt.

INDEX
CHIRURGIÆ REPURGATÆ.

A

ABducens nervus. 754
Ablatio cancri. 1492. vetatur. 1493. modus. 1494
Abraſio polypi an tentanda ope fili nodis inſtructi, per nares, & fauces dimiſſi. 887
Abſceſſus, & ſuppuratio. Definitio 550. Varietas. 551. generatio. 552. per maturantia. 553. laxantia. 554. medicamenta interna. 555. maturi ſigna. 556. aperiendus quando. 557. ante maturitatem quando. 558. ſectione. 559. per corrodens. 560. aperti tractatio. 561. in anguſta apertura. 562. in pure tenaci, & ſorditate. 563. in ſinu purulento. 564. in puris corruptione. 565. in puris evacuatione. 566. in pure retento, & corrupto. 567. in induratione. 568. Metaſtaſis. 569. Immature apertus cur retinet diutius margines duros? 617. particularis an nunquam fieri poſſit ſine prægreſſa inflammatione ejuſdem partis? 614. partium inferiorum præſagium, & cura. 557
Abſceſſus ventris, cognitio, & curatio. 578
Abſceſſus viſcerum ventris cur ſæpe relinquit tympanitidem? 1451
Abſterſio muci ſub Epidermide apparentis in parte combuſta cur admodum doloroſa eſt. 1147
Achores. 1377
Acre cancroſum an eſt acidum, vel Alcali? 1498
Acrimonia humorum. 87
Acrochordon. 1407
Actio iridis. 1069. lentis. 1070. humoris vitrei. 1071. retinæ. 1072. muſculorum an non poteſt convexiorem, & planiorem facere corneam. 1075
Adductio quid ſit. 30. Vulneris. 1212
Adipoſa vaſa pinguedinem adferentia, & deferentia, an dantur? 1167
Adnata tunica oculi. 1026
Adnatæ tunicæ morbi. 1094
Adſtringentia, acria vel actu frigida an recte applicantur ad temperandum combuſtionis ardorem, & dolorem? 1282. frigida cur ſæpe compeſcunt dolores? 826. repercutientia, defenſiva, an in principio inflammationis applicanda? 547
Ægilops. 1120
Æquilibrium deſtructum quando dicitur. 23
Aer innatus an ſupponendus in cavo tympani? 973
Æſtates vid. *Ephelides*.
Albaras nigra vid. *Vitiligo*.
Alba vid. *Vitiligo*.
Albugo vid. *Corneæ morbi*.
Albuginea tunica vid. *Adnata tunica*.
Album omne, quod in hæmorrhoiditibus ex ano evacuatur, an eſt pus? 717
Aliena in meatu auditorio. 981. oculo illapſa. 1097
Aloe an provocat hæmorrhoides, dum applicata conſolidat? 718
Alphos vid. *Vitiligo*.
Alvo adſtricta laborantibus cur hæmorroides frequentes? 716
Amauroſis vid. *Nervi optici morbi*.
Ambulativum ulcus vid. *Corrodens ulcus*.
Amphiarthroſis quid. 182
Amplitudo vaſorum quales morbos inferat. 51
Amputatio. 644. ubinam 645. tres modi. 646
Ampulla vid. *Crypta*.
Ancylops. 1119
Ancyloblepharon. 1103
Ancyloſis cur ſæpe relinquitur poſt luxationem? 408. cur ſæpe poſt abſceſſum, vel fiſtulam articuli. 250. cur ſæpe poſt tendinis punctu-

ram . 251. quid ſit . 242. cauſæ 243
Aneuriſma ; definitio . 655. ſigna aneuriſmatis veri . 656. ſpurii . 657. cauſæ veri . 658. ſpurii . 659
Aneuriſma ; prognoſis . 660. curatio veri . 661. operatione chirurgica . 662. curatio ſpurii . 663
Aneuriſma an aperiendum , ut evacuetur ſanguis ? 665. an arteria tantum ſupra Aneuriſma ligandum ? 666
Aneuriſmatis pars media vinculis intercepta , an excidenda ? 667. omnes tumores an audacter aperiendi ? 668
Aneuriſma verum , & parvum cur facile evaneſcit compreſſione , ſed magnum , vel ſpurium difficulter ? 669
Aneuriſma ſpurium periculoſius , & citius increſcit ? 670
Angiologia quid ſit . 48
Angina quali modo poteſt generare Empyema ? 621. quomodo ſæpe infert ſurditatem ? 1008
Anguli oculorum . 1056
Anguſtia vaſorum quales morbos inferat . 50
Animalia an non omnes odores percipiunt , uti homines ? 866. an ſolo olfactu ſalubritatem , & inſalubritatem alimentorum dignoſcere valent ? 862
Animalibus ſaginatis , & quieſcentibus cur oſſa medulla plena . 141
Ani procidentia . 1558
Anodyna medicamenta . 821
Anodyna in quo caſu miſcentur purgantibus ? 828
Antelix . 935
Antra Higmori . 836
Anthrax vid. *Carbunculus* . peſtilentialis vid. *Carbunculus* .
Antitragus . 935
Anxietas , & jactatio in aphthis cur malum ? 925
Apertus cancer . 1486
Aphthæ . 906. cauſæ . 907. effectus . 908. curatio poſt aphtharum receſſum . 909. infantum , & adultorum poſt morbos acutos an eodem modo curandæ ? 917. ſalivoſæ cur interdum curantur cortice Peruviano , interdum vero non auſcultant ? 918. regeneratio cur mala ? 919. color niger cur peſſimus ? 920. cur frequentiſſime generantur circa finem acutorum poſt copioſiores evacuationes ? 921. an generantur a materia chyloſa , in primis viis contenta ? 923. quando exigunt purgans ? 926
Apices digitorum cur accuratiorem tactum exercent , quam aliæ partes ? 1175
Apophyſis vid. *Oſſium apophyſis* .
Apoſtema ventoſum vid. *Empneumatoſis* .
Apparatus in cranii terebratione qualis . 347
Applicata cuti quibus viis intrant , & abſorbentur . 1151
Aqua frigida pudendis applicata quomodo ſiſtit hæmorrhagiam narium ? 498
Aquei humoris morbi . 1088
Arabum Elephantiaſis . 1388
Arachnoidea tunica . 736. tunica oculi . 1031
Arcana in contuſione dari ſolita , quæ ? & quæ fides iis habenda ? 1270
Arteriæ . tranſitus . 437. Definitio . 438. genera . 439. aorta . 440. tunicæ . 441
Arteriæ actio . 445. exitus . 446. in venam . 447. in thalamos . 448. in arterias lymphaticas . 449. in vas ſecretorium , & excretorium . 450
Arteriarum diſtributio . aortæ tres valvulæ ſemilunares . 458. coronariæ . 459. Ex arcu provenientes . 460. carotides externæ . 461. ſubclavia , & arteriæ , quæ ex illa proveniunt . 463. aortæ truncus . 464. ex aortæ trunco provenientes . 465. iliacæ , & ex illis provenientes arteriæ . 466.
Arteria abſciſſa cur ſe ſenſim integre claudit , niſi ſit nimis magna ? 444. an operatur ſola Elaſticitate , vel contractilitate ? 453. an tantum ſupra aneuriſma liganda ? 666
Arteriæ oculorum . 1042
Arteria ſecundum longitudinem ſecta , cur torquetur ? 442. tranſverſim abſciſſa , cur retrotrahitur ? 443
Arteriæ viventium cur plenæ , mortuo-

tuorum fere vacuæ ſine ſanguinis effuſione? 454
Arteriarum contractio an dependet ab Elaſticitate laterum, tenſa per diſtendentem intus ſanguinem? vel innata contractilitate? vel implectione vaſculorum in ſuis lateribus? vel influxu ſpirituum vitalium? 456. morbi. 467. ſuccus vitiatus an non poteſt facere morbos? 457. vulnus. 1229. Arteriotomia an tuto celebrari poteſt? 664
Arthrodia quid. 179
Arthroſis quid. 176
Articulatio oſſium vid. *Oſſium articulatio*.
Articuli abſceſſus, vel fiſtula cur ſæpe relinquit Ancyloſin. 250. concretio. 249. ligatio poſt luxationis reſtitutionem cui uſui. 405. parvi ligatio an aliquid boni præſtat in hæmorrhagia? 494
Articulorum caries cur periculoſiſſima. 219. cur citius proſerpit. 220. glandulæ definiuntur. 157. ſimplices, & compoſitæ. 158. fabrica. 159. locus. 160. emunctoria. 161. vaſa. 162. figura. 163. morbi. 241. humor deſcribitur. 164. exitus. 165. uſus. 166
Articulorum mucilago an præparatur in liene. 167. rigiditas cur a quiete poſt exercitia. 140. rigiditas cur ſæpe poſt luxationem, & diſtorſionem. 168. ſtrepitus cur ex medullæ defectu. 138. ſtrepitus, & calor cur poſt exercitia validiora. 164
Articulus an poſt repoſitionem luxationis firmiter ligandus, & ei applicanda adſtringentia, ut intercipiatur fluxio? 406. cur ſæpe rigidus poſt abſceſſum. 171
Aſpredo definitur. 1338. cauſæ. 1339. curatio. 1340
Aſpretudo microſcopiis detecta, cur omni tactu dignoſci nequit? 1178
Atheroma. 1504
Attritus. 1256
Auditorius meatus vid. *Meatus auditorius*. nervus. 755
Auditus an concitatur pulſatione mallei ad membranam tympani? 967. an remanere poteſt ablata membrana tympani? 1005. cur gravior in aere nebuloſo? 1001. cur hebetior ablata auricula? 964. morbi. 986. minor, & abolitus. 987. Horum cauſæ. 989. vitio auriculæ. 989. vitio meatus auditorii. 990. vitio membranæ tympani. 991. a morbis tympani. 992. a morbis oſſiculorum. 993. muſculorum. 994. labyrinthi. 995. nervi auditorii. 996
Auditus oſſicula vid. *Oſſicula Auditus*. quomodo fiat. 963
Auriculæ. 934. Eminentiæ. 935. cavitates. 935. uſus. 937. integumenta. 938. cartilago. 939. vaſa. 940. ligamenta. 941
Auriculæ muſculi. 942
Auris dividitur. 933
Aurium morbi. 980. obſervatio in morbis. 985. ſonitus an ab inordinato motu aeris innati in tympano? 1002. an a flatibus in hyſtericis? 1003. ſonitns cur ſæpe excitatur in deglutitione? 978
Auſteritas humorum. 65
Auxilia deligandi in cranii terebratione qualia? 349

B

BAryecoia vid. *Hypocophoſis*.
Bilioſum temperamentum deſcribitur. 5
Bubo vid. *Phygethlon*.
Bubonocele, & Oſcheocele. 1514. curatio. 1519
Bufo nodulo ligatus quid facit ad cohibendam hæmorrhagiam? 495
Bulbus oculi. 1025. oculi quomodo mutandus eſt, ut perfecte videamus corpora in varia diſtantia? 1074
Bulbi morbi. 1083. tota cavitas cur pigmento nigro obducta eſt? 1136
Bulluloſum Eryſipelas, bel. *Beltroos*. 1419

C

CAchexia, & hydrops cur ex copioſiore hæmorrhoidum fluxu generatur? 713
Cacoethes vid. *Malignum ulcus*.
Cæci quomodo tactu dignoſcunt colores? 1179
Calloſum corpus vid. *Corpus calloſum*.
Callus definitur. 1341. partes. 1342. ſpecies. 1343. effectus. 1344. cura-

ratio. 1345. unde, quando, & quomodo in fractura generatur. 290
Calculus veſicæ lithotomia eximitur. 1559. ad exitum urethræ quomodo eximitur. 1560. in medio urethræ hærens quomodo educendus. 1561. urethrę an ſectione auferendus. 1562. an retrudendus. 1563
Calor cur pruritum, & dolorem excitat in pernione? 1289
Camera anterior & poſterior oculi. 1037
Canales ſemicirculares. 958
Canalis naſalis vid. *Lachrymalis ductus*.
Cancer aquoſus, vid. *Corrodens ulcus*, & 1487. incipiens definitur. 1484. ſæviens. 1485. apertus. 1486. nomina ex loco. 1487. humor. 1488. cauſæ. 1489. humoris natura. 1490. curatio. 1491. ablatione. 1492. ablationem vetant. 1493. ablationis modus. 1494. poſt operationem quid agendum. 1495. palliatio. 1496. ſymptomatum mitigatio. 1497
Cancer cur exaſperatur, ſi totus non tollitur ſectione? 1500. ſanguineus vid. *Cancer*.
Cancri dolor, & corroſio an a Vermiculis? 1499. mammarum cur frequentiores fœminis intra 45. & 50. annum ætatis? 1502. pars cur externe munienda, ne tangi poſſit, in curatione palliativa? 1501
Cancroſum acre an eſt acidum, vel alcali? 1498. ulcus. 1312
Canthi Oculorum vid. *Anguli oculorum*.
Capillorum abraſio medetur morbis capitis. 113
Capitis cum Vertebris colli Luxatio. 428. manantia ulcera vid. *Achores*. morbi an curentur abraſione pilorum, & applicatione topicorum. 113. poſitio in terebratione cranii qualis. 350. vulnera. 1233
Capreolus, ſeu helix. 935
Capſulæ, vel fibræ nervorum affectæ an ideam ſenſus exhibent? 1182
Carbo vid. *Carbunculus*.
Carbunculus. 1416
Carcinoma deſcribitur. 888. vid. *Cancer*.
Carcinus vid. *Cancer*.
Caries deſcribitur. 208. cauſæ. 209. ſigna. 210. curatio. 211. a cauſa externa facilior curatu quam a cauſa interna. 216. ex lue Venerea cur non cedit medicamentis, & a ſpina ventoſa periculoſiſſima. 317. cur periculoſior & curatu difficilior circa extrema oſſium. 218. cur circa articulos periculoſiſſima. 219. cur circa articulos citius proſerpit? 220. cur pueris citius pergit, & curatu difficilior? 221. cur a pinguibus applicatis ad oſſa. 222. cur cita facienda deligatio. 223. cur deligatio cum linteo ſicco. 224. oſſis cur toties Eryſipelas excitat? 1440
Carioſum os cur tam varie mutat colorem, & quid notat. 212. cur aſperum ſpongioſum & fragile. 213. cur lardi fœtorem ſpirat. 214. cur carnem ſpongioſam facit. 215
Carotides externæ. 461. internæ. 462
Carpi, metacarpi, & digitorum fractura. 363
Cartilaginis definitio. 153. fabrica. 154. mutatio. 155. uſus. 156. Enſiformis luxatio. 429
Cartilagines naſi. 832
Caruncula lachrymalis. 1057
Carunculæ lachrymalis morbi. 1116. Rhyas. 1117. Encanthus. 1118. Anchilops. 1119. Ægylops. 1120
Cataractæ cauſa vid. *Lentis morbi*.
Cataractæ operatio. 1090
Catarrhoſum ulcus. 1303
Cavitas innominata. 935. tota bulbi cur pigmento nigro obducta eſt? 1136
Cavitates Auriculæ vid. *Auriculæ cavitates*. oſſium internæ. 101
Cauſa proxima Eryſipelatis. 1431. inflammationis. 506
Cellulæ oſſium deſcribuntur. 100
Celluloſa tunica. 1159
Celotomia quid, quando, & quomodo inſtituenda. 1521
Cera, arteriis carotidibus injecta, per quas vias tranſſudat in ſinus cerebri? 788
Cerebellum deſcribitur. 744
Cerebrum definitur. 731. dura mater. 732. ſinus. 733. ſepta cerebri. 734. uſus duræ matris. 735. Arachnoidea tunica. 736. pia mater. 737.

737. cortex cerebri, & cerebelli. 738. medulla cerebri & cerebelli. 739. corpus calloſum. 740. medulla oblongata. 741. ventriculi. 742. vaſa. 743
Cerebri cortex an glanduloſus, vel vaſculoſus? 747
Cerebrum cur propugnaculo oſſeo munitum? 787
Cerion. vid. *Farus*.
Chartula cum magicis characteribus a collo ſuſpenſa, quid facit ad cohibendam hæmorrhagiam? 495
Cheilocace. 916
Cheilocace, & labroſulcium an non ſunt diſtincti morbi? 927
Cheimenthlon. vid. *Pernio*.
Chemoſis vid. *Adnatæ tunicæ morbi*.
Chirurgi an renunciare debent? 1204
Chœras vid. *Struma*.
Chordæ ſonoræ. 960
Chorda tympani vid. *Tympanum*.
Chordæ tympani contremiſcentia an audire facit? 977. vel Zonæ ſonoræ an auditus organum? 975
Choroidea tunica oculi. 1030
Choroidea, vel retina an viſus organum? 1076
Choroidis morbi. 1086
Chylus in primis viis contentus an aphthas generat? 923
Cicatriſantia medicamenta. 1300
Cicatriſatio vulneris. 1227
Cilia. 1053
Ciliare ligamentum. 1032
Ciliorum morbi. 1112
Cirſocele vid. *Varicocele*.
Clavata ſutura. 1219
Claudicatio cur ſæpe poſt diuturnum dolorem Iſchiaticum. 173
Claviculæ fractura. 373
Clavicularum luxatio. 429
Clavus. 1404
Clavus vid. *Corneæ morbi*.
Coagulatio humorum morboſa. 82
Cochlea. 959
Cohærentiæ laxioris humorum morbi. 74. morbi. 17
Colli femoris fractura, ejus cognitio, & curatio. 366. luxatio. 427
Color mutatus cutis. 1355. totius corporis. 1356. particularis. 1357
Color niger aphtharum cur peſſimus? 920. quomodo a cæcis tactu dignoſcitur? 1179
Columnæ oſſium vid. *Sepimenta*.
Comedens ulcus vid. *Corrodens ulcus*.
Combuſtio. definitio. 1274. effectus in ſolidis mortuis. 1275. in liquoribus. 1276. in viventibus. 1277. a primo gradu. 1278. a ſecundo gradu. 1279. a tertio gradu. 1280. a quarto gradu. 1281
Combuſtionis ardorem, & dolorem an recte adſtringentibus, vel acribus, vel actu frigidis conantur temperare? 1282
Commotionis translatio an fieri poteſt per ſuccum nervoſum ad ſenſum excitandum? 1185
Compactura quid ſit. 31
Compoſita glandula. 1456
Compoſitum Eryſipelas. 1422
Concretio articuli. 249
Condylus quid ſit. 149
Concha externa. 935. interna vid. *Tympanum*.
Condyloma. 1487
Congelationis definitio. 1283. proprietates. 1284. ſpecies. 1285. pernio. 1286. congelatio. 1287
Conglobata glandula. 1458
Conglomerata glandula. 1457
Conſolidatio vulneris. 1226
Contractilitatis automatici morbi quinam ſint. 24
Contractio arteriarum an dependet ab Elaſticitate laterum tenſa per diſtendentem intus ſanguinem? vel innata contractilitate? vel impletione vaſculorum? vel influxu ſpirituum? 456
Contuſio. definitio. 1261. differentia. 262. effectus. 1263. pro diverſitate partium. 1264. detectio. 1265. curatio. 1266. reſolutione. 1267. ſuppuratione. 1268. mortificatione. 1269. cauſa ſpinæ ventoſæ. 192. exoſtoſis. 203. cur relinquit ulcus ſordidum? 1273
Contuſionis cranii cognitio traditur. 321. cranii curatio traditur. 322. cranii ſpecies traduntur. 306
Contuſio, vel tumor ganglii cur concitat paralyſin partium infernarum? 807
Contrafiſſura cranii negatur. 304. affirmatur. 305
Convoluta ſutura. 1220

Convulſiones an non poſſunt fieri motu inordinato fibrarum capſulis? 811
Cophoſis. 987
Cornea convexior quomodo fiat. 1066. tunica oculi. 1029
Corneæ morbi. 1085
Cornicis oculus vid. *Clavus*.
Coronariæ arteriæ. 459
Corpora olivaria Fallopii. 756
Corporis humani diviſio. 8. 10
Corpus calloſum. 740
Corpus totum an conſtat fibris nervoſis? 789
Corrodens ulcus. 1311
Corroſio, & dolor cancri an a vermiculis? 1499
Cortex cerebri an glanduloſus, vel vaſculoſus? 747. cerebri, & cerebelli. 738. peruvianus cur interdum curat aphthas ſalivoſas, interdum vero non? 918
Coſtarum fractura. 376. luxatio. 429
Cotyle quid ſit. 148
Cranii fractura. ejus diviſio traditur. 301. inciſionis ſpecies. 302. fiſſuræ ſpecies. 303. contrafiſſura negatur. 304. affirmatur. 305. contuſionis ſpecies. 306. ſimplex, & compoſita. 307. inciſionis curatio. 308. fiſſuræ detectio. 309. vel tracturæ num abſentiam arguit, ſi aliquid dentibus retentum, & motum non concitet dolorem? 310. fiſſura an detegi poſſit ex ſono pulſi cranii, ac ſi concuteretur olla fiſſa? 311. fiſſuræ effectus. 312. curatio. 313. cum vulnere. 314. ſine vulnere. 315. cum fragmentis. 316. cum hæmorrhagia. 317. cum oſſe corrupto. 318. deligatio. 319. rima capillaris an radenda uſque dum evaneſcit, ſecundum veteres? 320. contuſionis cognitio. 321
Cranii contuſionis curatio. 322. ſuperficies interna an pro oſſium cavitate habenda? 103. Terebratio vid. *Terebratio cranii*.
Craſſitudo humorum morboſa. 80
Crithe vid. *Glandularum Meibomii morbi*.
Cruenta ſutura vid. *Sutura cruenta*.
Cruris ſeu tibiæ, & fibulæ fractura. 367
Cruſta. 1370. lactea vid. *Lactumen*.
Crypta. 1454
Cryptæ cutis. 1144
Cubiti fractura. 362. luxatio. 415
Cuticula. 1157. in callum converſa, cur ſenſus obtuſior? 1171. in ſuperficie ſanguinis concreſcens an a chylo inſpiſſato exaſſato? 538. hæc non apparens in ſanguine acutorum emiſſo an denotat materiem phlogiſticam retineri? 539
Cutis color mutatus. 1355. definitio. 1138. vaſa. 1139. arteriæ. 1140. venæ. 1141. nervi. 1142. papillæ nerveæ. 1143. cryptæ. 1144. glandulæ miliares. 1145. pori cutanei. 1146. morborum diviſio. 1187

D

Debilitas coherentiæ quid ſit. 20. cur æque producit ſudorem, quam auctus motus. 1149
Defenſiva adſtringentia an ad validas contuſiones applicanda ad intercipiendum confluxum humorum? 1271
Deglutitio cur ſæpe excitat aurium ſonitum? 978
Deligatio in amputatione quomodo facienda, & quando innovanda. 654. in cranii terebratione quomodo inſtituenda. 356. innovatio quoties, & quomodo facienda. 357. in luxatione quando facienda? 398. quando, & quomodo in fractura renovanda. 289. vulneris vid. *Vulneris deligatio*. innovatio. 1218
Deligationis innovatio in labio leporino. 1225
Delirium ex Eryſipelate cur lethale? 1446. in aphthis cur malum? 925
Denſitas humorum morboſa. 79
Dentes. 898. gingivis privati cur corrumpuntur, & cedunt. 928
Dentium morbi traduntur. 914
Depaſcens ulcus vid. *Corrodens ulcus*.
Depuratio in cranii terebratione quomodo facienda. 355
Detectio vulnerum. 200
Diæreſis veterum quid denotat? 491
Diæta ventris vulneribus propria, qualis eſt? 1251
Diaphyſis oſſium quid ſit. 91
Diarthroſis quid. 177
Differentia inter indurationem, lupiam,

piam, ſtrumam, & ſcirrhum quæ ſtatuenda? 1482. lupiæ, ſtrumæ, & ſcirrhi an ex variis partibus in glandula obſtructis? 1483
Differentia inter puncturam, & vulnus qualis ſtatuenda? 1252. inter vulnus lethale, & inſanabile, quænam? 1206
Dilatatio, & conſtrictio pupillæ cur requiritur? 1080
Dislocatio vid. *Luxatio*.
Diſſimilares partes quæ ſint. 91
Diſtorſio cur relinquit ſæpe articuli rigiditatem. 168
Diſtributio arteriarum vid. *Arteriarum diſtributio*.
Diſtrichiaſis vid. *Ciliorum morbi*.
Diviſio morborum viſus, & oculorum. 1082. vulnerum. 1196
Dolor definitur. 813. cauſæ. 814. manifeſtæ. 815. minus manifeſtæ. 816. abſconditæ. 817. cauſa proxima. 820. anodyna. 821. an excitatur partibus firmis nervi læſi? 823. an ſolutio continui? 825. cur acutiſſimus ſub unguibus, & ad radices eorum, dum tamen apices ſine dolore præſecari poſſunt? 1172. cur ea in parte oſſis major ubi affigitur tendo. 117. & corroſio cancri an a vermiculis? 1499. & vomitus ex hernia natus cur ſtatim poſt repoſitionem inteſtinorum in hernia non ceſſat? 1529. in fractura unde, & quomodo levandus vel curandus. 292. oſteocopus cur poſt multos labores. 139
Dolor permanens oſſis fracti, & quoad externam figuram bene repoſiti, unde? 298. quid. 1166. quidnam leniter venæ ſectione? 827. tam validus in otalgia unde? 1007
Dolores cur ſæpe compeſcuntur adſtringentibus frigidis? 826
Dorſi luxatio. 429
Dothien vid. *Furunculus*.
Ductus lacrymalis vid. *Lachrymalis ductus*.
Dura mater an præbet perioſteum. 125. mater deſcribitur. 731

E

ECchymoſis 1361. cauſæ. 1362
Ecpieſmos vid. *Bulbi morbi*.
Ectropion. 1107
Effectus inſeparabiles vulneris. 1191. diverſi vulneris. 1193
Efflorescentiæ vid. *Exanthemata*.
Effluvia odorifera an ſunt ignea, ſulphurea, vel ſalino-ſulphurea, quia comburi poſſunt? 860
Effuſio humoris in Encephalo. 323. ejus ſigna. 324. Detectio loci læſi. 325. Curatio generalis. 326. diſſipando. 327. derivando. 328. evacuando. 329. terebrando. 330. prognoſis, & cautelæ traduntur. 331. 341
Elementum odoriferum. 858
Elephantiaſis. 1389
Elephantinus oculus vid. *Scleroticæ Inflammatio*.
Elongatio quid ſit. 28
Eminentiæ auriculæ vid. *Auriculæ eminentiæ*.
Emphyſema. 1104
Emplaſtica an obſtruendo generant inflammationem? 541
Empneumatoſis definitio. 1448. cauſa. 1449. curatio. 1450. relicta cur ſponte evaneſcit ablato putrefacto humore? 1452
Empyema. definitio. 579. cauſæ. 580. prædictio. 581. præſentis detectio. 582. pus in utroque cavo. 583. in uno latere. 584. in pulmone. 585. in mediaſtino. 586. in pleura. 587. in pericardio. 588. ex hepatis abſceſſu. 589. prognoſis. 590. recidiva. 591. bona ſigna. 592. mala ſigna. 593. effectus, & exitus. 594. curatio. 595. puris corruptionem inhibens. 596. expectorantia. 597. diuretica. 598. abſceſſus cruralis. 599. puris evacuatio ex pectore. 660. paracenteſis. 601. quando inſtituenda. 602. locus pertundendus. 603. operatio. 604. deligatio. 605. innovatio deligationis. 606
Empyematis ſymptomatum curatio. 607. & ſeqq.
Empyema quali modo ex angina generari poteſt? 621
Enarthroſis quid. 178

Encanthus. 1118
Encephali partes quædam traduntur. 745.
Enchymoſis vid. *Ecchymoſis*.
Enterocele. 1516
Enteroepiplocele. 1517
Enteroepiplomphalos. 1550
Ephelides. 1360
Epidermis vid. *Cuticula*.
Epiphora vid. *Lachrymarum morbi*.
Epiphyſis vid. *Oſſium Epyphiſis*.
Epiplocele. 1515
Epiplomphalos. 1548
Error loci quid ſit. 75
Eryſipelas definitur. 1418. bulluloſum belg. *Belroos*. 1419. puſtuloſum. 1420. ulceroſum. 1421. compoſitum. 1422. rubedo. 1424. color flaveſcens. 1425. dolor. 1426. calor. 1427. fugacitas, ſeu metaſtaſis. 1428. ſanguinis obſervatio. 1429. cauſa remota. 1430. proxima. 1431. curatio per actu frigida. 1432. per incraſſantia abſorbentia. 1433. per alvum ducens. 1434. per temperantia. 1435. per diaphoreticum refrigerans. 1436. per anodyna, ſi dolor vehemens ſit. 1437. per abſtergentia antiſeptica, ſi ulcus ſimul adſit. 1438
Eryſipelas cur ſæpe adjunctam habet inflammationem? 542
Eryſipelatis delirium cur lethale? 1446. metaſtaſis ad interiora cur periculoſa? 1439. cur toties in oſſis carie? 1440. cur in hydropicis, & circa ulcera cancroſa, malum indicium? 1421. erumpens cur periculoſius. 1442. tumor ruber cur plerumque evaneſcit ſine ſubſequente abſceſſu. 1445
Eryſipelati cur non applicanda pinguia, niſi adſtringentibus & antiſepticis miſta? 1447
Eſchara definitur. 1346. cauſa proxima. 1347. ex inflammatione. 1348. ex gelu. 1349. ex debilitate. 1350. ex putredine. 1351. ex morbis malignis. 1353. ſcarificatio. 1353. corrodens. 1354.
Eſthiomenos herpes. 1374
Ethmoidis oſſis foramina an traſmittunt mucum ex cerebro ad nares. 841.
Evacuatio per aurem. 982. curatio. 983.
Euſtachiana tuba vid. *Tuba Euſtachiana*.
Exanthemata. 1396. vid. *Varietas maculæ*.
Excoriatio. definitio. 1254. cauſæ. 1255. attritus. 1256. curatio. 1257. corroſio externa. 1258. interna. 1259.
Excoriatio a mortificatione. 1260
Excrementa an non poſſunt reddi per anum, ſi portio tenuium inteſtinorum eſt ablata? 1531
Excretorii humores qui dicantur. 63.
Exedens herpes vid. *Eſthiomenos herpes*.
Exercitia validiora cur ſæpe faciunt articulorum ſtrepitum. 169
Exitus ſucci nervoſi, & ſpirituum. 771
Exoſtoſis. 201. ſigna. 202. cauſæ. 203. curatio. 204
Exoſtoſis qualis raro abit in cariem. 225
Expanſio humorum morboſa. 83. quid ſit. 32
Exploſionis validæ perceptio, ſi in ſurdis ſponte redeat auditus, unde? 1009
Extenſio quid ſit. 29
Externa medicamenta an fruſtra applicantur ad curandos morbos internos? 1152
Extremitates arteriarum an ſecernunt mucum, an glandulæ, vel cryptæ? 844
Exumbilicatio vid. *Omphalocele*.

F

FAbrica glandularum. 1459. nervorum vid. *Nervorum fabrica*.
Faſciæ quales in fractura adhibendæ. 283
Favus. 1378
Femoris fractura. 364. fracturæ curatio. 365. Luxatio. 417
Fera vid. *Eſthiomenos herpes*.
Ferulæ quales in fractura adhibendæ. 285
Fibra quid notet in communi ſenſu. 35
Fibræ medulloſæ in ganglio collectæ an probant earum confuſionem? 803. oſſium quomodo locantur. 94

Fibra ſimplex qualis pars. 16
Fibræ, vel capſulæ nervorum affectæ an ideam ſenſus exhibent? 1182
Fibroſæ partes firmæ nervi an præbent ideam ſenſus menti, an vero ſpiritus in iis contenti? 1183
Fibulæ luxatio. 420
Ficoſa ficus vid. *Ficus*.
Ficus. 1382
Figura mutata particularum. 68. in obtuſam. 69. acutam. 70
Firmæ partes vid. *Solida*.
Fiſſura cranii an detegi poſſit ex ſono pulſi cranii; ac ſi concuteretur olla fiſſa? 311
Fiſſuræ definitio. 1290. cauſæ. 1291. curatio. 1292. cranii deligatio. 319. detectio traditur. 309. Effectus traduntur. 312. ſpecies traduntur. 303. vel fracturæ cranii num abſentiam arguit, ſi aliquid dentibus retentum, & motum non concitet dolorem? 310
Fiſtulæ definitio. 1319. detectio. 1320. differentia. 1321. præſagium bonum. 1322. malum. 1323. ſimplicis curatio. 1324. calloſæ curatio. 1325. profundioris curatio. 1326. anguſtioris curatio. 1327
Fiſtulæ cum oſſis carie curatio. 1328. Interna medicamenta. 1329
Fiſtula circa articulum cur fundit ſæpe multum humoris. 172. cur frequentior circa articulos, anum & carunculam lachrymalem. 1330. lachrymalis. 1121
Flatulentus tumor cur a ſpina ventoſa? 197
Flexibilitas quid ſit. 21
Fœmina hernia inguinali laborans, cur graviditatis tempore liberatur. 1528.
Fœminis intra 45. & 50. annum ætatis cur frequentiores mammarum cancri. 1502
Fœtus an epiphyſes molles habet, ut facile complicatus hæreat. 152. cur meatum auditorium particulari membrana tectum habet? 1006
Folliculoſi tumoris deſcriptio. 1503 curatio. 1507
Folliculoſus tumor palpebrarum. 1106
Folliculus vid. *Crypta*.
Foramen rotundum tympani. 952. ovale tympani. 953
Foramina oſſis Ethmoidis an tranſmittunt mucum ex cerebro in nares? 841. oſſium deſcribuntur. 97. ſingularia tympani. 951
Fracturæ definitio. 253. ſimplex. 254. compoſita. 255. ſpecies. 256. effectus. 257. detectio. 258. prognoſis. 260. curatio. 274. reſtitutio. 275. extenſio. 276. ejus requiſita. 277. ejus impedimenta. 278. repoſitio. 279. ejus ſigna bona. 280. repoſitio. 281. ſplenia qualia adhibenda. 282
Fracturæ faſciæ quales adhibendæ. 283. ligatio qualis adhibenda. 284. feralæ quales. 285. funiculi quales. 286. machinæ quales adhibendæ. 287. poſitura membri. 288. tempus, & modus renovandi deligationem. 289. callus quid, quando, & quomodo generatur. 290. ſymptomatum curatio. 291. dolor unde, & quomodo curandus. 292. pruritus, & puſtulæ unde, & quomodo tollenda. 293. vulnus. 294. luxatio. 295. curatio aliena quomodo reſtituenda. 296
Fractura particularis narium. 359. maxillæ inferioris. 360. humeri. 361. cubiti. 362. carpi, metacarpi, & digitorum. 363. femoris. 364. ejus cognitio, atque curatio. 366. cruris, ſeu tibiæ, & fibulæ. 367. pedis, ſeu tarſi, metatarſi, & digitorum. 368. patellæ. 369. curatio. 370. cur patellæ fractura fere ſemper relinquit ancyloſin? 371. cur patellæ fractæ pars inferior non æque, quam ſuperior recedit. 372. claviculæ. 373
Fractura ſcapulæ. 374. ſterni. 375. coſtarum. 376. vertebrarum. 377. oſſis ſacri, vel coccygis. 378. brevi non repoſita, deinceps repoſita, cur non incoaleſcit? 299. cranii vid. *Cranii fractura*, in membris ſuperioribus cur curatu facilior, & minus periculoſa, quam in membris inferioribus? 297. in parte carioſa cur difficilis curatu. 300. oſſium cauſa exoſtoſis. 203
Fracturæ, quoad externam figuram bene repoſitæ, dolor permanens unde?

de? 298
Fragilitas quid ſit? 20
Frenulum labiorum. 897
Frigus extremorum cum incendio interno cur periculoſiſſimum in inflammatoriis? 540
Fumus hore hauſtus, & per aurem emiſſus, qua via ducitur? 972
Fungus quid ſit, & quomodo curandus? 207
Funiculus ſpermaticus cur remanet craſſior, hernia refuſa? 1523
Furfuratio. 1380
Furfures vid. *Cruſta*. & ſordes unde ſponte naſcuntur? 1156
Furunculus. 1415

G

GAnglia cur ſæpe majora & hydatibus obſeſſa hyſtericis, & hypocondriacis? 804. an in cerebri, vel duræ matris ſubſidium veniunt? 805. an in ſomno otiantur, in vigilia vero prompte ſua munera exſequatur? 806
Ganglia nervorum. 772. adeuntes nervi. 773. exeuntes nervi. 774. capſulæ. 775. meditullium. 776. vaſa. 777
Ganglium tumefactum, vel contuſum cur relinquit paralyſin partium infernarum? 807
Gangræna vid. *Sphacelus*
Gaſtrophia. 1244
Genu luxatio. 419
Gingivæ. 899
Gingivarum morbi. 913
Ginglymus quid. 180
Glabella vid. *Supercilia*.
Glandula definitur. 1453. ſimplex. 1455. compoſita. 1456. conglomerata. 1457. conglobata. 1458. fabrica. 1459. ſecretio multiplex. 1460
Glandula vid. *Lupia*.
Glandulæ articulorum vid. *Articulorum glandulæ*.
Glandula lachrymalis vid. *Lachrymalis glandula*.
Glandulæ lachrymalis morbi. 1101
Glandularum Meibomii morbi. 1111
Glandulæ milliares cutis. 1145. ſebaceæ Meibomii. 1052
Glandularum in articulis morbo fit ancyloſis. 244. morbi dividuntur. 1461
Glaucoma vid. *Vitrei humoris morbi*.
Glene quid ſit. 148
Globulus plumbeus an in hernia ingerendus ad extricandum inteſtinum? 1530
Glutinoſitas humorum. 86
Gomphoſis. 187
Grando vid. *Glandularum Meibomii morbi*.
Gravidæ cur ſæpe tentantur pedum œdemate? 726
Gravitatis auctæ morbi. 71
Gumma quid ſit, & quomodo curatur. 206
Guſtatorius nervus. 753
Guſtus definitio traditur. 895. organum an non poteſt affici parvitate particularum odoriferarum? 664
Gutta roſacea vid. *Rubeola*.

H

HÆmorrhagiæ definitio, 468. cauſæ. 469. a vulnere. 470. ex abundantia. 471. motu aucto. 472. ſuſtentaculi ablatione. 473. corroſione. 474. fragilitate. 475. laxitate. 476. tenuitate. 477. effectus. 478. curatio. 479. applicatio immediata in hæmorrhagia vulnerum. 480. ad partes proximas. 481. ad partes remotas. 482. interna medicamenta. 483. in parte varia. 484. ex cauſa varia. 485
Hæmorrhagia an non fieri poteſt per diæreſin? 490. an non interdum per diapedeſin. 489
Hæmorrhagia an non poteſt fieri ſine ruptione vaſorum? 451. an nunquam per anaſtomoſes? 488. cur facilior ex naribus, quam aliis partibus? 846. ex arteria cur periculoſior, quam ex vena? 492. ex naribus cur frequentior? 486
Hæmorrhoides definiuntur. 699. ſpecies. 700. in quibus vaſis, & partibus. 701. cauſæ. 702. curatio in cæcis. 703. in apertis. 704. in dolentibus. 705. in exulceratis. 706. in verrucoſis. 707. fluentes cur curant melancholiam, & phrenitidem atra-

atrabilariam? 708. quales curant pleuritidem, peripneumoniam, & furunculos. 712. cur frequentes alvo adſtricta laborantibus. 716. an omne album quod per anum emittunt eſt pus? 717
Harmonia oſſium quid. 185
Haverſianæ glandulæ vid. *Articulorum glandulæ.*
Helix ſeu Capreolus. 935
Helos vid. *Corneæ morbi.*
Hemeralopia vid. *Uveæ morbi.*
Hepaticæ maculæ. 1364
Hepatis obſtructio cur ſæpe ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis? 709
Herniæ definitio. 1508. in partibus variis. 1509. nothæ. 1510. nomina varia. 1511. locus. 1512
Herniæ cauſæ. 1513. curatio. 1519. in hernia incarcerata. 1520. celotomia. 1521. ſingularia obſervata. 1522
Hernia an perfecte curari nequit niſi ſimul ille ſacculus reponatur? 1524. cur frequentiſſima in inguinibus. 1525. lachrymalis vid. *Fiſtula lachrymalis.*
Herniæ reditum impedientes quæ? 1526.
Hernia refuſa cur furunculus ſpermaticus remanet craſſior? 1523. Herpetis definitio. 1371. infantum belg. *Douvvorm.* 1372. miliaris belg. *Ringvorm.* 1373
Eſthiomenos. 1374. cauſæ. 1374. curatio. 1375
Hidroa vid. *Sudamina.*
Hippos vid. *Muſculorum bulbi morbi.*
Hircus ſeu tragus. 936
Hirudines an applicandæ, ſi hæmorrhoides non tument? 714. in quo caſu applicandæ? 711
Holoſericum cur non aſperum ad attactum? 1177
Horti, & prata cur a pluvia poſt longam ſiccitatem, & in aurora, largiorem odorem ſpirant? 861
Humeri fractura. 361. Luxatio. 409
Humiditas quid ſit. 33
Humor cancri. 1485. in cavo ventris ex vulnere ejus. 1248
Humores in eodem cutis loco quotuplices ſecernuntur? 1150
Humores morboſi multiplices. 76
Humoris cancroſi natura. 1490. effuſio in Encephalo. 323
Humor nutrititius an feratur per nervos, quia nervo deſtructo perit nutritio ejus partis? 792. oris vid. *Oris humor.* vitreus oculi. 1035. cryſtallinus. 1036. aqueus. 1037
Humorum diviſio. 62. morbi quomodo dividantur. 65
Hydatides. 1402
Hydrocceles definitio. 1532. in peritonæi proceſſu. 1533. curatio. 1534. in ſcroti ſubſtantia. 1535. curatio. 1536. in darto. 1537. in cavo ſcroti. 1538. curatio. 1539. in teſte, & vaſis ſpermaticis. 1540
Hydromphalos. 1551
Hidrophthalmia, vid. *Aquei humoris morbi.*
Hydropicorum Eryſipelas cur malum indicium? 1441
Hydrops, & cachexia cur ex copioſiore hæmorrhoidum fluxu generatur? 713
Hyperſarcoticum ulcus. 1314
Hypochymoſis vid. *Aquei humoris morbi.*
Hypocophoſis. 987
Hypopion. 1095
Hyſterici, & hypochondriaci cur ſæpe habent ganglia majora, & hydatidibus obſeſſa? 804

I

Choroſum ulcus. 1302
Idioſyncraſia deſcribitur. 2
Ignis ſacer vid. *Puſtuloſum eryſipelas.* ſerpens vid. *Puſtuloſum Eryſipelas.* ſylveſter vid. *Phlyctænæ.*
Iliacæ & ex illis provenientes arteriæ. 466
Iliaca vena. 683
Imagines an pinguntur ſupra ingreſſum nervi optici? 1079
Impetigo. definitio. 1384. ſpecies prima. 1385. ſecunda. 1386. tertia. 1387. quarta. 1388. quinta. 1389. cauſæ. 1390. curatio. 1391
Inciſionis cranii ſpecies traduntur. 302.
Infans recens natus cur auditu caret? 969
Infantum herpes. 1372
Inflammatio. tranſitus. 501. definitio.

tio . 502. differentia ad alios morbos . 503. ſignorum varietas . 504. ſanguinis mutatio in lentorem . 505. cauſa proxima . 506. tumor . 507. dolor . 508. color . 509. pulſatio . 510. calor . 511. reliqua ſymptomata . 512. cauſæ . 513. frictio . 514. ſtimulantia applicata . 515. moventia . 516. calefacientia . 517. lentor . 518. anguſtia vaſorum . 519. cauſæ internæ . 520. exitus . 521. reſolutio perfecta . 522. inſenſibilis . 523. critica . 524. cognitio, & curatio in his . 525. metaſtaſis . 526. ſuppuratio . 527. induratio . 528. corruptio . 529. gangræna, & ſphacelus . 530. curatio . 531. reſolvendo . 532. venæ ſectio . 533. purgantia . 534. antiphlogiſtica . 535. laxantia externa . 536. diluentia . 537. an ab arteriarum obſtructione ? 544. cur non ſtatim oritur a nervi punctura? 549. cur ſæpe jungitur Eryſipelati? 542

Innominata glandula vid. *Lachrymalis glandula* . tunica vid. *Tendinea tunica* .

Inſpectionem vulnerum quinam exercere debeat? 1201

Inſtrumenta in terebratione cranii qualia . 348

Integumenta naſi . 834

Integumentorum corporis diviſio . 1137 morborum diviſio generalis . 1186

Intertrigo vid. *Attritus* .

Inteſtinum prolapſum ex vulnere ventris quomodo refundendum . 1245

Intumeſcentia nervi ligati in junioribus animalibus an comprobat ſpirituum transfluxum? 785

Involucra nervorum cur in itinere nova accipiunt vaſa? 801

Ionthi vid. *vari* .

Iris vid. *Uvea tunica* .

Iridis actio . 1069. dilatatio, & conſtrictio cur requiritur? 1080

Iſchiaticus dolor cur ſæpe inducit claudicationem . 173

L

LAbia . 897

Labii Leporini definitio . 1221. curationis cautelæ . 1222. operatio . 1223. ſutura convoluta . 1224. deligationis innovatio . 1225

Labiorum frenulum vid. *Frenulum labiorum* . morbi . 916

Labroſulcium . 916. & Cheilocace an non ſunt diſtincti morbi ? 927

Labyrinthus . 956. veſtibulum . 927

Lachrymæ . 1063. cur copioſius funduntur irritatione narium ? 847

Lachrymalia puncta . 1060

Lachrymalis caruncula vid. *Caruncula lachrimalis* . glandula . 1059

Lachrymalis ſaccus . 1061. ductus . 1062

Lachrymarum morbi . 1115

Lactea cruſta vid. *Cruſta lactea* .

Lactumen . 1379

Lacuna vid. *Crypta* .

Lagophthalmos . 1108

Lamellæ oſſium exteriores cur magis compactæ . 104. oſſium quomodo formantur, & locantur . 95

Lamina ſpiralis . 960. ſpiralis an præcipuum auditus organum? 974. Laxitas ſola capſulæ nervi cum ſufficiente quantitate ſpirituum , an nequit eſſe cauſa motus vitalis , & animalis languidioris , & ſenſus hebetioris ? 809. quid ſit . 26

Lens vid. *Humor criſtallinus* .

Lentigines vid. *Ephelides* .

Lentis actio . 1070. morbi . 189

Lentor an effectus , vel cauſa inflammationis? 543. an ſolvatur ſtimulantibus , ut viſcidum ? 546. num non poſſit pelli motu majori per extremitates arteriarum , ut ſolvatur inflammatio?

Leontiaſis vid. *Elephantiaſis* .

Lepra Græcorum vid. *Vitiligo* . vid. *Elephantiaſis* .

Lethale abſolute vulnus , imperite tractatum , an non manet lethale ? 1267.

Lethalia abſolute vulnera . 1197. curabilia . 1198. per accidens . 1199

Leuce vid. *Vitiligo* .

Leucoma vid. *Corneæ morbi* .

Levitatis morbi . 72

Lichen vid. *Impetigo rubra* .

Lien an conficit pro articulis mucilaginem . 167

Lienteria , & ſingultus in aphthis cur periculoſum? 924

